





Exstante f. 15  
Cap. 2a  
Vol. 5º

卷之三

卷之三

ग-  
अ-  
व-  
क-  
प-  
ब-

124 aux 22  
125 Tax. 9-110  
126 Quin 22

*de la Bie  
apud nos*

16 G.  
L. L. H.  
16 G.  
L. L. H.

# DISPUTATIO DE TITULO, ORDINE ne & subiecto lib. Arist. de Gene- ratione & corruptione.

*Ex dicit collegio det. cat. de  
otma*

Titulus libri vel inscriptio.



ATINIS Philosophis & scholasticis est, de generatione & corruptione, Ciceronis & Latinoribus, de ortu & interitu, vel de generatione & interitu corruptionē enim plerunque dici vi-  
tiū & corruptelā rei, nondū interemptae & cōsumptae, interitū autem esse consumptionē rei, de qua his libris disputatio suscipi-  
tur. Græca Arist. sunt γένεσις καὶ φθοραὶ Genesim autē Cicero lib. de vniuers. ver-  
tit ortū, & φθοραὶ interitum plerunque, sed quia philosophis non tam linguae,  
quām intelligentiae ratio habenda est, & illa etiam hoc sensu Latina sunt ge-  
neratio & corruptio, his frequentius nobis vtendum erit, quia scholastico  
vnu trita & recepta sunt. Quamuis autem multiplex sit apud Arist. inscriptio-  
nis ratio, ut ex accurata doctrina libri acromatici, & exoterici ex populari,  
ex ordine ut metaphysica, sic hæc inscriptio Aristotelis est: frequentior tamen  
est ratio inscribendi, ex resubiecta, vel tota, ut de anima, sensu, vel potiori il-  
lius parte, ut libri de cælo, & hi de generatione, & Meteorologici inscribūtur.  
Ad vitandam autem homonymiam, Græcorum & Latinorum usus primo  
distinguendus est, deinde physicorum & Arist. Græcis γένεσις est generatio  
passiva, quia γέννωμαι unde deducitur est fio, γέννησις est activa, quæ propaga-  
tio dici potest, quia γένεσις est generare & propagare, quo fit γένησις hic ve-  
ro de priori differendum est, de posteriori, quamvis etiam non viuentibus attri-  
buitur, ut possit & numquidque quod sibi simile est procreare, in libris de ge-  
nerat, animal. differitur propriè, ut animalium propria operatio est, ut planta-  
rum, in libris de plantis, & 4. cap. libri 2. de anim. generaliter explicatur ge-  
neratio viuentium propria. Generatio Latinis ad utrunque patet, cum gene-  
ratio hominis, & procreantis & procreati dicatur: sed his libris generatio sit  
communis viuentium & non viuentium, & præcipue passiva intelligatur,  
quamvis etiam generales causæ illius explicitur, non solum quæ ad materiā  
& patiendum, sed etiam quæ ad efficiendum pertinent, ut lib. 2. præsertim

Inscriptio  
scholastica  
cur retinenda.

Generationis  
distinctio du-  
plex.

Communis:



c. 10 cōstatbit, & principio proponit Arist. se explicaturū causas generationis & interitus naturae vniuersē. Ex his collige generationis communē vsum, continere originem rerum omnium vuentium & non vuentium, proprium autem esse vuentium tantum D. Tho. I. p. q. 27. art. 2. Ferra. 4. lib. con. gen. cap. II. Damas. 8. cap. I. Theologi. 3. d. 4. priorem his libris explicari ex naturalibus causis, posteriorem autem libris de plantis & animalibus. Dico autem (ex naturalibus causis) quod sit alia explicatio Theologica, ex diuina & supernaturali causa, quae ad physicum non pertinet, cum sit ex nihilo productio: cuius in natura nulla sunt principia aut cause, que Græco nomine Genesis Theologis dicitur: atque ideo formalī ratione hæ trastationes distinguntur.

Physica di-  
stinctio gene-  
rationis.

Generationis apud physicos, præsertim peripateticos, triplex est usus: unus communis omnium, extermino ad quem, ut amotu distinguatur dictus substantię generatio: alter elementorum proprius: tertius rerum vuentium, & animatarum. primam generationem distinxit Aristot. à motu, 5. Physico. alteram definiet, & distinguer. cap. 4. libri huius primi, tertiam cap. I. 4. meterelogici. Positis ergo his, que de generatione vniuersè dicta sunt in physicis, his libris simplicium corporum, quae elementa dicuntur, generatio explicabitur, ut ex subiecti explicatione constabit. Cur autem hilibi aliquando ab Arist. de elementis dicuntur, ex ratione ordinis constabit.

## Ordinis ratio.

Cur libri de  
generatione  
cum libris de  
celo coniun-  
cti, prima ra-  
tio ex distri-  
butione rerū  
naturalium,  
&c.

Satis manifesta ex Aristot. extremo lib. 3. de celo colligitur, cum enim ex-splicatis vniuersalibus & primis naturæ principiis, & motu cuius natu-ræ principium est, ad rerum spiritualium distinctionem considerationem, progre-diendum sit, & rerum naturalium quedam sint ingenitæ & immortales, quedam genitæ & mortales, 5. cap. I. de part. de illis primo, cum sint aliorū cause. 6. cap. 8. phys. differendum fuit, præsertim cum primo etiam motu agitentur, que sunt celestia corpora, de quibus libris duobus de celo dictum est. Ex genitis autem & mortalibus, primasunt elementa corporum, que ab Aristotele dicuntur, ab aliis elementa simpli citer, quia ex elementis cetera. 7. & 8. 2. de gener. & cor. quare eorum consideratio prima erit, & ea omnia, que ortui & interitui subiecta sunt, antecedet, quia de primis prius dif-ferendum esse, scientię & methodi ratio exigit, ut principio Physico. ostend- sum est.

De elementis autem non solum, numerum, potentias, gravitatem & levitatem.

Ratio metho-  
di.

leuitatem, sed etiam mutuę generationis modum, causas & principia consideranda esse. Aristot. admonuit, toto fere lib. 3. presentim in fine, generationem enim aut omnino non esse aut in his dumtaxat elementis, & quae ex illis constant esse, lib. 3. cap. 1. & 3. quasi dicit, proprium & primum generationis & interitus subiectum, esse elementa quatuor. Quare cum ex motu lib. 4. de cælo, & grauitate atque leuitate, quae sunt illius motus potentiae & principia, collectus sit numerus elementorum, reliquum est ad explicandum, quod de generatione & interitu, lib. 3. explicandum proposuit, atque ideo hæc doctrina generationis & interitus, cum libris de cælo coheret, & necessario coniuncta est, ut quæ de elementis proposuit, cohærenti sermone explicitur, ne doctrina diuellat, quæ rei natura, & ratio methodi coniunxit. Philop. hac etiam deductione vtitur, & connexionem huius doctrine, & lib. de cælo expendit. Eundem ordinem confirmat transitio, lib. 4. extremi de cælo, & principijs de generatione & corruptione, particulis uer & s' deuincta, inquit enim, de graui quidem & leui, quæ sunt motus elementorum principia dictum est, de generationis autem & interitus eorum causis nunc dicendum est. Quin etiam principio meteorologicæ, distributis partibus physicæ prioribus, secundam de cælo, tertiam de generatione & interitu esse voluit.

De his differentiis clementi  
rū. c. 3. lib. 1.

Præterea, cum differentiarum innentio, in explicandarei natura, maximum momentum habeat, & elementorum differentia, vel ex potentiis grauitate & leuitate, vel ex affectibus & patibilibus qualitatibus, desumenda sint, ut extremo lib. 3. de cælo Aristot. admonuit, explicanda prius erat ratio mutuæ generationis, alterationis & mutationis elementorum, ut exactius colligerentur elementorum differentiae ex qualitatibus, quibus illæ mutationes perficiuntur, quare his mutationibus explicatis, elementorum numerum ex qualitatibus, lib. 2. inuestigauit, quem ex grauitate & leuitate, lib. 4. de cælo inuestigauerat.

Hinc intelligi potest, esse hos libros de generat. particulam quandam doctrine in libris de cælo instituta, cum de elementis quædam in eis sint proposita, quæ hī tantum libris explicitur, ut generatio, alteratio, tactus, mistio, differentia & numerus ex qualitatibus desumptus, de generatione enim lib. 3. de cælo, veterum tantum sententie refutantur, in horum autem primo, vera sententia confirmatur, atque etiam intelligitur, cur aliquando hi libri de elementis ab Aristot. appellantur, ut lib. 2. de Anim. & lib. de sens. & sensib. cap. 4. nempe quod in eis generatio elementorum propria, & qualitates explicitur, sed inscriptio ab Aristot. proposita, non est de elementis, sed de generatione, ut autor est Galenus, lib. 1. de elementis,

Altera ratio  
ex Aristotelis  
testimonio.

Tertia ratio,  
ex rei subiec-  
tæ doctrina,

Consecutari  
primum.

cum enim causam redderet, quamobrem Hippocrates, librum de natura inscripsit, non de elementis, inquit. Nihil refert, videmus enim veteres fere omnes, libros suos de natura inscrisisse, ut Melissum, Parmenidem, Empedoclem, Alcmeonem, Gorgiam, Prodicum, ceterosque omnes. Quin etiam Aristot. in libris de cælo, & in libris de generatione & interitu, agit de elementis, item Chrysippus in libro de substantia: at neuter tamen suos libros de elementis inscrisit, potuit igitur Aristot. libros inscriptos de generat. & inter. de elementis appellare, cum generatio hæc, sit elementorum propria, & de elementis sit in illis disputatio suscepta, inscrisit tamen de generatione & interitu. Libuit autem Galeni testimonium adscribere, quod in eo expressa sit nostra sententia, tractationem de elementis libris de cælo & generat. contineri, atque ideo coniunctam & coherentem esse eorum librorum doctrinam.

Consecrariū  
secundum.

Ex his constat cur libris de cælo, 3. & 4. explicatae sint prius potentie elementorum gravitas & levitas, quibus loco mouentur, & posterius his libris generatio, cum hæc prior sit, qua substantia rei comparatur, quam loci mutatio, quæ genitam & perfectam substantiam consequitur: cur etiam his libris de accretione disseratur, quæ non est elementorum, sed viuentium propria. Ratio enim primi est; quia absolute & simpliciter latio est primus motuum, & mutationum, in aliquo tamen prior est generatio, consequitur latio, ut explicauimus similitudine actus & potentie, lib. 8. Physic. cap. 7. ratio secundi est: quia perfecta rei doctrina, quæ similia videntur esse distinguit, ne similitudo causa sit deceptionis, ut in plerisque contingit, accretio autem videtur quedam esse generatio, neque sine partis quadam generatione fit: atque ideo accretio fuit explicanda, ut à generatione distingueretur.

## Subiectum huius libri.

**S**Cholastica sententia affirmat, esse ens naturale, vel mobile ad formam, ut quemadmodum physicæ totius subiectum afferitur ens naturale: ita partibus scientiæ, partes subiecti attribuantur, ens quidem mobile ad locum, libris de cælo, ens mobile ad formam, libris de generatione. Vera quidem sententia, sed simpliciter & non satis accuratè explicata. Quare ut exactè explicetur, quædā nobis ponenda sunt. Vnum ex lib. I. de demonstratione, c. 5. subiectum scientiæ de quo affectiones perse demonstrantur, proprium esse, & reciprocari cum eisdem, quod ipsi primò & quatenus ipsum attribuantur, aliter

aliter sophysticam, & ex accidenti, siue per aliud, scientiam fieri. Sic de Triangulo per se primo demonstrari, habere tres angulos duobus rectis equales, non de isosceli, de animali sensituum, non de homine, de hoc subiecto scientia explicat principia, partes & species distinguit, affectiones per se demonstrat, ut sit perfecte una, ut eodem lib. I. explicatum est. Alterum principium est, ex c. 23. 2. physico. cap. 7. physicæ considerationis illa propriè esse, que cum mouent mouentur: atque ideo de mouente tres esse tractationes, unam de mouente omnino immobili metaphysicā, reliquas physicās, de mobili immortali, in libris de cælo, de mobili mortali in reliquis physicæ partibus: quare consentaneum est huic principio, ex diuersitate mobilium, propria subiecta partium physicæ colligere. Quamuis igitur verum esse existimem, ens mobile ad formam esse huius libri proprium & adæquatum subiectum. Si pronaturali, mobili usurpetur, ut sit quod ex insito principio, ad formam siue substantialem, siue accidentariam mutatur, & motus generaliter sit, etiam que propriè mutatio dicitur, ut collegi ex Arist. principio tertij Physici: aperi tor tamen erit & exactior hæc sententia. Elementa quatuor, quatenus qualitatibus patibilibus affecta, oriri, interire, misceri, & alterari possunt, subiectum huius doctrinæ constituunt. Explicatio est, elementorum multiplex est consideratio, una, quatenus grauia aut levia loco mouentur, altera, quatenus ratione contrariarum qualitatum, gigni & interire possunt, ter tia quatenus varie afficiuntur, in constitutione misti imperfecti, prima consideratio ad lib. de cælo, altera ad librum de generatione, tertia ad meteorologiam pertinet, ratio prima sit, quia subiectum illud est adæquatum, cui per se primo, omnes affectiones per se conueniunt: sed omnis generatio, interitus, alteratio, mistio, que his libris explicantur, elementis ea ratione conueniunt, ceteris autem per elementa, elementa igitur hec, erunt proprium & adæquatum huius doctrinæ subiectum. Altera ratio sit, quia omnia que his libris continentur, ad elementa quatuor referuntur, ita si aliis attribui videntur, id est, quatenus ex elementis sunt concreta. Ex his constat primo discrimen huius sententie à priori illa communi & scholastica, non esse in re, sed in explicatione positum, illa enim, ens mobile ad formam, quid aut quale sit non explicat, hec autem nostra explicat. Est autem à nobis ex Aristot. collecta, & ea collectio in ratione ordinis explicata est: eam etiam attingit D. Tho. cum inquit principio huius libri, elementa sunt causa generationis & corruptionis in omnibus aliis corporibus, quasi dicat esse prima, quibus generatio & interitus attribuitur, & per ipsa omnibus aliis. constat secundo, ratio formalis sub qua, de elementis hic agitur, nempè quatenus ad aliquam formam siue substantialem siue accidentariam mutari possunt: atque ideo huius mu-

tationis omnes causæ explicantur, sive insitæ materia, & forma, sive exter-  
næ, ut solis latio in circulo obliquo. Si quis autem querat alias subiecti scibi  
lis proprietates, & cur de his quæ sunt ita intereunt, possit esse scientia, cum tā  
tum sit de æternis, quæ neque oriuntur, neque intereunt, dictum est à nobis  
suo loco, nempè I.lib.de demonstratione, cap.I. & 7.

## Diuīsio hūlū doctrinæ.

**E**ST in duos libros: priori explicantur generatio, corruptio, alteratio, ac-  
cretio, & ea sine quibus generatio nō esset, actio, passio, tactus, missio: po-  
steriori libro hæc ipsa, clementis quatuor, tanquam proprio subiecto,  
accommodantur, explicatis omnibus causis genera-  
tionis, & permissionis eorum.

CAP.

## C A P V T P R I M V M.

Text. i.



Enerationis autē & interitus, omnium pariter, quæ natura gignūtur, & intereunt, causæ distinguēdæ sunt & rationes : ac retio item, & alteratio quid sit, & utrum generationis & alterationis eandem esse naturam existimandū sit, an diuersam, vt nominibus etiam distincta sunt. Veterum igitur quidam generationem simplicem dictam, alterationem esse dicunt : quidam autem diuersam, quicunque enim vniuersum vnum esse dicunt, & ex uno omnia generant, generationem esse alterationem dicant, necesse est, & quod propriæ generantur alterari: quicunque verò plura quam vnum, materiā esse statuūt, vt Empedocles Anaxagoras & Leucippus, hi diuersum: quanquam Anaxagoras propriam vocem ignoravit, ait enim, generari & interire, idē esse quod alterari, cum tamen elementa plura esse dicat, sicut & alij. Empedocles enim elementa corporea quanto, omnia verò, adiunctis mouētibus, sex numero. Anaxagoras autem infinita, Leucippus & Democritus. Ille

enim similia elementa statuit. vt os, carnem, & medullam, & cætera quorum pars synonima est, hoc est eiusdem nominis & rationis. Democritus & Leucippus, ex individuis corporibus, cætera constare affirmant: & hæc esse infinita multitudine, & formis: ipsa autē inter se differre his, ex quibus sunt, & horum situ, & ordine. Contraria autem videtur affirmare Anaxagoras, iis, quæ Empedocles. Hic enim ignem, aquam, aerem & terram, quatuor esse elementa, ac simpliciora carne, osse, & reliquis huiusmodi similaribus: ille verò, hæc esse simplicia & elementa, terram verò, ignem, & aërem composta, siquidem horum, vniuersale seminariū existere. Qui ergo ex uno omnia constitūt, iij generationem & interitum, esse alterationem dicant necesse est: semper enim manere subiectum idem & vnum, hoc verò alterari dicimus, qui verò plura genera faciūt, iij differre generationē ab alteratione. Coeuntibus enim ac dissolutis, generatio existit ac interitus, quamobrem & Empedocles ita inquit, naturanullius est, sed solum mi-

A 4 stio,

## Liber primus

stio, & mistorum recōciliatio.  
Itaque hunc sermonem illo-  
rum positioni consentaneum  
esse, & eos ita asserere, mani-  
festum est. Idem autem alte-  
rationem aliquid esse, præter  
generationē dicant oportet,  
hoc tamen fieri nequit, secū-  
dum ea, quæ ab illis dicuntur:  
quod rectè à nobis dici, non  
est difficile videre. Ut enim  
videmus quiescente substanc-  
ia, mutationem in ipsa ad ma-  
gnitudinem, quæ accretio, &  
decretio vocatur, sic & altera-  
tionē: at nihilominus, ex his  
quæ dicunt, qui plura princi-  
pia faciunt, impossibile est al-  
terari. Siquidem affectiones  
per quas hoc contingere di-  
cimus, differentiæ elemento-  
rum sunt: verbi gratia, calidū  
& frigidum, album & nigrū,  
siccum & humidum, molle  
& durum, & reliqua, ut etiā  
Empedocles inquit, solem  
quidem album videri & cali-  
dum omnino, imbre vero  
in omnibus caliginosum &  
frigidum. Eodem autem mo-  
do de reliquis statuit, qua-  
re si neque ex igne aqua, ne-  
que ex aqua terra fieri po-  
test, neq; ex albo nigrum erit  
vllum, neque ex molli durū,  
eadem verò & de cæteris ra-  
tio, sed hoc erat alteratio: an  
& manifestum est, vnam sem-

per contrariis esse subiicien-  
dam materiam, siue mutetur  
secundum locum, siue secun-  
dum accretionem, & decre-  
tionem, siue secundum alte-  
rationem? adhuc autem pa-  
riter necessarium hoc esse, &  
alterationem. Nam si altera-  
tio est, & vnum elementum  
subiectum est, & vna est, om-  
nium quæ mutationem mu-  
tuā habent, materia: et si sub-  
iectum vnum, est alteratio.

Empedocles autem vide-  
tur cōtraria dicere, & iis quæ  
apparent, & ipse sibi. Simul  
enim alterum elementum,  
ex altero fieri negat, sed ex  
his alia omnia fieri affirmat.  
Simulque vbi vniuersam na-  
turam, excepta discordia, in  
vnum coegit, rursus ex uno  
fieri vnumquodque affirmat,  
ita ut ex uno aliquo, segre-  
gatis scilicet per differentias  
aliquas, & affectiones, hoc  
quidem euaserit aqua, illud  
autem ignis: sicuti asserit so-  
lem quidem album & cali-  
dum, terram verò grauem &  
duram. Ablatis igitur his dif-  
ferentiis, (sunt enim inductæ  
tales quæ auferri possint:) ma-  
nifestum est, necesse esse, &  
terram ex aqua fieri, & aquā  
ex terra, similiter autem &  
aliorum vnumquodque, non  
solum tunc, sed etiam nunc,  
si affe-

si affectionibus mutetur. Pos-  
sunt autem, consentanee his  
qua dixit, aduenire, & rursus  
secedere, præsertim pugna-  
tibus ad huc inter se, secundū  
ipsum, lite & amicitia. Quam  
obrem & tunc, ex uno genita  
fuerant: non enim cum adhuc  
essent ignis, & aqua, & terra,  
vnum erat ipsum omne. Obs-  
curum vero est & illum, vtrū  
ipsorum sit statuendum prin-  
cipium, an ipsum vnū, an ipsa  
multa, dico autem, ignem, ter-  
ram, & his cognata. Quate-  
nus enim ut materia subiici-  
tur, ex quo mutata per motū  
fiūt terra & ignis, ipsum vnū,  
elementum est, quatenus au-  
tem hoc quidem fit ex com-  
positione illorum coeuntiū,  
illa autem ex dissolutione, il-  
lam agis elemēta sunt, & prio-  
ra natura.

### *Capitis primi explicatio.*

Quælio de  
codem &  
diuerso ad defi-  
nitionem per-  
tinet inquit,  
1. Top. Arist.

**P**RIORIS libri de Gene-  
rat. & interitu duæ sunt  
principales partes. Una  
explicat generationis  
& corruptionis naturam, & distin-  
guit ab aliis motibus: neque enim  
natura rei explicari potest, nisi dif-  
ferentia propria constituta, quæ ex  
huiusmodi distinctione colligitur:  
atque ideo, hęc distinctio, ad natu-  
ram rei explicandam pertinet: Al-  
tera pars libri explicat ea, quæ ad  
generationē necessaria sunt, actio-  
nē, passionē, tactum, misionē. Sed  
c. i. tres sūt partes, una est libri pro-

positio, altera recenset veterum de  
generatione sententias, quæ est Ari-  
stotelis cōsuetudo & veterū philo-  
sophorum, cuius causas lib. 1. phys.  
c. 2. explicauit. Propositas denique  
sententias tertia pars expendit, vt  
quid omnes sententias, quid Empe-  
docles & Anaxagoræ proprias cō-  
sequatur, & quæ illis consentanea  
sint intelligatur.

Principio igitur est huiusmodi  
propositio, omnia cōplete: de qui  
bus differendū est, dicā generatim,  
quid sit naturalis generatio, & cor-  
ruption, explicatis causis & rationi-  
bus earū, quomodo ab accretione  
& alteratione distinguātur, & vtrū  
sint, vt nominibus, sic re distincta,  
an potius eadē. Propositionis tres  
sunt partes. Prima generalem pro-  
mittit considerationem generatio-  
nis & interitus, hoc est cōmunem  
omniū quæ fiūt & intercūt, & ideo  
elementorum propriā, quia omnia  
generationi subiecta, vel elementa  
sunt vel ex elementis concrera. Di-  
catur igitur cōmuni respectu eo-  
rū quæ ex elemētis componuntur,  
quorū est propria generatio, vt me-  
teorologicorū, & viuentiū, de qui-  
bus erit suis locis propria genera-  
tionis doctrina. Naturalis autem  
generatio & interitus dicitur, ad  
distinctionē earum, quæ electione  
vt amicitiæ, inimicitiæ, & quæ arte  
fiunt, vt artificialium, & violentiæ  
de qua dictum est, c. cap. 5. physici.  
In altera parte scientifica explicati-  
o promittitur, ex causis & ratio-  
nibus: causæ autem debent esse ac  
cōmodatę, inquit Arist. 3. c. 2. phys.  
nemp̄ vniuersalium vniuersali-  
es, specialium speciales: quare li-  
cet huiusmodi generationis cōmu-  
nis, causę sint vniuersales, sunt ta-

A 5 men

Liber primus

mē accōmodatæ ipsi generationi vniuersaliter sumptę, & ideo illius proprię. Explicabit autē materiā, formā 3. cap. 1. lib. & in generatio-ne finis idē est cum forma, 7. cap. 2. phys. efficientem, 10. cap. libri 2. rationes vocat, non definitiones quia cum constet ex causis, qui causas explicat, definitiones con-constituit, sed modos efficiendi, vt actione, tactu, accessu & recessu, vt sol est causa generationis & interitus. Tertia pars, distinctionem ge-nerationis & interitus, ab aliis mo-tibus, ideo promittit, quod sciētiæ proprium sit, quę similia videntur, distingue-re, cum similitudo plerū que causa sit deceptionis, vnde fre-quentissima est in veteribus Philo-sophis similium & dissimilium cō-sideratio inquit Galē. lib. de dogm. Hipp. & Platon. hæc igitur omnia generaliter explicāda esse, illis ver-bis expressit ( omnium pariter) ὅμοιας κεν πάντες quia non aliter po-test esse omnium pariter considera-tio, nisi communis sit & generalis, cum vniuersale omnia comprehē-dat sibi subiecta, & quod vniuersa-liter dicitur, semel tantum dici, oportet, vt explicatur principio libri de partib. anim. eodem mo-do usurpat ὅμοιας pariter, 9. cap. 1. meteorologici. Adnotam in ra-tione ordinis, (autem,) dē particu-lam, connectere hanc doctrinam, cum extremo lib. 4. de cælo, vt ex omnibus vna perfecta doctrina de elementis componatur, non solū quatenus grauia aut levia sunt, sed etiam quatenus contrariis affecta qualitatibus gigni & interire pos-sunt. Illa nominum distin&gio, alte-rationis & generationis, quę argu-mento solet esse, res subiectas di-

stingui, sic est accipienda, quod ge-neratio ἀλλος aliud facit alteratio ἀλλος ov immutatum quodammodo, & alteratum, vt Philop. ex Homerō ostendit & Amon. in Porph. de differentia. Hæc Aristoteles, in hac totius doctrinæ propositione. In altera parte capit is est hæc sen-tētia: duæ sunt veterū physicorum opinione, vna, quę generationem simpliciter & absolutè dictam, id est substantiæ, eandem facit cum al-teratione, quę generatio quodam modo & cuiusdam dicitur: altera quę diuersam. quamuis enim hoc expreſſis & conceptis verbis non asseruerint: hoc tamen congruen-ter illorum principiis asserendum fuisse, si sibi constare vellent, & po-ſitionem tueri, posteā intelligetur.

Prioris sententiaæ autores sunt, qui omnia vnum esse id est vno tan-tū principio, veluti ex materia fieri afferunt, vt Thales ex aqua, Ana-ximenes & Diogenes ex aere. Ea-dem enim quæſtio est de numero entium, & principiorum, vt con-ſtituit 1. phys. cap. 2. cum enim prin-cipia sint, quę neque ex alijs, ne-que ex se vicissim, sed ex ipsis omnia fiūt, principium præsertim ma-teriale, idem ſemper manere im-mutatum oportet: quare idem est veteribus, vnum esse omnia, atque ex vno principio omnia fieri.

Posterioris sententiaæ autores sunt, qui principia materialia plura esse dicūt, vt Empedocles, Anaxago-ras, Leucippus & Democritus. Em-pedocles quatuor elemēta materiā rerum esse affirmat, mouentes cau-sas duas, litem & amicitiam, Ana-xagoras infinita homogenea, & ſimi-laria eiusdem rationis, quorum congeriem, vt autor est Lucretius

Hæ sententia-  
icce: sentur.  
4. i. phys. 2.  
c. i. de anim.  
3. i. meth. his  
quidem aqua  
vel aer. Hopa  
fo & Heracli  
to ignis, vul-  
go non tamē  
villi philoso-  
pho, terra 7.  
1. methaph.  
de aliis sente-  
tiis constituē-  
tibus mediū  
inter aerem  
& ignem. 4.  
c. i. phys.

lib. 1.

lib. 1. ὁμοιομερίαν, vocavit causam mouentem, cuius hic Aristot. non meminit, diuinam mentem Democritus, & Leucippus infinitas atomos, in seipsis distinctas figuris, ut aliæ sint quadratae, aliæ sphæricæ, aliæ aliis predictæ figuris: in corruptione situ & ordine distinctas: ut literæ in his vocibus Roma & amor ordine differunt: situ autem Z. & N.

Corollarium, sententiæ Empedoclis & Anaxagoræ omnino discrepant, ratio, quia Empedocli elementa simplicia sunt caro, os, & alia similaria, ex elementis cōposita: Anaxagoræ cōtra, similaria illa, simplicia sunt, elementa, ex illis cōposita: quia omnia ex similaribus cōponit, & eius nomen retinere, quod vincit & in cōpositione superat: vt ignem esse, quia plures illius partes sint, quam alterius elementi, & ex consequenti elemēta quæ Empedocli. Simplicia vidētur, Anaxagoræ composita esse ex similaribus: de eisdē sententiis plura à nobis primo physico. dicta sunt.

In tertia parte capitū hęc sententiā proponitur. Vt sententię asserēti, vnum esse principium rerū omnīū, consentaneū est, eandem esse generationem & alterationem, sic asserenti plura esse principia, generationem non esse alterationē: sed autores posterioris sententiæ, consenteant suis principiis nō asseruerunt. Ratio primi est, omnis mutatio in qua subiectum manet idem & vnum, idem quidem substantia, vnum autē numero, hoc est, substantia penitus immutata, alteratio est: veteribus physicis asserētibus, vnu esse rerum omnium principiū, generatio erat huiusmodi mutatio: veteribus ergo physicis, generatio est

alteratio. Propositio illustrari potest ex distinctione motus & mutationis proposita ab Arist. 2. cap. 5. physici, nempè subiectum motus vt alterationis, esse ens actu, vel substantiam compositam, subiectum autem mutationis, vt generationis, esse ens potentia id est materiā primam, quę ab una forma substantiali in alteram commutetur, & ita ex non substantia: quadam fiat quædā substantia, itaque, ex hac distinctione entis, actu & potentia, potuit Aristot. generationē ab alteratione distinguere: veteres autem, quia eandem actu substantiam volunt in rebus genitis permanere immutatam, idem subiectum actu alterationis & generationis efficiunt, & ex consequenti, generationem ab alteratione distinguere non possunt. Assumptio constat ex natura principiū, quod in re genita permanere oportet, quia ex ipso omnia, & ipsum ex alio fieri nō potest, atque ideo manet in re genita: cū autem hoc ipsum asseruissent substantiam quandam compositam vt vnu ex elementis, subiectum generationis substantiam compositam affirmauerunt, quæ maneret in omnibus genitis eadē & vna numero.

Ratio secundi est, quia plura assertores principia, eisdem coeūtibus & congregatis res gignunt, secretis & separatis, easdē interimunt: sed vario situ & ordine coeuntiū principiorū, alterationem fieri, vt ex sententia Democriti c. 2. proximo explicabitur, & Empedoclis testimoniō nunc cōfirmatur, cū inquit, nulli<sup>9</sup> rei alia natura est, sed mistio solum & mistorū reconciliatio aut fœdus, quod Empedocli inquit Philop. est idem, quod congregatio

## Liber primus

tio, id est *διαλέξις* idē atq; *συγκροσίς* eos tamen autores consentienter principiis non locutos, cum generationem eandem cum alteratione faciunt, in rationibus tertię partis constabit. Sed licet viderentur hi autores, generationē ab alteratione distinguere, & ita apparere possit ex eorum sententia, re ipsa tamen non distinguebant, ut explicat Arist. 7.c.3. de cælo, quia non constituerunt vñā primam materiam, quæ tantum esset ens potentia, & non actu substantia. Hac enim sententia & natura primæ materiæ sublata, generatio simplex aut substatiæ, ab alteratione distincta esse non potest, ut constabit. cap. 3.8.c. 1. Phys. 8. cap. 3. de cælo. Id verò constat, quia congregatio generatio propriè nō est, ut illi asseruere, sed potius alteratio quædam. Vult igitur Aristot. illos videri, distinctisse generationē ab alteratione, & eam distinctionem, suis principiis consentire, licet vera distinctione non sit. Obseruabis eandem primæ rationis propositionem de accretione & latione, de omni deniq; motuveram esse, sed in alteratione proponi, quia id erat proposito consentaneum. Itaque mutatio quæ sit, subiecto eodem, & uno secundū numerum, permanente, motus est, siue ad quantitatem, siue ad ubi, siue ad qualitatem, cum in his omnibus, quia accidentia sunt, eadem numero substantia permanēt, subiectum sit: sed dicitur esse alteratio specialiter, & non motus generaliter: quia concludendum erat, generationem veteribus physicis eandem fuisse cum alteratione, vel quia omnem motum alterationem quandam vocat, quatenus

subiectum omnium sit substantia composita.

Ratio tertij multiplex est, vna contra Anaxagoram, tres contra Empedoclem: contra Anaxagorā huiusmodi est. Quod propriā ipsius vocem ignorauerit: hoc est, non expendit suam sentētiā exacte, neque vim illius pōderauit, quod est, non congruenter suę sententię, generationem ab alteratione non distinxisse. Cum enim plura constituisset principia, & congregationē diceret esse generationē, potuit alterationē distinctam cōstituere, in situ & ordine eorum principiorū, ut ante explicauimus, & tamen non constituit, quin potius affirmat, generationem esse alterationem, & quod gignitur, alterari. Vel dicitur ignorare propriam vocem, non quidem suam sententiam non expendens. Sed non animaduertens generationis proprietatem, cum eam cum alteratione confundat, & alteram pro altera usurpet. Prior explicatio, verbis Aristot. & proposito, magis consentire videtur, sed posterioris autor est Alexand. apud simpl. 1. Phys. com. 30. & videtur confirmari posse ex Aristot. text. 33.1. physici.

Prima ratio contra Empedoclē est, si ex affectione vna, non fit altera, ut ex calido non fit frigidum, neque ex albo nigrum, neque ex molli durum non est alteratio: (cū ea non sit aliud quām in huiusmodi affectionibus mutatio) sed Empedocli ex vna affectione non fit altera: Empedocli igitur non est alteratio, assumptio ex dogmatis Empedoclis colligitur, ipse enim asseruit, elementa, cum sint principia, non mutari, & ex consequenti

Prima expos.  
sitio.

Secunda.

quentineque formas elementorū, quas ille dicit esse huiusmodi affectiones, vt calidum, frigidum, album, nigrum, molle, durū: manent igitur Empedocli elementa immutata, & eorum formæ, quia his mutatis, mutari elementa necesse esset, & ex consequenti, illius sententia, nulla fuerit alteratio. Adducuntur ad huius confirmationem, Empedoclis carmina, in quibus solēm id est ignem dicit esse album & calidum, (cælestia enim ignea stant, & pars pro toto figurata, vt poetarum mos est, ponitur) imbrē etiam, simili ratione aquam appellat, caliginosam, & frigidam.

Altera ratio contra Emp. quia & iis quæ apparent, & propriæ sententiæ non consentit, non quidē iis quæ apparet, quia sæpe experimur, aquam ex alio elemēto fieri, vt cū ex vapore concreto aqua sit, & denique alia elementa ex aliis. neque etiam sibi ipsi, is enim urgente & imperante amicitia, elementa in vnum corpus vuniforme conuenire afferuit, quod sphērō vocabit, quasi globosum & rotundum. In hac autem coniunctione elementa singula, proprias differentias abiicere necesse erat, alioquin nō esset illud corpus vuniforme: imperante autē lite & discordia, afferuit, ex eodem sphēro, adueniētibus elementorū differentiis, partibus sphēri, elemēta separari, propriis affecta differētiis. Ex his conficitur, elemēta gigni posse, quod tamen Emp. negauit. Si enim mutatis qualitatibus, mutari elementa necesse est, & in sphēro mutantur elementorum qualitates, alioquin nō esset vuniforme, sed vna parte vnum elementum, altera parte alterū referret, quid est cur

extra sphērum, eadem qualitatēs mutari nō possunt, & ex consequēti, gigni & interire elementa? quare Emp. afferens sphērum ex elementis compositum, esse vuniforme, & elemēta qualitatibus immutabilia, sibi ipsi repugnat: cum sphērum vuniforme esse non possit, si elemēta qualitatibus non mutentur.

Tertia ratio contra Emp. quia non potest ex illius sententia constare, quod nam sit principium rerum materiale. Est enim de ratione principij, primū esse & simplex: Emped. autem quatenus ex sphēro elementa gignit, facit sphērum simplex & primum, quatenus verò ex elementis sphērum, facit elementa priora & simpliciora: quare cum afferat, in his esse alternam & perpetuam vicissitudinem: non potest certo definire, sint ne elementa quatuor, an sphērum, prima terum omnium materia.

Ex hac disputatione cōtra Emp. colligimus duas Aristotelis sententias, vnam de ratione differendi in physica, alteram de subiecto alterationis. Ratio differendi, sit rebus naturalibus, & iis quæ apparet consentanea, hoc est non separata à materia sensibili, vt mathematica disputatio. Naturalia enim sunt quæ plerunq;, & magna ex parte, eodem modo eveniunt coniuncta cū materia sensibili, cōmuni & nō singulari, sint igitur rationes physicae cum eadem materia coniunctæ, & rebus quæ plerūque apparent cōsentientes: alioquin non erunt homogeneæ & cognatæ subiecto, vt præceptum est, 1. lib. de demonstratione. Præterea si verum vero consentit, 8. c. 1. Ethic. ad Nicom. & sen-

## Liber primus

& sensus in his quæ apparent, circa propria sensibilia falli non potest, imò verò semper dicit verū, ut explicabitur lib. 2. de Anim. debet etiam ratio quæ mentis operatio ne cōcluditur de rebus physicis, cū his quæ apparent consentire. Quod si non consentiat, sensui est magis quā rationi credendum, rationi verò, cum ea quæ demonstrantur, consentiunt cum his quæ sensibus percipiuntur, inquit Aristot. 10. cap. 3. libri de generat. Anim. & 8. cap. 5. libri, naturā subiicimus, ratione ducta ex iis quæ cernimus. lib. 1. de cælo, cap. 10. Eas vult esse ratas in physica sententias, quæ in omnibus aut multis, cum ipso sensu consenserint, & lib. 2. cap. 13: Pythagorēos reprehendit, quod non opiniones sensibus, sed contrà, sensus opinionibus alligauerint: sensus enim cum valet, nec impeditur vel interuallo vel organo, vel alieno obiecto, vere iudicat, ab eius obseruatione & experientia ad mentem progressio est Aristotelis, cùm vero sensus impeditur, vera quidem est immutatio, & in ea non fallitur, sed in re obiecta & immutante, sed causas querit ratio, cur immutationi obiectum nō consentiat, vt cū visus iudicat vnu esse duo, cum ramum in aqua fractum esse. & ita 4. lib. Metaphys. cap. 5. & 6. reprehenduntur qui rebus mentem non accommodant, sed tale esse vnumquodque, quale videretur existimant, vt intelligatur sensum plerunque decipi posse ex aliquo impedimento, & ideo mentis considerationem adhibendam esse, ad detegendum deceptionis causas, quare cum duo sint in homine iudicia, sensus & ratio.

nis, si vtrumque valeat rectè, & syn cerum sit, consentire debet, si alterum verò non rectè valeat, alterius animaduersione corrigatur, ab his tamen quæ sensibus certò comperta sunt de propriis sensibilibus, nunquam ratio dissentiet, quia verum vero consentire debet. Hinc Aristot. cap. 2. sequenti repræhendit in physica rationes logicas, id est, communes & non coniunctas cum materia, quia non sunt cognatae, neque iis quæ sensibus apparēt, consentientes, & Aristotelem sectatus Galenus, hoc præceptum sè pè repetit.

Altera sententia, ex hac disputatione cōtra Emped. collecta, proponitur ab Arist. vt firmamentum distinctionis, generationis & alterationis, vt 1. cap. 1. libri de Anim. proposuit aliam sententiam, vt firmamentum disputationis de animalium immortalitate. Sententia hæc est, si est materia, & subiectū commune contrariis excipiendis, alteratio esse potest, si autem illud non sit, neque hęc: itaque alterationis & illius subiecti reciprocatio est, vt uno posito, alterum ponatur, & contrà, immo verò oppositis terminis & contrariis, mutationis aut motus, semper communis materia subiici debet, contraria enim quæ proprie dicuntur, ab eodē subiecto. vicissim se expellunt, alteratio autem est in huiusmodi contrariis: erit igitur subiectū illius, contrariis cōmune. Pugnant certe contraria de subiecti possessione, quod si illud, commune vtriusq; esse non posset, sed vnius cuiusque proprium subiectum esset, nulla esset pugna: hæc autē alteratio est: quare illius subiectum illud erit, quod vtrumque

con-

contrarium excipere potest: & ita subiectum commune excludit cælestia corpora, quia eorum materia, contrariorum receptuia non est, & ideo & alterius rationis à materia inferiorum.

Consecutarium, Rechè Arist. quāvis afferat unam esse communem materiam. & unum principium materiale rerum omnium naturaliū, potest generationē ab alteratione distinguere: veteres autem aliquod ex elementis principium materiale statuentes distinguere non possunt. Quia materia illa, est suaptenatura informis, omnibus tamen formis substancialibus excipiē dis accommodata, & ideo tantum est mutationis in substantia, proprium subiectum, ut substantia cōposita est alterationis & omnis motus, quod pauloante exposuimus. Principium autem illud materiale veterum, est substantia composita, quae quia principium est, oportet sit ingenitum, ut est etiam materia illa communis Aristotelis, & ex consequenti, idem statuitur subiectum alterationis & mutationis in substantia, à veteribus, quod idem numero maneat, sub utroque termino mutationis aut motus, neque illa potest statui generationis & alterationis distinctio: cūm hęc distinctionem subiecti consequatur: veteribus autem subiecti utriusque nulla distinctio est, vt est Aristote. quod supra explicauimus. Quare cūm Aristot. unum communem subiectum mutationis posuerit informe, & potentia potuit generationem ab alteratione distinguere illiverò, quia ens actu mutationis & motus, non potuerunt distinguere. Item quia Aristot. pr-

ter materiam primam, formam quæ esset alia substantia, illi vnam tantum materiam forma omissa lib. 2. cap. 10. & ideo idem est veteribus omnia esse ex uno elemento, & omnia esse illius substantiæ, si quidem materiale principium tantum est substantia, quę cum esset immutabilis, quia principium, generatio nulla esset, sed tantum alteratio, afferebant tamen plures modos mutationum, vt congregatiōnem, secretionem, mutationem in ordine & situ, quorum alterum collatum cum altero vocabant generationem, alterum verò alterationem, cūm sit intimior rebus con gregatio: quām situs & ordinis mutatio, & appositionem unius partis ad alteram, dicebant acciētionem, lib. 2. cap. 6. ex his recentiorum dubitatio explicatur. Querunt enim, an sit hęc sententia vera, si impossibilis est generatio, alteratio est impossibilis, quamuis enim necessaria sit utriusque distinctione, vt Aristot. conclusit, & latius deinceps explicabitur, tamen de coniunctione est dubitatio, an semper necessarij cohærent, vel fieri possit, ut altera ab altera diuel latur. Est autem dubitatio de omni alteratione: sed ex distinctione alterationis responderi potest. Quædam enim subiecti perfectiua est, sine abiectione contrarij, quædam autem est corruptio contrarij, illuminatio, visio, perficit subiectum, de priuatione deducendo ad habitum: sed in qualitatibus partilibus alteratio, contrarium expellit. Illa prior alteratio cū generatione coniuncta necessarij nō est: vt cōstat in cælestibus corporibus, quorum est illuminatio: nulla tamen

## Liber primus

tamen generatio esse potest, quia ingenita & immortalia sunt, vt i. lib. de cælo demonstratur. Posterior alteratio si perfecta sit, coniuncta est cum generatione. Itaque si alteratio hæc perfecta sit impossibilis, generatio etiam impossibilis erit. Perfectam voco, quæ ad summam in suo genere intensionē pervenire potest, quod si nō perueniat, sine generatione esse potest. Ratio primi est, quia perfecta alteratio, est agentis naturalis præparatio, ad suæ formæ substantialis inductionem, sed hæc præparatio, ad genitam substantiam ex accidenti terminatur, vt 6. physico ostensum est: perfecta igitur alteratio non est sine consequenti generatione, vt cōstat in calefactione ignis. Ratio primi est, quia sæpe fit mutatio in qualitatibus, quæ propriam subiecti temperiem, non dissoluunt, vt cum homo calefit, humectatur, cùm ægrotat, aut sanatur: non ergo huiusmodi alterationem generatio consequitur: sed erit illa, sine hac, possibilis. Hinc Aristot. lib. 2. de generat. & inter. cap. 4. Quoniam, inquit, simplicia corpora, ex se vicissim generantur, vt sensu percipitur, alioquin non esset alteratio, cùm ea sit secundum tractabilium affectiones, &c.

In recensendis veterum sententiis, morem Aristotelis probamus, i. Physic. cap. 2. Quamuis absolute prior sit veritatis demonstratio, cùm ex illa contraria falsitas illustretur, vt ex virtute vitium, ex distinctione confusio, & rectum sit index sui & obliqui. i. de Anim. cap. 5. & principiorum manifesta veritas falsitatis arguat principiorum opposita. i. lib. de demonstra-

tione, cap. 2. & sapientis est primò veritatem consecutari, deinde deceptions posse detegere principio Elench. & Doctor ecclesiasticus definitur ad Tit. 1. qui amplectitur fidelium sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Recensentur autem veterū sententiæ de principiis, tum i. physico, tum hoc loco, & i. de Anim. & i. metaphysico. quia congruenter suis principiis, de aliis quæstionibus physicis, & primis rerum principiis, quæ metaphysicæ propria sunt, plerunque differunt, vt eisdem locis apertius intelligetur, nunc admonuisse satis sit, ne utilitas, huius repetitionis sententiarum veterum iguoretur.

### *Disputatio ad Caput pri- mum. An corruptio sit naturalis?*

**Q**uoniam Aristoteles proposuit, se de ortu & interitu naturali disputaturum, atque ortum naturalem esse, cùm ad rerum conservationem, ex insita propensione immortalitatis, vt explicatur 4. c. 2. libri de Anim. referatur, nullus dubitare possit præsertim cùm via ad naturā sit natura, i. cap. 2. phys. & generatio sit hæc via, de interitu tantum naturali disputatio proponitur, cùm is generationi naturali aduersetur. rationes dubitandi due sint, Prima, omnis interitus est cōtra naturalem appetitionem: (quia omnis natura appetit & efficit quod melius est. c. 8. 2. physici, & c. 6. 8. & melius est esse quam non esse vivere quam non vivere, i. c. 2. lib. de

lib. de generat. animal.) non est igitur aliquis interitus naturalis. Secundum ratio dubitandi, imbecillitas ut in animalibus sene<sup>c</sup>tus, in plantis ariditas præter naturam esse dicuntur 6.c.2.de cælo, quia sunt viæ ad interitum: ergo multo magis interitus, quia propter vnumquodq; tale, & illud magis est. 2.c.1.de demost.

Ad dissoluendam dubitationem statuatur hæc conclusio, quāuis simpliciter, & ratione formæ, nullus interitus sit naturalis: ratione tamen materiae ex elemētis concretæ, vel absolutè ratione materiae elemētorum communis, interitus est naturalis. explicitur conclusio ex distinctione rei naturalis, hæc enim constat forma & materia, illa est actus essentialis, hæc est potētia ad eundem: actus verò proprium est, constituere in propria specie, & ipsius esse originem esse, cum omnia sint in actu, per actu, qui forma est. materia verò, vel est subiecta contrariis, ut elemētorum, & aliorum, quæ ex elemētis concreta sunt, vel nullis contrariis subiici potest: ut cœlestium corporum: illa cōstituit res interitū obnoxias, hæc liberas ab omni interitu, ingenitas & immortales. item illa, vel consideratur cum sola omnis formæ priuatione, vel præparata ad formam, primo modo communis est, secundo modo propria. Ratio primi est, vñū quodq; simpliciter est per formam: sed forma est principiū ipsius esse: ergo simpliciter, vel ratione formæ, nullus interitus naturalis esse potest. est enim interitus mutatio ab esse ad non esse, cui repugnat essentia formæ, quatenus est ipsius esse principiū. itaq; formæ interitus ex materia prouenit, cui mortalis for-

ma immersa est: quod si nō sit, vt rationalis, immortalis perseverat. Ratio secundi, quia materia ut communis, suaptè natura appetit omnes formas, quas excipere potest, vt autem propria, habet qualitatū temperie, quā, quia constat ex contrariis in se inuicē agentibus, aliquādo dissolui necesse est: ergo ratione materiae, erit naturalis interitus: cū appetitio illa materię naturalis, nisi abiecta una forma, aliā excipiatur, ex pleris nō potest: illa verò abiectio formæ interitus est, & naturalis, quia cōse quens naturalē materiae appetitionē, dissoluta etiā temperie, necesse est interitū rei consequi, cū nihil nisi in propria materia consistere possit, propriā verò efficit illa tēperies cuiq; formę accōmadata. neq; mirū videri debet quædā rebus natura libus ratione formæ, quædā ratione materiae conuenire: cum altera sit actus, altera potētia, &c, vt in viuētibus multa ratione necessitatis, id est materię, quædā etiam gratia finis & formę, sēpè in libris de partibus & gener. anim. docet Arist. sic etiā in nō viuentibus multa eueniunt. continua autē actione & passione qualitatū in omni re naturali tēperiem labefactari, & tandem dissolui, colleges ex Arist. 6.c.2.de cælo. c.3.1.10. c.2.de gene. & inter. & 7.c.1. & vlt. c.4.lib.de gener.anim. & 1.c.de iuuent. & senect. vnde, quāuis ingenta & immortalia, ut cœlestia, habeat insitam propensionē vt semper sint: genita tamē & mortalia ratione formę propensa sunt ad esse, ratione materię ad nō esse: & nisi forma sit in aliqua operatione à cōcretione materię omnino libera, vt rationalis, vincit appetitus materię ad nō esse, & interitū inducit: quia formæ

## Liber primus

reliquæ à materia omnino pēdēnt,  
& ideo res ipsæ ex huiusmodi for-  
mis & materia cōstantes, naturali-  
ter dicuntur mortales, & interitui  
subiectæ.

C&ci. Milen.  
c. i. Araufic.  
s. i. Trid. ses.  
4. Theologi.  
3. sent. d. 16.  
& D. Th. t.p.  
q. 14. artic. 1.  
& 3.

Sed ab huiusmodi interitu & mor-  
te naturali corporis ex elemētis cō-  
positi, excipiēdus est homo: quāuis  
enim ex natura materiæ mortalib[us] di-  
ci posset, & esset naturaliter: tamen  
cū à Deo cōditus sit ex dono super-  
naturali immortalis, mors homi-  
nis naturalis vlla ratione dici nō po-  
test, neq; ex natura materiæ & corpo-  
ris orta, sed potius ex peccato. hoc  
enim cōmisso, primi parētes sibi &  
toti posteritati donū illud superna-  
turale amittentes, mortales effecti  
sunt: atq; mortis origo fuit peccatū,  
non natura: vt quod naturā materiæ  
humanæ per se consequeretur, si ni-  
hil supernaturale à Deo accepisset,  
id ex peccato, nō autē ex natura, cō-  
secutū verè dicamus, si diuinæ scri-  
pturæ congruēter sentire velimus.  
ex his causis esse&tū est, vt rerū om-  
nium naturalium propria sit perio-  
dus, quā vltra citraq; nō consistant  
naturaliter, his causis interitus ex-  
ceptis, quæ extrinsecus accedunt,  
quarū consideratio physica nō est.  
Ad vtranq; rationē dubitandi ex di-  
stinctione antecedētis respōdetur.  
est enim interitus cōtra naturā rei,  
quę simpliciter & ratione formę cō-  
sideratur, non autē ratione materiæ  
ex elemētis concretæ, vt explicata  
est.

### C A P. II.

Text. 4.



N vniuersum autem  
de generatione, & in-  
teritu simplici, dicē-

dum est, vtrum est, annon est,  
& quomodo est, & de aliis sim-  
plicibus motibus, vt de accre-  
tione, & alteratione. Plato igit Text. 5.  
tur de generatione duntaxat  
& interitu considerauit, quo-  
modo rebus inest: & de gene-  
ratione non omni, sed ea, quæ  
elementorum est: quomodo  
autē carnes, vel ossa, vel alia-  
rum huiusmodi rerū aliqua ni-  
hil. prēterea nec de alteratio-  
ne, nec de accretione, quomo-  
do rebus insunt: omnino autē,  
nisi superficie tenus nemo,  
Democrito excepto, vllam rē  
cognouit. hic autē omnium cu-  
rā habuisse videtur, sed in mo-  
do differt. Neq; enim de accre-  
tione quisquā aliquid statuit,  
mea quidē sentētia, nisi quod  
quiuis dicere potuisset, quōd  
accedēte simili augētur, quo-  
modo autē id non amplius, ne-  
que demistione, nec vt ita di-  
xerim, de quouis alio, vt de  
actione & passione, quo pacto  
hoc quidē faciat, illud autē pa-  
tiatur naturales effectiones.  
Democrit⁹ autē & Leucippus  
inducentes figuræ, ex his ge-  
nerationem & alterationē ef-  
ficiunt: segregatione quidem  
& cōgregatione, generationē  
& interitum: ordine autem &  
situ alterationē. quoniam autē  
verum in eo quod apparet, cō-  
sistere existimabant, cōtraria  
autem

autē & infinita, quę apparent, figuræ infinitas inducebāt: ita vt mutatione eius quod cōpo nebatur, idē alij atq; alij cōtra rium videretur, & conuertere tur paruo admisto, atq; omni no alterum appareret vno cō uero. ex eisdem enim literis tragœdia & comœdia fit.

### Capitis secundi explicatio.

**A** Dhuc c. 2. veterū sentētiæ de generatione, & aliis motibus expenduntur. Capitis duæ partes sunt: prior veterē physicam in sufficiētia arguit: posterior cōtra Platonis & Democriti sentētias differit, sed pr̄cedit hęc proposito, dicā de generatione & interitu simplici, idest cōmuni, & omnium rerum, ratione elementorū, quibus primocō perit, & de aliis motibus simplicib; idest, vniuersè & generatim: sic enim simpliciter dicitur aliquando alioquin, quod proprię. In priori est hæc sententia: imperfecta est & insufficiētus physica de generatio ne, & aliis motibus. ratio inter veteres enim phylosophos pr̄cipui habiti sunt, Plato & Democrit. neuter tamē perfectè generationē & alias motus explicuit. Plato enim in Timo generat quidē elementa ex superficiebus, aliarū vero rerū ut carnis, ossis generationē non explicat. quāuis enim aliqua de his attigerit, nihil tamē firmū, aut verisimile attulit, & quasi suorum principiorum oblitus, non docet, ea ex superficiebus gigni. Democritus, autem, qui vñus ex omnibus videtur, accuratius

in studiū rerum naturaliū incubuisse, & ea statuisse principia, quę ad omniū rerum generationē explicandā, satis esse videantur, vt coniūctio ne atomorū omnia fieri, secrezione interire, collocatione & situ alterati, noua accessione augeri: tamen de accretione nihil differuit, quod non quiuis homo de vulgo differere posset, nēpe accedente simili & accommodato alimento, accretionē fieri: quo autem modo fiat, quod physica explicatione maximē indiget, non differuit. omissit etiam mistionis, actionis & passionis, necessariā ad rerū ortum & interitū, explicatio nē. docuit etiā suis principiis cōsen tiēter, causas infinitarum figurarū, quę plerunq; nobis apparēt, vt in colubē collo ex reflexione solis & diuerlo situ, interdū cōrūle, interdū aureus, interdū nigricans color. voluit enim, rei huius duas esse causas: vñā eius, quod cōponebatur mutationem, hoc est alicuius atomi, quę cū aliis cōponebatur, trāflationem & variationē, quę cum infinitis modis distingui posset, infinitas etiā effici figuræ, vt vasi, cono, angulis si coniungerentur, varia esset figura, semper tamē ea vere esset, quę sensim appareret, licet atomorū trāflatio nē sensum lateret, vt Z. & N. produ uersa ad oculū habitudine, diuersa sunt elementa. itaq; vnius, aut alterius atomi admistio & noua cōpositio, ad variandā figuram satis erat. altera causa est, diuersus ordo & situs manentiū atomorum, sine noua alicuius externi cōpositione, quam causam secundam vocat Arist. con uersionem saltē vnius atomi, sicuti primam vocat, compositionem cum altero, cui sententię consentit distinctio scholastica compositio.

Liber primus

nis, cū his, & ex his, vel in, & ex his. exemplum secundæ causæ est elem̄entorum conuersio & situs, in comœdia & tragœdia cōpositione: cum enim sint eadem elementa, cōuersio tamen & dispositio efficit, quæ valdè diuersa sunt, comœdiā & tragœdiā. quare ex his duabus causis infinitarum ferè figurarum causas Democritus assignauit, existimans, quæ apparet omnia, re ipsa existere. contra quam sententiam Arist. disputauit 4. metaphysi co. capitibus 5. & 6. sc̄o Alexand. & aliorum plures & diuersas esse explicationes, sed hēc verbis Arist. magis consentanea videtur, ut figurae sint corporum ex atomis comp̄itorum, causæ sint, vel alicuius atomi noua comp̄ositio, vel manentium in comp̄ito atomorū diuersus ordo & collocatio. sed si quis hēc omnia ad primam causam reuocare velit, infinitas atomorū figuræ cōsiderabit: vnde fit, vt vnius atomi accessio, propter diuersam figuram, & manentium diuersus situs, diuersas comp̄itorū figuræ cōst̄ueret. hēc de priori parte capit.

Text. 6.

**Q**uoniam autē, omnibus ferè videtur, aliud esse generatio atque alteratio, & generari & corrumpi, dum cōgregantur & segregantur, alterari autem, mutatis affectionibus, de his considerandū est scientibus. habent enim hēc dubitationes multas, & rationi consentaneas. nam si generatio sit congregatio, multasce quantur impossibilia, contrā autē sunt aliæ rationes, quæ vr-

gent, neq; ad soluendū faciles, quod aliter res se habere non possit: & nisi generatio sit congregatio, vel omnino nō sit generatio, vel sit alteratio. An Text. 7. quāuis hoc sit difficilē ad dissoluendū, tamen experiendū est, principiū autem horū omnium, vtrum res sic gignantur, alterētur, & augeantur, & his cōtraria patiācur, ita vt primæ magnitudines indiuiduæ sint, an nulla sit indiuidua magnitudo. refert enim plurimum. ac rursus, si magnitudines indiuiduæ, vtrū corpora hēc sint, quē admodum Democritus & Leucippus afferūt, an superficies, quemadmodū in Timæo scriptū est. hoc ipsum igitur, vt & in aliis diximus, vsq; ad superficies dissoluere, alienū est à ratione. quamobrē magis rationi consentaneum est, corpora esse indiuidua: sed & hēc in multis rationi repugnant, cæterū his, vt suprà dixi, alteratio & generatio cōstare potest, conuersione & tactu idem mutando, & figurarum differētiis, vt facit Democritus, qua propter colorem negat esse: conuersione enim colorari iis autem, qui in superficies dissoluunt, non itē. nihil enim fit pr̄ter solida, planis compositis inlatitudinem, affectionē autem vllā, ex ipsis generare, ne aggre-

Text. 8.

aggreduuntur quidem. Causa autem, cur neq; omnibus recepta perspicere possint, est in experientia, quamobrem quicūq; in physicis magis versatim, magis etiam possunt, eiusmodi principia ponere, quę plerūq; cōsentire possint. quicunq; autē ex multis rationibus, ea quę sunt non expendunt, pauca respicientes, facile pronuntiāt, ex quo etiam facile, qui vis intelligat, physicè & logicè differentibus, quantū intersit, quod enim attinet ad individuas, magnitudines ponēdas, hi quidē aiunt, quod ipsum per se triangulum, multa erit. Democritus autē propriis & physicis rationibus, persuasus videtur, vt in progressu constabit, habet enim dubitationē, si quis corpus aliquod & magnitudinem posuerit, omni ex parte diuiduā, & hoc possibile. quid enim erit, quod diuisionem effugiat. si enim omni ex parte diuidua, & hoc possibile, & simul hæc omni ex parte diuisa fuerit, & si non simul hæc diuisa fuerit, & si hoc fiat, nihil vtiq; erit impossibile. quare & per mediū similiter, atq; in summa, si omni ex parte diuidi apta est, si diuisa fuerit, nullum impossibile eueniet, quoniam neq; si in decies millies denamillia diuisa

fuerit, vllum erit impossibile, quamvis fortasse nemo diuise rit. quando igitur omni ex parte corpus tale est, diuidatur. quid ergo reliquum erit? magnitudo, at sieri nō potest. esset enim aliquid non diuisum. erat autem omni ex parte diuidea. quod si nullū erit corpus, neq; magnitudo, & tamē diuisionio erit, velex punctis constabit, & expertia erunt magnitudinis ea, ex quibus constabit, vel nihil omnino, quare si ex nihilo fiat, & composita sit, & totum sanè nihil erit, sed apparenſ. similiter autem si ex punctis non erit quantum. cū enim in vna sese tangebant. magnitudine, & vna erat magnitudo, & omnia simul erant, nihilo maius reddebant ipsum totum: diuiso enim in duo, vel plura, nihilo minus, aut maius ipsum totum, eo quod antē: quare & si omnia composita fuerint, nullam cōstituent magnitudinē, quod si diuiso corpore quiddam quasi ramentum sit, & sic ex magnitudine corpus aliquod secedit, eadem sit ratio: quomodo illud diuidūm. si autem non corpus, sed forma aliqua vel affectio, quod secessit, estque ipsa magnitudo puncta, vel tactus hoc modo se habentes, absurdum est ex non magnitudinibus

B 3 dinibus

## Liber primus

dinibus magnitudinem esse. præterea autem ubi erunt? & immobilia an mobilia puncta. tactus autem semper duorum quorūdam unus est: quasi aliquod sit præter tactum, & divisionem & punctum. ac sane si quis posuerit quodcunq; vel quantumcunq; corpus esse omni ex parte diuiduū, omnia hæc sequuntur. præterea, si cū diuisero, composuero lignū, vel aliquid aliud, iterum equele & vnum erit, ergo hoc sanè se habet modo si lignum per quodcunq; signum diuisero. omni itaque ex parte diuisum est potentia, quid igitur ex divisione super est? nam si aliqua affectio est: at quomodo in has dissoluitur, & fit ex his? aut quomodo hæ separantur? quamobrem si fieri non potest, vt ex tactibus & punctis magnitudines sint: corpora in diuidua & magnitudines esse oportet.

### *J Explicatio.*

**A**lterius partis, sententia est, de generatione, alteratione & aliis motibus, quorum explicatio quamvis in varias sententias, ex diuersis rationibus & dubitationibus, quæ generationem congregationem esse, confirmare, vel refellere videntur, distinguatur: Platonis tamen sententia improbabilior est, quam Democriti, sed nulla verisi-

milis. duo sunt nobis probanda, vnu est, sententiam Democriti probabilem esse Platonis sententia: alterum est neutram esse verisimilem, primum tribus argumentis conficitur: secundum verò, vnicō tantum: sed ad omnium exactam intelligentiam, considerabis, Platonis & Democriti sententiam, in afferendis magnitudinibus individuis, consentre, dissentire autem, quod Platonis superficies sint huiusmodi magnitudines. Democrito atomi, id est, corpuscula individua & in se cœlia, præterea, Democrito generatio est atomorum congregatio, interitus, secretio: quare cōtra hanc sententiā, & individuas magnitudines, alterius partis argumenta concluduntur. probabilem igitur esse sententiam Democriti, hæc tria argumenta efficiunt. Primum, quia Democriti sententia, generationem ab interitu & alteratione distingue potest, cùm atomorum concretio, generatio illius sit, secretio sit interitus, ordo & situs mutatus, alteratio sit. nec enim qualitates re vera fieri existimat, sed apparere tantum, non existere, vt de coloribus variis in collo columbae, & in Iride, physici existimant: huius autem apparentiae causam esse conuersiōnem, id est, varium situm & ordinem atomorum, hæc quidem conuenienter suis principiis Democritus, quamvis re ipsa generationis ab alteratione distinctio nulla sit in hac sententia, vt admonuit Arist. 7. c. tertij libri de Celo. Plato nullam generationis qualitatum & colorum causam, nec verisimilem quidem, si suis principiis congruenter differat, aferre potest. ex planis enim solida componit, & nihil amplius.

plius. at mathematica nullum naturalem affectum inducere possunt, cùm sint à materia sensibili sciunta, physica autem, cum eadem materia coniuncta. Secundum argumentum ex primo deducitur, Democriti enim principia rebus naturalibus cognata videri possunt, cū ex corporibus minimis corpora maiora componat, & affectus corporum, ex situ minimorum apparere. plana autem Platonis cum rebus physicis, quam cognitionem habere possunt? cùm hæc sint cum materia sensibili coniuncta, illa verò sint ab eadem materia abiuncta, vt 2.c. 2.phys. ostensum est, est autē. 1.lib. de demonstratione, multis argumētis syngenia & cognatio, ostēsā necessaria in scītiis, vt omnia ex propriis explicitur. Tertium argumētum, quia Plato rerum naturalium inexpertus, & in mathematicis multum & diu versatus, non potuit probabilem de physicis sentētiam afferre: potuit autem Democritus, in obseruationibus rerum naturalium valdè exercitatus, adeò vt prēnimo rerum naturalium studio, ciuibus suis visus sit aliquando insaniare, Hippocrati autē sapientissimè vitam instituere. ex his concludit Aristot. quantum inter sit physicē & logicē disputātibus. hoc est, ex propriis & consentaneis rerum naturalium principiis, quæ sint ex obseruatione & experiētia: & ex alienis & communib. Logicum enim solet Aristot. vocare, vel quod probabile est, vel quod commune, vt est dialectica, communis ratio differendi, & nullius rei propria argumenta suppeditare potest. sic autem in lib. de demonstratione opponuntur logicum & analyticum, hic autē phy-

sicum ut proprium, & logicum ut commune, quo sensu hīc usurpatur. Plato igitur rerū naturalium inexpertus, paucis inspectis, facile & temere, de principiis & causis generationis rerum naturalium, pronunciavit: similis est etiam comprehensio Democriti vlt:c. 5. lib. de generat. anim. in explicandis causis generationis dentium priorum. sed probat Arist. communia & mathematica principia esse Platonis, nō physica, ad probandum magnitudines individuas, Democriti autem consentanea & accommodata, propositis vtriusq; rationibus. Platonis ratio concludens magnitudinem individuam hæc est. si enim omnis magnitudo dividua est, & nulla dividua, erit etiam dividuum triangulū per se, hoc est idēa triāguli: sed falsum est secundum, esset enim aliquid prius trianguli idēa, quod tamē esse non potest, cum idēa sit primum cuius similitudine reliqua fiunt, vt explicabitur lib. 2. c. 9. falsum igitur & primum, atque ita erit aliqua magnitudo individua, quam Plato vult esse superficiem. sic Plato mathematica, idēst, separata à materia naturali, ad physicam attulit non consentaneè: & ex intellectu & immaterialibus, ad sensum & sensibilia descendit: Aristoteles contrà à sensu & materialibus, ad intellectum & immaterialia ascendit. vt constat ex 8. Phys. & extremo lib. 2. de generat. & interi. Hæc quidem argumentatio Platonis in scriptis operibus non reperitur, fortasse refertur inter dogmata non scripta, quorum meminit 2.c.4. Phys. Cæterum, triangulum esse individuum duebus modis intelligitur, vel in resolutione demonstrationis.

B 4      vel

## Liber primus

vel in quantitate. primo modo Aristoteli est individuum. 11. c. 1. lib. magn. moral. omnes enim de geometricis figuris demonstrationes, ad triangulum renocantur, & ideo illius demonstratio, elementū aliarum dicitur. altero modo individuum esse non potest, quia ex lineis constat, quae in infinitum diuiduae sunt, quare individuum triangulū per se, vt ideam, nō vt quantum, fortassis intellexit Plato: sed Arist. quod verbis propriè significatur, reprehendit. Hæc est Platonis argumentatio, ad confirmandas individuas magnitudines, ex alienis deducta: Democriti ex accommodatis & propriis sic potest disponi. Si prius textus, ita illustretur: si magnitudo sit diuidua, & habeat hanc naturam possibilis, siue actu fuerit omniaquaq; diuisa, siue nō fuerit, satis est, quod si fiat hoc & ponatur actu diuisa, nullum impossibile sequetur, etiam si per medium omne diuidatur, vt nihil superfit diuidendum: quo posito sic concludatur. Si omnis magnitudo semper diuidua est, ponatur actu diuisa ( possibili enim posito, nullum sequitur impossibile, quam uis nemo diuidere possit: ) at secundum falsum est, ergo & primum: itaq; erit aliqua magnitudo individua, quā Democritus vocat atomū. Assumptionis confirmatio est, quia si magnitudo sit actu diuisa, aut in ea, quae sint magnitudines, aut puncta, aut nihil: quæ omnia absurdā sunt & impossibilia, nec enim magnitudines esse possunt, quia ponitur magnitudo actu diuisa, & positioni repugnat, superesse magnitudinem diuiduam: neq; etiā puncta, esset enim magnitudo ex individuis punctis composita: & puncta

addita, aut detracta augerēt & imminuerent quantum, & sibi ipsis cohererent: quæ omnia & physico fieri non posse, demonstratum est. manifestum etiam est, nihilum esse nō posse: quia magnitudo ex illo, non esset revera existens, sed tantū apprens: & ex nihilo nihil fieri posse 4. c. 1. Physici, receptum est omnibus physicis principium: quare si nihil horum esse potest: non potest magnitude poni actu diuisa. sed occurrit etiā obiectioni Democritus, dicaret enim aliquis, ex magnitudine actu diuisa nihil supereſſe nisi ramentum, aut scobs, vt ex sectione marmoris, aut ligni decidere potest, refutatio huius respōſionis est, ex eadem fere ratione. aut enim ramentum illud corporeum est, & diuiduum, vel incorporeum & individuum: primum repugnat positioni, quod diuisa sit actu magnitudo, & aliquid illius diuiduum supersit, secundum, cum non possit esse quantum, & individuum, vt ante conclusimus, erit affectio, vel forma individua, vt punctum. sed hoc esse non posse, cōstat primo, quia nihil aliud esset magnitudo, quam puncta coniuncta, quod refutauimus & esset qualitas & affectus, à subiecto separatus, vt ramentum separatur, vel quantum compositum esset ex qualitatibus, vel affectibus non quātis. Secundo, quia illa puncta nulibi esent, vt esse videmus ramenta, nec etiam potentia, vt partes: cum individua loco contineri non possint, neq; magnitudinis partes sint, neq; se tangere possint: quia tactus unus, est duorum habentium extrema, puncta vero, cum non sint quanta, nec extrema habere possunt, sed ipsa potius quanti extrema sunt: & quod

4.5. phys. tan  
gentium ex-  
trema simul  
sunt.

quod est in loco , sua extremitate, corporis ambientis extremitatem contingit, punctum autem extremitas est, non tamē extremitatem habet , & ideo diuisio vocatur h̄ic , & 6. Physico . quia diuisas quanti partes, actu definit. tertio , quia diuisa magnitudo æqualis est omnino , iis in quæ diuisa est, coniunctis , & contraria: sed puncta coniuncta, magnitudini æqualia esse non possunt , cū ex indiuiduis, magnitudo componi nō possit, in qua æqualitas & in æqualitas propriæ spectantur: nō potest, ergo magnitudo in puncta diuidi. dicuntur verò pūcta, notæ & signa, quia partium distinctio punctis notatur & designatur, vel potentia, cū facta nō est diuisio, vel actu, cūm facta est. Quare cū Democritus existimaret, h̄ec omnia absurdā effici, quia magnitudo omnis diuidua ponitur, asseruit esse magnitudines in diuiduas, quas atomos vocauit, & ex his, vt accommodatis principiis, corpora naturalia fieri docuit, consentaneæ quidem , & non logicè , vt Plato conclusit, sed falsò, vt statim constabit.

Text.9.

**V**erùm certè & h̄ec ponentibus, nō minus eueniet impossibile. consideratum autem de his est in aliis. Sed h̄ec soluere conandum est: quare iterum ab initio repetenda dubitatio est. omne igitur corpus sensibile, diuiduū esse per quodcunq; signum, & indiuiduum, nullū absurdum est: alterum enim potētia, alterum actu inherit. esse autem simul omni ex parte diuiduum potē

tia, impossibile videatur esse. si enim possibile, fiat vtiq; , nō vt ambo simul sint, actu indiuidum, & diuisum, sed diuisum per vnumquodq; signum, nihil igitur erit reliquum, & corpus in incorporeum diuisum erit & corruptum : & si rursus fiat, vel ex punctis, vel ex nihilo: at hoc, qui fieri potest? ceterum diuidi inseparabilia , & semper in minores magnitudines , & distantes ac separatas manifestum est. nec sanè per partes diuideti erit infinita sectio, nec simul concedetur diuisum esse per quodcunq; signum, (impossibile enim) sed quadā tenus. Necesse est igitur inesse indiuiduas magnitudines nō aspectabiles: pr̄ferim si est generatio & interitus, hic quidem segregatio, illa autem cōgregatione. Ratio igitur , quæ cogere videatur , ad ponendas indiuiduas magnitudines h̄ec est. quod autem in eo paralogismo , & vbi latet, dicamus. quoniam enim punctus , puncto contiguus nō est, hoc quod dicimus omni ex parte diuiduum, est quatenus magnitudinibus cōueniat, est etiam quatenus minimè. Videtur autem cum hoc positum fuerit, & vbiq; , & in omni parte punctum esse , vt necessarium sit diuisam esse

B 5 magnitudi-

## Liber primus

magnitudinē in nihilum: in omni enim parte punctum esse: quare, vel extantibus, vel ex punctis esse. est autem quatenus illud, omni ex parte conueniat, quod vnum vbiq; est, & omnia vt vnuquodq; plura autem uno nō sunt: non enim deinceps sunt, quare non omni ex parte. si enim per mediū diuidua sit, & per punctum cōtiguum diuidua erit. non enim signum signo, aut punctum pūcto cohēret. hoc autem est diuisio & cōpositio. quamobrē est & congregatio & segregatio, sed non in indiuidua, neq; ex indiuiduis, (multa enim absurdā efficerentur,) neque sic vt omni ex parte diuisio fiat: (hoc enim eueniret, si pūctus pūcto contiguus esset:) sed in parua & minora, & congregatio ex minoribus. Cæterum non congregatione & segregatione, simplex & perfecta generatio definita est, eam autem, quæ est in continuo mutationem, alterationem esse. atq; hoc est omnium errorum principium, est enim simplex generatio & interitus non cōgregatione & segregatione, sed cūm mutatū fuerit ex hoc in hoc: ii verò opinātur omnē talem mutationem esse alterationem, hoc autem differt.

**Text. 10.** In subiecto enim hoc quidem

est secundum rationem, hoc autem secundum materiam, cūm igitur in his mutatio fuerit, generatio erit, vel interitus: quando autem in affectionibus, & secundum accidens alteratio. segregata autem & congregata faciliora, vel difficiilia ad intereundum reddūtur. nam si quidem in minores aquulas aqua diuisa fuerit, citius aér oritur, sin autem congregata, tardius, id autē aperiūtū erit infrā. Nunc illud vnu constitutum sit, non posse generationem esse congregacionem, qualem quidam asserūt.

### ¶ Explicatio.

Hæc enim priorem partem sententię confirmavimus, probabilem esse Democriti sententiam: restat posterior probāda, neutram esse verisimilem. ratio est, quia argumenta utriusque sententiæ falsa sunt, & sententiam nō concludunt: quare sententiæ veræ non sunt. argumentorum falsitas ex dissolutione constat. sed argumēta Platonis pro-indiuiduis magnitudinibus lib. 3. de cœlo refutata sunt, restat refutāda Democriti argumentatio supra conclusa. refutatio est in refellēdo illo firmamento, si est omnis magnitudo diuidua, ponatur actu diuisa. primum quidem, magnitudinē esse diuiduam, non simpliciter intelligitur, sed quocunq; signo & pūcto potentia est diuidua, actu indiuidua. deinde, etiam si potentia sit diuidua, non sequitur actu diuisam, in omnē partem,

De hac diuisione conti-  
nui. 7. c. 3.  
phys.

partem constitui posse. esse enim continuum omniquaque dividuum, quadam tenus verum est, quadam tenuis verum non est: si enim intelligatur (omniquaque) quod in quauis magnitudinis parte, est punctum potentia, in quo diuisio fieri potest, & omnia puncta sunt eiusdem conditionis (quod est, omnia esse unumquaque) quia in quauis parte punctum accipi potest, verum erit illud, (omniquaque;) si autem intelligatur, (omniquaque;) quod in omnibus punctis continuata serie, fieri possit diuisio, verum non erit: quia puncta continua non sunt. atq; ideo licet diuisio fiat in omni punto, sed nunquam sit in punto cohærenti, cum cohære-re non possint. hoc autem secundo modo accipit Democritus, continuum esse omniquaque dividuum, nempe punctis sibi cohærentibus, & ex consequenti videbatur sibi recte cōcludere, diuisione continui in puncta, & compositionem ex punctis. quod si negetur cohærentia & contactus punctorum, vt negari oportere ē. physico. demonstratum est, nulla absurdum Democriti efficiuntur, neque concludet illius argumentatio esse individuas magnitudines, & atomos, quarum congregatio, sit generatio, secretio sit interitus, mutatio in continuo, id est, mutatio in ordine & situ, cum manent in continuo, sit alteratio. At verò contraria res se habet, cum mutatio ex hoc in hoc, sine congregacione & secretione, sit generatio & interitus, quatenus in subiecto, id est, substantia compo-sita, aliud sit secundum rationem, nempē forma, unde præcipue ratio & definitio sumitur, aliud secundū materiā, in quibus sic est mutatio, quod materia unam formā abiicit,

& alteram excipit, ratione prioris, est interitus, ratione posterioris, genera-tio, quod si manente & salua substantia in affectionibus & accidentibus sit mutatio, erit alteratio, quæ primo & per se est ad accidentia, quæ sint qualitates terriæ speciei, & uno nomine affectiones, vel passio-nes dicuntur. hęc sententia de diui-duo omniquaque, scholasticè dicitur hoc modo apertius. potētia omnis ad actum suæ naturæ cōsentaneum reducitur, vt rei permanentis, ad cōpletum & permanentem rei succe-siuæ, vt temporis & motus, ad suc-cessuum & non completum. sic di-citur esse hic dies, quia in successio-ne labitur, non quia completus & simul possit esse. huiusmodi est diuisio continui omniquaque, quia diuisio diuisione in infinitum succedit, non quia completa omnibus parti-bus esse possit, vt intellexit Demo-crit. cum possit diuisam actu magna-tudinem, infinitas secundū suc-cessionem diuisiones cōsequi. actu itaq; diuisioneis vt temporis, est in fieri, non in facto esse, vel in actu potē-tiæ coniuncto, vt ait 3. phys. Arist.

Ex quibus tandem cōcludit Arist. congregationem & secretionem ad facilem, aut difficilem ortum & interitum, aliquid efficere: vt aqua diuisa in plures partes, facilis in va-pores & aëra conuertitur, & putrefacit, coniuncta difficilius: non tamen erit generatio illa congregatio, neque interitus erit secretio, vt dictū est, & deinceps apertius ostendetur. Non igitur negamus, continui diui-sionem subinde in minores partes fieri, & in corporibus esse cōgrega-tionem & secretionem, utilem ple-rumq; ad ortum & interitum: individuas tamen & minimas magnitudi-nes,

# Liber primus

nes, quarum congregatio genera-  
tio sit, secretio sit ortus, omnino ne-  
gamus, vt etiam 6.physico. & 3.lib.  
de celo, & in lib. de lineis insestili-  
bus, ostensum est.

## ¶ Disputationes ad cap. II.

**M**ulta à recentioribus latinis  
disputari solent, quæ breviter expe-  
diemus. primo quidem, an ea quæ  
apparent, re ipsa, vt apparer, existat,  
quia Democritus colores appa-  
re, & non existere afferuit, sed hæc  
disputatio propria est 4.metap.c.5.  
& 6.si generaliter concipiatur. spe-  
cialiter autem concepta, vel secun-  
di de anim. vel tertij meteorologi-  
ci, cum de Iridis coloribus disseri-  
tur. deinde quæri solet, cōponatur  
ne continuū ex punctis, quod 6.phy-  
sico. disputatum est. Tertiò, an con-  
tinuum sit omniquaq; diuiduū, vel  
secundum omne punctum & signū,  
vt Democritus voluit concludere,  
quod alibi dicit Arist. in infinitum  
diuiduum, vel in semper diuidua?  
responderi potest ex quanti, vel con-  
tinui distinctione, aut enim sumitur  
vt quantum mathematicè, vel physi-  
cè, vt accidens rei naturalis, formæ  
accōmodatum, primo modo in infi-  
nitum diuidi potest, in partes æqua-  
les, nō quantitate, sic enim finietur  
diuisio, vt si in decē partes, iis abla-  
tis, nihil restabit diuidendum, sed  
proportione, vt si unaquæq; pars in  
duo dimidia, quod admonuit 3.phy-  
sico. Aristot. neque ex his sequitur  
in essentialiter ordinatis esse infini-  
tam progressionem, quasi totum cō-  
tinuum ex suis partibus essentiali-  
ter pendeat: non enim pendet ex il-

lis nisi accidentario quoddam ordi-  
ne, à materia autem & forma pen-  
det essentialiter: cū plures, aut pau-  
ciores partes, maiores, aut minores  
habere accidentarium sit, diuiduū  
autem esse in partes, ad rationem  
quantitatis pertinet. Altero modo, quā-  
tum, quia finitæ formæ naturalis ac-  
cidens est, ad eius operationes, par-  
tium compositionem, accommoda-  
tum, finitum est utroq; termino ma-  
ximo & minimo, tam in viuentibus,  
quam non viuentibus homogeneis,  
& heterogeneis. in homogeneis  
enim etiam finita est vis formæ per  
se, ex accidenti tamen in infinitum  
crescere dixit Arist. 2.lib. de anim.  
c. 4. quatenus ex pluribus additis  
maiora euadunt, quasi vñit. pluri-  
bus individuis, quæ vt ex diuisione  
constat, per se consistere possunt.  
Itaq; ex illis fit vnum imperfecte, &  
externa additione, vnum tamen per  
se in quo natura possit consistere, de  
finitum est utroq; termino magnitu-  
dinis & paruitatis: sic Arist. princi-  
pio libri de iument. & 4.lib. de gene-  
rat. anim. c.4. insecta animalia, di-  
cuntur esse vnum coagmentatione,  
quia plura principia habeant, ex qui-  
bus plura per diuisiōnem consistere  
possunt. Vnde non improbabiliter  
quibusdam videtur, hęc corpora ho-  
mogenea eundem terminum habe-  
re per se magnitudinis & paruita-  
tis: huius quidem quatenus in mino-  
rī non possunt existere, illius autem,  
quatenus alterius partis additio, nō  
propriè & per se constituit, sed co-  
agmentatione singularium, quę per  
se consistere possunt. Sed de his alio  
loco vberius dictū est. Quarto dis-  
putant quidam, præsertim Philop.  
possit ne quantum, ex non quantis  
constituitur res enim naturales ex ma-

z. meth. tex.  
5. in his non  
est infinita  
progressio.

teria

teria & forma componuntur, quæ rāmen quantæ non sunt. sed respondendum est ex non quantis quātum fieri non posse, omne enim quantū, si fiat accretione in viuentibus, ex elemēto sit quanto, si autem sit rei viuentis, cum primum gignitur, vel non viuentis, ex elemētis fieri oportet, quæ sunt prima corpora quanta, ipsa vero elementa ex se vicissim, vt 2.lib.de generat. & inter.demōstrabitur, quod si ipsam etiam primam elemēti ex materia & forma generationem consideres, erit etiā ex corpore quanto, corpus quātum elementi: quia nunquam materia & forma, quantitate & accidentibus destituuntur, quibus mutatis succedit in eādem materiam alia forma, quam consequuntur quantitas & alia accidentia, ratione præcedentis præparationis, quæ efficit ut præcedens quantitas inconsequentem, & propriam formæ inducet mutaretur. itaq; materia & formæ rei naturalis, potentia sunt quantæ, quatenus eas propria consequitur quantitas, individua verò pūcta, neq; actū, neq; potentia quanta sunt, atq; ideo ex illis, quantū constitui non potest. Postremò audent etiam quidā disputare, fieri ne possit aliqua ratio-ne, vt atomi Democriti sint principia rerum naturalium, quasi nō es-set ab Arist. exactè cōtra omnes veteres physicos disputatum, de principiis rerū naturalium, primo physico. sed respōderi potest principia rei naturalis, atomos esse nō posse. ex principiis enim perse fit rei naturalis substantia: (cum sit vna substā-tia per se) ex atomis autem per se, vna substantia fieri non potest: (quia vnum per se fit ex duobus, quorum alterum sit potentia ad actum sub-

stātiālē, alterū sit ipsemē actus, vt ostendit Arist. primo & secundo 8.metaph. atomi autem sunt per se actū existentes, quarum proinde cōiunctio, constituet vnum ex accidēti, & non per se:) atomi igitur principia rei naturalis esse non possunt.

## C A P. III.

Text.ii.



I S autem definitis, principio considerā-dum est, vtrum ali- quid sit, quod simpliciter ge-neretur, & intereat: an pro-priè quidem nihil, semper au-tem ex aliquo, & aliquid. dico autem, vt ex ēgro valens, & ex valente ægrum, aut paruū ex magno, & magnum ex paruo, eodemq; modo cetera omnia, si enim simpliciter generatio erit, fiet simpliciter ex nō ente. itaq; verū fuerit dicere in-esse quibusdam ipsum nō ens, aliqua enim generatio erit ex non ente aliquo, vt ex non albo, vel nō pulchro: generatio verò simplex ex non ente sim- pliciter. ipsum autem simplici-ter, vel primum significat secū-dum vnam quanq; categoriā entis, vel ipsum met vniuersa-le, & omnia continens. si quidē igitur primum generatio sub-stantiae erit ex non substantia: cui autem nō inest substantia, neq; hoc manifestū quod ne-que aliarum categoriarū vlla, verbi

## Liber primus

verbi causa, nec quale, nec quantum, neque ubi. separabiles enim essent affectiones à substantiis. si autem, nō ens, vniuersè accipitur, erit omniū vniuersalis negatio: & ideo ex nihilo necesse erit fieri, quod dignitur. de his quidē in aliis sermonibus dubitatum est, & pluribns definitum: breuiter autem nunc dicendum est, modo quodam ex nō ente simpli- citer res fieri, alio autem modo, semper ex ente. Necesse est enim, cū ens dicatur utro- que modo, præexistere illud, quod est potestate ens, actu autem non ens. sed quod, his etiam definitis admirabilē du- bitationem habet, iterū retrahendū est, quomodo sit ge- nerationis simplex, siue ex ente potētia sit, siue aliter quo- cun-

**Text. 12.** que modo. Quærit enim ali- quis, an sit generatio substan- tiæ, & huius, & non talis, aut tā- ti, aut ubi: eodem autē modo & de interitu. si enim quid ge- neratur, manifestum est, quod erit quædam substantia po- testate, non autem actu, ex qua generatio existet, & inquam necesse est mutari, quod inte- rit. Vnū ergo huic inerit actu, aliquod ex aliis? dico autē hoc modo, vtrum, quod potestate tantum est hoc, & ens, simpli- citer autē, neque hoc, neque

ens, erit quantum, vel quale, vel ubi. Nā si nihil, sed omnia potestate, sequetur & hoc pa- cto non ens esse separabile: illudq; præterea, quod primi phylosophi maximè reformi- darunt, ex nihilo genera- tionem esse. si autē hoc aliquid quidē esse, & substantiam, non conueniet: erunt vt dixi, affe- ctiones separabiles à substan- tiis. De his igitur, quoad fieri potest, exquirendum est, & quænam causa sit, cur genera- tio semper sit, tum simplex, tū quæ secundum partem. Cum **Text. 14.** autem vna causa sit, vnde est principium motus, altera, ma- teria, de hac ipsa agendum est. de illa enim dictum est anteā, in sermonibus de motu: quod hoc quidem semper immobi- le est, illud autem semper mo- tum. ex quibus, de immobili quidem principio per tracta- re, philosophia est: de altero verò, quod reliqua mouet, quia ipsum continenter moue- tur, posterius statuendum est, quæ nam causa sit eorum, quæ singularia dicuntur. Nunc au- tem eam, quæ in specie mate- riæ ponitur, causam prosequa- mur: propter quam generatio & interitus nunquam deserūt naturam. fortassis enim si hoc perspicuum fiat, illud etiam si- mulerit, de quomodo dubita- uimus,

*Capitis tertij explicatio.*

**C**ontra veteres physicos, de principiis generationis & interitus disputatum est, & ostensum est, nihil exactum ab illis traditum esse, neque de generationis & alterationis distinctione, sed tantum generatione esse quādam congregationē, quare ab initio Arist. de his omnibus disputationē aggreditur, quasi nihil à veteribus firmum accepimus. duo autē differuntur c. 3. an sit generatio simplex, vel omnis sit motus & alteratio quādam: quae nā sit causa perpetuae generationis & interitus: ex quibus, quādam cōsectaria, aliis dubitationibus explicādis accommodata, colligentur.

Ad primā quæstionem sit ne simplex generatio, an omnis sit quādā, est hęc ratio dubitandi. si esset generatio simplex, fieri posset ens simpliciter, ex nō ente simpliciter: sed fieri non potest: non est ergo generatio simplex. propositionis ratio est, quia omnis mutatio, ex termino ad quem summit naturā & specie, quare mutatio simplex erit entis simpliciter, & cum sit inter opposita 5. physico. c. 1. erit ex non ente simpliciter: cum termini mutationis sint contradictorij. assumptio probatur: quia vt est duplex usus entis simpliciter, vel vniuersaliter, quicquid est siue accidentis, siue substantia, vel specialiter, quod propriè & per se est, vt substantia: sic etiam non ens simpliciter erit nihil, quod est negatio primi, vel non substantia, quod est negatio secundi, ex neutrō autem non ente simpliciter aliquid fieri: non ex nihilo, vt ostēsum est 4. c. 1. physi. non etiam ex non substantia, quia ablata substantia, nihil

**T**ext. 16. uimus, quid de simplici generatione & interitu afferēdum sit. Habet autem iustum dubitationē, ecquid causæ sit, cur generatio perpetuetur, si qui dem, quod interit, abit in non ens: non ens autem nihil est, neque enim quid, neque quale, neque quātum, neque ubi, ipsum non ens. si ergo semper aliquod entiū recedit, cur nō iam pridem consumptum est, & mane redditum ipsum vniuersum? siquidem finitum est, id ex quo fit vnumquodq; eorum, quæ generantur. neque enim ideo nō deficit, quod infinitum sit, id ex quo fit, cum hoc sit impossibile. actu enim nullum est infinitum, potentia autem quoad diuisiōnem: & ideo oportebat hāc solam esse, quā nō deficeret, eo quod semper aliquid minus fieret: nunc autem id non videmus.

**T**ext. 17. An igitur, quia vnius interitus, sit alterius generatio, & generatio vnius, alterius interitus, nunquam deficere mutationem necesse est. quod igitur generatio & interitus pariter omniū entium sit, hāc putandum est, veram causam esse.

## Liber primus

nihil aliud remanere potest, ut dictum est in categoria substantiae, atque ita fieri ex non substantia esset fieri ex nihilo, quod si ablata substantia, aliquid remanet, esset accidentis à substantia separatum, quod naturaliter fieri non posse constat.

Quod si respondeas breuiter, quod copiosius primo physico explicatum est, fieri ex ente simpliciter, quodammodo, & ex non ente simpliciter alio modo, nempe ex ente potentia, & non ente actu illud quod fit: admirabilis statim dubitatio cōsurgit, an sit solius substantiae, an alia rūm etiani rerū generatio, si enim solius substantiae fieri ex non ente actu, esset fieri ex nō substantia, quod si hæc non sit, neq; nullum accidentis esse poterit, aut erit separatum sine substantia, quod naturaliter esse nō posse dictum est: atq; ideo fieri ex nō ente esset ex nihilo fieri, quod veteres physici semper reformati sunt, quia agens naturale non possit efficiere, aut immutare, nisi subiecta & præexistentem materiam. quamuis igitur illa responsio admittatur, nō dum explicata est illa dubitatio prior, an sit aliqua generatio simplex, sed colligere possumus ex sententia Arist. materiam primam accidentis subiectum propriū esse non posse. si enim fatetur Aristoteles semper manere materiam, quod sit ingenita: & tamen concludit, ablata substantia, aut nullum accidentis remanere posse, aut remanere sine subiecto, id certe videtur asserere, quasi materia prima subiectū illius esse non possit, quamvis autem hic nihil concludat definite Arist. hæc tamē deductio illius principiis cōsentanea est, ut c.4.aperti⁹ explicabitur. hactenus fuit ratio dubitandi

ad priorem quæstionē. deinde sunt ad posteriorem quæstionem aliæ duæ rationes dubitandi, an sit perpetua generatio. prius tamen quæstionem distinguit, sunt enim ex sententia Arist. mundū constituentis æternum, ut constituit i.c.8.phys. duę generationis æternæ & interitus causæ, una efficiens & mouens, vel immobilis & prima, vel quæ mouet & mouetur, illa æternitatis causa est, hæc vicissitudinis generationis & interitus, ut ostēsum est. 6.c.8.phys. & ostendetur. c.10.lib. huius 2. sed causam mouentem perpetuæ generationis hic non querimus, sed materiam, an in ea insit aliqua vis, ut generationis & interitus perpetua sit vicissitudo. & non esse hanc vim in materia rerum naturalium duabus rationibus dubitandi concludit. prior sit.

Si qua intereunt desinunt in non ens, generatio nō est perpetua (hæc enim via, qua itur ad non ens, magis est accommodata ad res omnes abologandas, quam ad conservandam continentem & perpetuam earum generationem.) sed primum verū est: (quia interitus est entis in non ens mutatio) verum igitur secundum, quod perpetua non sit corruptio & generatio. Posterior ratio sic potest cōcludi. si generatio esset perpetua, principia essent infinita, ut sufficerent ad infinitam & perpetuam rerum generationem: (sic veteres cōstituerunt infinita principia, 4.c.1. phys. & 7.c.1.metaph. ut generatio ni perpetua sufficerent.) sed non sunt infinita principia, ut eodē c.4. probatum est, & nullum esse infinitum nisi potentia c.7.3.phys. nō est igitur generatio perpetua.

At dicat aliquis, quamvis principia actu

actu infinita non sint, sunt tamē potentia, ideoq; sufficiunt ad perpetuam & infinitam generationem: vt est continuum potentia infinitū, & tamen eius diuisio finiri potest, vt in fine capitis secūdi explicauimus. Sed respondeat Aristot. neque hac ratione dissoluti dubitationem. Cum enim aliquid sit ab illa materia & p: incipio potentia finito, vel detrahitur aliqua pars æqualis quātute vel proportione: cū his modis cōtinuum quantum diuidi possit, vt explicauit in disputationib: capitis secundi, & finitum & infinitum sint affectiones per se quāti, 3. cap. 1. physi. ) si pars quantitate æqualis consumetur tandem principium, & non erit perpetua generatio, si pars proportione æqualis, ea indies erit minor, & ex consequenti quę generantur, in dies minora euadent, quod tamen plerūque contra experimur, cum euadant maiora. Quare ad retinendam continentem & perpetuam rerum generationem & interitum, non satis est constituere materiam, quæ sit principium potentia & diuisione infinitum.

Hactenus de utraque quæstione dubitatum est, deinceps utraque dissolutur & explicatur, sed prius posterior, nempe quæ nam sit causa perpetuæ generationis, & interitus. responsio est, ideo perpetua est generationis & interitus vicisitudo, quod generatio vnius sit alterius interitus, & contrà: vt cum aqua interit, fit aer, & contra, hoc est, materia semper formæ alicui coniuncta est, per quam actu est, & ea expulsa actione contrariorum, excipit aliam, neque potest sine forma consistere: abiectione prioris est

interitus, receptio posterioris est generatio: atque ita ex mutua contrariorum pugna, generationem vnius alterius interitus consequitur, & contrà. Vnde dissolues ratioes dubitandi, neq; enim quod corruptitur, abit in non ens omnino, & nihilum, sed succedente alio ente aliud interit: & intelligitur, fieri omnia ex ente potentia, & nō ente actu, quia materia prima quę genito & corrupto eadem subiicitur, habet potentiam ad formam aliā excipiendam, & cum ad illam mutatur, habet aliā formam, per quā actu est: ita per se fiunt omnia ex ente potentia, cui accidit, vt sit per aliam formam actu ens, vt primo physico explicatū est. Prior enim forma causa non est, cur posterior oriatur, sed fulcit materiam, quæ posteriorem perse excipit, quare ex materia vt est potentia, per se fit generatio, ex accidēti, vt est actu: sic explicata est posterior dubitatio.

**E**cquid autē causæ sit, cur Text. 18.

Hæc quidem simpliciter fieri dicantur, & interire, illa autem non simpliciter, rursus considerandum est: si quidē pariter est generatio quidem huius, interitus autem illius: & interitus quidem huius, generatio autē illius. Hoc enim quandam rationem inquirit. Dicimus enim, interit nūc simpliciter, & non tantum hoc, & hæc quidem generatio simpliciter, hic autē interitus. hoc autem fit quidem aliquid, nō autem simpliciter. Dicimus

C enim

Liber primus

enim addiscentem fieri quidē scientem, non autem simpliciter fieri: quemadmodum igitur sāpē distinguimus, & dicimus, hæc quidem significare hoc aliquid, illa autem minime, hinc nascitur quod in questione positum est. Interest enim in quæ mutetur quod mutatur: quemadmodum forte ipsa quidem ad ignem via, generatio simplex, interitus autem alicuius, ut terræ: generatio autem terræ, generatio quædam, non autem simpliciter generatio, interitus auté simpliciter, ut ignis. Quemadmodum Parmenides ait, duo esse affirmās, vnum ens, alterum non ens, ignem & terram. Nihil autem refert, siue hoc, siue alia huiusmodi ponamus, modum enim quærimus, non subiectum: via igitur ad non ens simpliciter interitus simplex, quæ autem adens simpliciter, generatio simplex. quibus itaque definitum sit, siue igni & terræ, siue aliis quibusdam, horum alterum erit quidem ens, alterum non ens. Hic igitur unus modus est, quo aliquid simpliciter fieri, & interire differt ab eo quod non simpliciter. Alius autem ex materia qualis illa fuerit: cuius enim differentiæ magis hoc aliquid si-

gnificant, magis substantia: eius verò priuationem, non ens: vt ipsum calidum prædicamentum quoddam & species, frigus autem priuatione differunt autem terra & ignis talibus etiam differētiis: multitudini autem magis differre videntur sensibili & insensibili: cum enim in materiam sensibilē mutatum fuerit, generari dicunt. Cum autem in Text. 19 eam quæ non appareat, interire: ipsum enim ens, & non ens, eo quod sentiatur, aut non sentiatur definiunt: vt ipsum scibile, ens esse, non scibile, nō ens. Sensus enim sciètiæ facultatem habet. Ut igitur ipsi sese viuere, & esse ideo putant, quod sentiunt, vel possunt, sic & res, veritatem quodammodo considerantes, hoc autem non verè afferentes: ac fit vt aliter ad opinionem, aliter ad veritatem, aliquid simpliciter fiat, aut intereat. Spiritus enim & aer ad sensum minus est, & ideo quæ intereunt, quod in hæc ipsa mutentur, interire simpliciter dicunt, gigni autem cum in tangibile & terram mutata fuerint: ad veritatem autem hæc magis hoc aliquid, & species quam terra. Cur igitur generatio Text. 20. quidem simplex, interitus sit alicuius,

alicuius; interitus autem simplex, alicuius generatio, causa exposita est: quod enim materia differt, vel quod substantia est, vel quod non est, vel quod illa quidem magis, haec autem minus, vel quod materia ex qua & in qua, haec quidem magis sensibilis, illa autem minus: cur autem hec quidem simpliciter gigni dicantur, illa autem, quiddam duntaxat, in generatione non mutua, quo nunc diximus modo. Nuc enim eatenus definitimus, cur cum omnis generatio sit interitus alterius, & omnis interitus sit generatio alterius cuiusdam, non similiter tamen iis quae in se vicissim mutantur, attribuamus gigni & interire: quod autem posterius dictum est, non hoc inquirit, sed cur discens, non dicitur simpliciter fieri, sed fieri sciens, qui vero nascitur, fieri dicitur? hec autem categoriis definita sunt, alia enim hoc aliquid significant, alia tale, alia quantum: quaeunque igitur substantia non significant, simpliciter fieri non dicuntur, sed quiddam: ac nihilominus tamen in omnibus pariter generatio dicitur, secundum ea que in altero ordine sunt, vt in substantia quidem si ignis, non

sit terra, in qualia autem si sciens, sed non si insciens. Cur igitur alia simpliciter fiant, alia autem non, & vniuersè, & in substantiis ipsis dictum est: & cur, vt generatio continenter perduret, causa sit vt materia, ipsum subiectum, quoniam in contraria mutari potest, & in substantiis generatio huius est semper illius interitus, & huius interitus illius generatio. At verò nec dubitandum est, cur generatio semper fiat, corruptis quibusdā. Nā vt interire simpliciter afferunt, cum ad insensibile & non ens peruenit, sic ex non ente generari, cū ex insensibili, siue igitur subiiciatur aliquid, siue non ex non ente fit: idcirco pariter fit ex non ente, & interit in non ens: merito igitur non deficit: generatio enim ipsa interitus est non entis, & interitus ipse generatio non entis. Sed querat aliquis, hoc Text. 22. quidem non ens simpliciter sit ne alterum, contrariorum, vt terra & graue non ens, ignis autem & leue sit ens, an securus: sed terra etiam sit ens non ens verò sit materia terræ, & ignis similiter: & nunquid diuersa vtriusque materies? an minime ex se vicissim fierent, neque ex contrariis?

C 2 his

## Liber primus

his enim contraria in sunt, igni, terrae, aquae, aeri. An est quidem quatenus eadem, est autem quatenus altera: ipsum enim quod subiicitur idem est, esse autem non est idem. Sed de his haec tenus sit dictum.

### Explicatio.

PRIOR autem, an sit generatio simplex, ratione quadam & consideratione, vel distinctio indegit? Primo, quia si omnium pariter & ex aequo, vicissitudo est generationis & interitus, cur aliud simpliciter, aliud vero non simpliciter, sed quodam modo fieri dicitur? quae enim aequaliter habent vicissitudinem, eodem sane modo generari, vel simpliciter, vel non simpliciter dicenda sunt. Secundo, quia communis loquendi consuetudo, cui plurimum deferre oportet, quaedam dicit simpliciter fieri, ut hominem, plantam: quaedam non simpliciter, sed quodammodo, siue cum additione, ut addiscentem disciplinas, hominem docet, non simpliciter hominem fieri.

Responsio Aristotelis ad priorum dubitationem bipartita est: prior pars est in his tantum, quae vicissim oriuntur & intereunt, hoc est substantiis, quarum perpetuum esse vicissitudinem generationis & interitus ostensum est: posterior pars est utilis & communis omnium entium, siue sint substantiae, siue accidentia. Vtriusque firmamentum inquit Aristot. esse, quaedam esse quae hoc aliquid, quaedam quae hoc aliquid non significant hoc aliquid,

quamvis alias Aristoteli sit substantia singularis, hic tamen dicitur quod absolute & simpliciter dicitur ens. Itaque si exacte distinxeris, quae simpliciter sunt entia, ab his quae non sunt entia simpliciter, exacte etiam priorem dubitationem dissolues. Entis enim simpliciter, simplex, entis non simpliciter sed quodammodo, quaedam etiam erit generatio, vel quodammodo, vel secundum quid, ut scholasticè dicitur. Vnde, si ea distinctio entis simpliciter, & non simpliciter, in substantiis, quarum est mutua generatio & interitus, valet, & similiiter in substantiis & accidentibus, invrisque etiam valebit simplicis & cuiusdam generationis distinctio. Hoc est Aristotelicæ responsionis bipartitæ, firmamentum: sed prior pars responsionis tres rationes comprehendit distinguendi simplicem generationem, à quadam. Prima veteribus etiam Philosophis communis extermine ad quæ, si enim mutatio sit entis simpliciter, ut ignis erit generatio simplex, si non entis simpliciter, ut terræ, erit generatio quedam. Exempla ex sententia Parmenidis proposita sunt, qui in libro, quem accommodate ad hominum opinionem scripsit, duo rerum intra terram & ignem, constituit, ex quibus illud non ens, hoc appellat ens simpliciter. Nihil autem refert, inquit Aristot. hæc sint vera exempla, an non, cum re vera, vtrumque sit ens simpliciter, quia substantia est, modum enim distinctionis extermine, qui sit ens simpliciter, vel non sit querimus, non autem res ipsas nunc expendimus. Secunda ratio distinctionis sumitur ex qualibet

qualitate materiæ id est ex differē-  
tia qua determinatur materia, dif-  
ferentia enim, qualitas dicitur;  
cum enim ex forma & differentia  
proueniat, substantiam esse substā-  
tiæ perfectiorem, mutatio ad per-  
fectiorem substantiam, simplex, ad  
imperfectiorem, quodam modo  
dicitur. Solet autem Aristot. im-  
perfectum appellare priuationem,  
quamvis sit natura verè consistens,  
& perfectum, hoc aliquid & simpli-  
citer ens, ut calidum vocat ens, fri-  
gidum priuationem, quia cum est  
in subiecto, efficit ut perfectiori ca-  
reat, sicuti priuatione, subiectum  
caret sui perfectione: cum igitur  
comparantur substantiæ, viuentis  
generatio, erit simplex, non viuen-  
tis erit quædam, quia viuentia præ-  
stant non viuentibus: & intervi-  
uentia, perfectiorum erit simplex,  
imperfectiorum quædam gene-  
ratio. Hi duo modi, distinguendi  
simplicem, à non simplici genera-  
tione, philosophici sunt. Tertiū  
autē vulgaris est & popularis: rei  
enim sensibilis generatio, dicitur  
simplex: rei non sensibilis dicitur  
quædam, ut terræ generatio sim-  
plex, ignis & aëris quædam dice-  
tur, unde omnino diversa est hæc  
tertia distinctionis ratio, à prima:  
in illa enim ignis generatio est sim-  
plex, in hac vero est quædam simi-  
liter terræ primo modo, est quæ-  
dam, tertio modo est simplex gene-  
ratio. Hæc est prior pars respōsi-  
onis, posterior communis est om-  
nium entium, substantiæ & accidē-  
tis: entis enim simpliciter, id est sub-  
stantiæ generatio, simplex est acci-  
dentium quædam, & quodam mo-  
do, omnis enim mutatio ex termi-  
no ad quem, nomen & speciem de-

sumit, i. cap. 5, physici: ergo sim-  
plex generatio ex ente simpliciter,  
est autem substantia ens simpliciter,  
accidens quodam modo, & per  
aliud, nempe substantiam: erit er-  
go generatio substantiæ, simplex  
& absoluta, accidētis verò erit que-  
dam & quodam modo. Explicauim-  
us igitur, quæ in his, quæ vicissim  
oriuntur & intereunt, sit gene-  
ratio simplex, & quædam, quæ sit  
in his quæ non vicissim, hoc est tā  
in substantiis per se, quā in substan-  
tiis & accidentibus coniuncte,  
prior pars responsonis, valet in sub-  
stantiis, siue ex sententia phyloso-  
phorum, siue vulgi: posterior in  
substantiis & accidentibus valet:  
constitit etiam causa mutuæ gene-  
rationis & interitus, siue ex insen-  
sibili siat sensibile, ut vulgus existi-  
mavit in tertio modo distinctionis,  
siue absolute, ex non ente ens sim-  
pliciter, ut Philosophi. An verò  
his mutationibus aliquid subiicia-  
tur, non definit, sed statim defi-  
nitetur. Ex his tandem colliguntur  
tria consecaria, quibus explicari  
dicit tres dubitationes, cur sem-  
per oriatur aliquid aliis corruptis,  
quod nam sit illud non ens sim-  
pliciter, ex quo ens simpliciter sit,  
in generatione simplici, an sit ea-  
dem materia communis vtriq; ter-  
mino mutationis. Primum conse-  
ctarium materiæ primæ natura  
est sufficiens causa perpetui ortus  
& interitus: quia ex se apta est om-  
nibus formis excipiendis, & sine  
aliqua consistere non potest, & ex  
consequenti, cum unam expellit  
agens contrarium, excipit alteram  
& illius expulsio est interitus, hu-  
ijs admissio est ortus, quare ma-  
teriæ huiusmodi natura, & ad for-

## Liber primus

mas aptitudo & propensio, causa est sufficiens perpetuae generationis & interitus. Secundum consequatur, hæc materia prima, est subiectum generationis & interitus, in his enim sit à non ente in ens, & contra mutationem: materia autem est non ens simpliciter, illud nempè quod sit, & ideo ens potētia, & actu per aliam formam, quæ expellitur, & ideo ex hac materia fieri aliquid, est ex non ente actu, sed ente potentia, fieri simpliciter substantiam: atque inter non ens simpliciter, quod est nihil, & ens simpliciter, inuenta est ab Aristotele materia prima, & à Platone prius, quæ esset non ens actu & ens potentia, atque ita quodam modo media inter utrumque, ut i. physico. explicatum est. Tertium consequatur, eadem materia re ipsa, sed ratione diuersa, contrariis & repugnibus formis subiicitur: quia contrariis commune subiectum est, de cuius possessione decertant, & alia ratione & dispositione vni, alia alteri subiicitur. Vnde ex mutatione formarū circa idem subiectū, necessario est inuenta materia prima: alioquin ex nihilo esset generatio naturalis.

Hæc de sententia & disputacione Aristot. in qua tria sunt nobis exactius explicanda, primum illa sententia, generatio vnius est interitus, alterius & contra, vera est in substantiis: non ita tamē ut una mutatio sit per se terminus alterius, neq; quod genita sint corruptis aequalia, & contra: sed quod una alteram consequitur necessaria quadam coiunctione. Ratio primi, quia pleraque accidentia, ut lumen, scientia, species sensibilis & intelligi-

bilis, fiunt in propriis subiectis, sine ullius interitu, quum in subiecto tantum sit illorum priuatio, sine contrario. Ratio secundi, quia secundo phisico. ostensum est, neque motus, neque mutationis alterum motum, aut mutationem terminum per se esse posse. Ratio tertij, quia plerumque corruptis quatuor elementis, mixtum generatur, & ex uno mixto quatuor elementa fiunt. Quare illa sententia generatio vnius est interitus alterius, non est formaliter intelligenda, sicuti neque illa, eclypsis lunæ est terræ interiectio, cum eclypsis sit formaliter priuatio, interiectio verò terræ sit positiuū quoddam: sed est illa sententia vera, secundum consecutionem, ut interitus generatio consequatur, & contra, quod erat proposito consentaneum, cum hæc consecutio, perpetuam vicissitudinem generationis & interitus efficiat, cuius ratio ad textum Aristotelis proposita est. Deinde aduerte, de quatuor illis generationis simplicis & cuiusdā distinctionibus, primam & tertiam esse falsas, primam quidem, quia facit aliquam substantiam, nō ens simpliciter, ut terram ex sententia Parmenidis, tertiam, quia popularis est, & sensu discerint substantias, cum tamen substantianō sit sensibilis per se: secundam verò & quartam, veras esse distinctiones, quia secunda dicitur ex substantiarum comparatione, in quibus constat, ex differentiis, alias esse aliis perfectiores, licet nulla recipiat magis & minus, ut qualitas quæ intenditur, & remittitur. Illa vero perfectior differentia, ex immaterialitate, & operatione col ligi.

ligitur propriè. Quarta verò distinc-  
cio, ex distinctione entis, in id  
quod simpliciter & per se dicitur,  
& quod non per se dicitur, desumē-  
da est: quam distinctionem valde  
physicam esse, & substantiam ab  
accidenti distinguere, constat: sed  
omnium mutationum ad ens quod  
dam id est accidens, consensio est  
in subiecto, quod est substantia cō-  
posita, dissensio est in termino ad  
quem, nam quantitas est accretio-  
nis & decretionis, vbi est lationis  
qualitas tertiae speciei, est per se pri-  
mo: Alterationis, & ratione huius  
primæ fit ad alias posteriores qua-  
litates mutatio, præterquam ad na-  
turalem potentiam sive proprieta-  
tem, & ad formam & figuram, ad  
quas nulla est mutatio, quia geni-  
tam substantiam naturaliter, sine  
noua mutatione consecutur, & que  
causa est efficiens formæ, est om-  
nium consequentium primogeni-  
tam substantiam, causa eadem ge-  
neratione substatiæ: habituum ve-  
rò productio, plerumque retinet  
nōmē generationis cuiusdam, quia  
propriè motus non est, & idéo ne-  
que alteratio, vt 7. Physico. expli-  
catum est. Denique ex his colliges  
motus & mutationis propriè di-  
stinctionem ex subiecto desumi,  
quod illius sit substantia compo-  
sta, huius materia prima, vt explica-  
tum est 2. cap. 5. Physici, & cap. 4.  
explicabitur.

## C A P. I I I.

Text. 23.

**D**E generatione &  
alteratione dicam-  
mus, quod diffe-  
rant: Afferimus

enim has mutationes inter se  
diuersas esse. quoniam igitur  
quiddam est, quod subiectū  
est, & alterum ipsa affectio,  
quæ de subiecto nata est dici,  
& utriusque hōrum mutatio  
est, alteratio quidem est, cū  
ipso sensibili subiecto manen-  
te, mutatum fuerit insuis af-  
fectibus, qui vel contrarij  
sint, vel medij: vt corpus idē  
manens bene valet, & ruf-  
sus agrotat, & æ idem rema-  
nens, modo rotundum est,  
modo angulosum: cum autē  
totum mutatum fuerit, nullo  
sensibili manente eodem vt  
subiecto, sed vt ex omni geni-  
tura sanguis, vel ex aqua aer,  
vel ex omni aere aqua, ge-  
ratio vnius tūc est, & alterius  
interius. Præsertim si mutatio Text. 24.  
ex insensibili fiat in id, quod  
sensibile sit, vel tactu, vel  
omnibus sensibus, vt cū aqua  
genita est, vel corrupta in  
aerem. Aer enim planè in sen-  
sibile quidam: quod si qua in  
his ex contrarietate affectio,  
eadem manserit in genito &  
corrupto, vt cū ex aere aqua,  
si ambo perspicua vel frigi-  
da, non oportet huius affe-  
ctionem esse, alterū in quod  
mutatur, alioquin alteratio  
erit: veluti cum musicus ho-  
mo corruptus est, & factus  
est immusicus, ipse autem ho-

C 4 mo

## Liber primus

mo manet idem. Si ergo mu-  
sica, & priuatio musicæ, non  
erat huius affectio perse, hu-  
ius quidem generatio esset,  
alterius esset interitus: nunc  
autem hæc affectio manentis  
est: quamobrem hæc quidem  
hominis affectiones, homi-  
nis autem musici, & hominis  
immusici, generatio & interi-  
tus: quare alteratio talia sūt.  
Cum igitur secundū quantū  
mutatio cōtrarietatis fuerit,  
accretio & decretio, cū secun-  
dum locum, latio: cum secun-  
dum affectionem & quale, al-  
teratio: cum verò nihil man-  
serit, cuius alterum sit affe-  
ctio vel accidens omnino ge-  
neratio, vel interitus. Est au-  
tem materia maxime quidē  
ac propriæ, quod est gene-  
rationis & interitus suscep-  
tiuum, quodam autem mo-  
do, & quod aliis mutationi-  
bus subiicitur: eo quod om-  
nia subiecta susceptiua sunt  
contrariatum quarumdam:  
de generatione igitur & in-  
teritu vtrum sit nec ne, &  
quomodo sit, & de altera-  
tione, hoc pacto con-  
stitutum sit.

## ¶ Capitis quarti. explicatio.



Enerationem simpli-  
cem esse ostendit  
est, refutatis argu-  
mentis quæ eam tol-  
lere videtur, sic enim  
de subiecto & principiis *ελεγκτικῶς*  
sed arguendo in scientiis disputa-  
ri potest, 4. Metaphys. cap. 4. nunc  
ea distinguitur prima parte huius  
capitis, ab alteratione, altera ve-  
rò occurrit duabus dubitationi-  
bus. Distinctio verò definitione  
fit: est enim alteratio, mutatio ad  
extremam vel medium affectio-  
nem, subiecto sensibili manente  
eodem. Generatio autem, est mu-  
tatio totius, nullo sensibili manen-  
te eodem, vt subiecto: vt ex sen-  
tentia vulgi, sensu substantias dis-  
cernentis, vt cap. 3. dictum est, si  
aer, quod sensu plerumque non per-  
cipitur, in aquam muretur, sit ge-  
neratio, si rigeat, sit alteratio. Ex-  
plicatio est, est quoddam subiectū  
per se, suapte vi subsistens, nempe  
substantia composita: est præterea  
affectio, quæ de subiecto dicitur  
id est in hæret subiecto, (sic enim  
plerumque, dici de, usurpatur, ali-  
ter quam in dialectica, simp. 2. phy-  
sic. comm. 3. Alexand. i. metaph.  
com. 63. Amon. cap. de verbo) cū  
igitur totum illud subiectum imi-  
tatum fuerit, nempe quia amittit  
formam, aqua habet naturam &  
speciem, manente sola materia pri-  
ma, generatio est: cum manet sub-  
stantia composita, & ab una affec-  
tione in alterā immutatur, vel ex-  
tremā vel medium, vt i.c. 5. physici  
explicatū est, alteratio est. Vnde in  
exemplis Aristot. (omne) pro toto  
usurpatur, vt plerumque usurpari  
dicit.

Subiectū mu-  
tationis ma-  
teria prima,  
sed motus,  
substantia cō-  
posita. 2. cap.  
5. phys.

dicit 5. metap. vt intelligatur totius in totum mutatio, quæ generatio dicitur. In altera p. cap. est prima dubitatio, cum ex aqua sit aér, si utrumque perspicuum & frigidum ponatur, manet idem sensibile, per spicuum & frigidum, erit ergo alteratio, & non generatio, vt dictū est. Responsio est, nō manet illud sensibile, vt subiectum affectionis, in quā dicitur facta mutatio, quod tamen est necessarium, vt sit alteratio, in qua manet idem subiectū sensibile sub utroque termino: an vero eadem qualitas numero vel specie in genito, quæ fuit in corrupto, non definit, quia sine eo poterat constare responsio, sed in disputatione, explicabitur à nobis: verbi gratia, si musica & immusica, nō essent affectiones manentis subiecti, sed ipsa subiecta, mutatio in illis, esset generatio & interitus, sed quia manentis subiecti affectiones sunt, est in illis alteratio. Secunda dubitatio sit ne omnis manentis subiecti mutatio alteratio? respondet non esse sed distingui ex termino, quantitate, loco, affectione & quali, id est qualitate tertie speciei. In quibus substantia composita, est materia & subiectum quodam modo, quatenus contrariis & repugnātibus subiicitur, quæ est subiecti proprietas: materia autem propriè & per se primo, est primum subiectū mutationis, quia per se ipsam subiicitur & primo, alia verò per ipsam.

### Disputationes quatuor ad tertium & quartum caput.

**A**D exactiorem intelligentiam, eorum quæ Aristoteles c. 3. & 4. differuit, quatuor sunt nobis

differēda: quod nā sit accidentis subiectū, utrum una tantum rei natura lis forma substantialis: an fiat interitu ad materiam primā resolutio, an materia sit causa perpetuæ generationis, & interitus rerum natura liū: in his disputationibus hæc erit via & ratio vt primū in omnibus nostra confirmemus, deinde aliena refutemus, pōderatis dissidentiū sententiārū argumentis & refutatis.

Quæstio pri  
ma de subie  
cto acciden  
tis, ac mate  
ria prima?

Sit ergo prima quæstio, utrū substantia cōposita, sit accidentis subiectū, vel potius materia prima? ad eam respondet hæc conclusio: substantia cōposita est primū, propriū & accommodatū, & immediatum accidentis subiectū, non autē materia prima, explicatio est: licet materia prima, quia primū subiectū, sit omnium formarū tam substantiæ quā accidentis susceptiua, mediata vel immediata: tamen composita ex materia & forma substantia, immediate accidentis est susceptiua sicuti materia prima formæ substantialis. Ratio prima, quæ huius sententiæ firmamentū est: quod habet per se primo esse simpliciter, est immediatum accidentis subiectū: sed composita substantia, habet per se primo huiusmodi esse, nō materia prima: ergo substantia composita, est immediatum accidentis subiectū. Propositio ostēditur, quia natura & generatione, pri' est in unoquoq;, esse simpliciter, & per se quā esse per aliud, cū illud sit huius fundamentū: assumptio probatur, quia materia prima, cum suaptenatura sit potentia, ad actum substantiale, à quo ipsum esse deriuatur, non potest habere primo esse simpliciter ex se, sed habet ex formæ cōiunctione, quare cum prius natura

C 5 coniuncta

Ex Philop.  
Ægidio, Flā-  
minio, eadē  
est dubitatio  
in omnibus  
elemētisym-  
bolis & cog-  
natis,

coniuncta sit, quam habeat esse simpliciter & primum, quia ex coniuncta forma illud habet, necesse est ipsum esse simpliciter prius esse in substantia composita: cum autem hoc ipsum prius existens, consequatur esse accidentarium, quia est in alio, erit substantia composita immediatum accidentis susceptivum.

Vis huius rationis posita est in eo, quod esse simpliciter & per se, quod est substantia, & prius natura, dignitate & generatione in eodem subiecto, quam esse accidentariū & tale, ut multis ostenditur septimo metaphysico: illud autem esse simpliciter est à forma materię cōiuncta in rebus naturalibus: quare prius natura est substantia composita, cuius hoc esse, quam accidens recipi possit: & ex consequenti, hęc substantia composita est immediatum accidentis subiectum.

*Compositio  
per se antecedit semper  
compositio-  
nem ex acci-  
denti, & sub-  
stantialis acci-  
dentiariam.*

Dixi autem, prius recipi esse simpliciter in substantia composita, quam in materia prima, quia hic non loquimur de forma rationali, ut per se prius natura subsistit, quam compositum, sed de comparatione materię primę & substantię compositę in accipiendo esse simpliciter, & asserimus, prius natura accipi à substantia composita, quam à materia prima. Dixi præterea, in eodē subiecto prius natura & generatione recipi esse simpliciter, quam esse tale, quia absolute & uniuersaliter, saltem in genere causae materialis, prius esse tale recipitur in aliquo, cum preparatur & disponitur ad formam substantialem, quam recipiat ipsum esse simpliciter, quia dispositio fit accidentibus conferentibus esse tale: sed in substantia eadem & subiecto asserimus prius

*Anima ratio-  
nalis sola,  
quia est ter-  
minus crea-  
tionis, prius  
natura est in  
se quā in ma-  
teria, est etiā  
generationis  
terminus, qua-  
tenus vi di-  
spositionis ef-  
fecte à gene-  
rante corpo-  
ri ut actus cō-  
iungitur.*

recipi esse simpliciter & substantia, quam esse tale, quia prius natura est substantia, quam sit affecta accidentibus, cum hęc substantia sustineat. Ratio secunda, quia omnis potentia primum perficit actu cognato & sui generis, quam possit aliena admittere, cū sit per proprium actum prius necessariό: sed materia prima est potētia ad actū, & formam substantialem, cum ex utraque fiat unum per se: ergo primō recipit formam substantialem, & immediatè, deinde composta substantia recipiet accidentia. Tertia ratio ex testimonio Aristotelis distinguenter mutationem à motu, quod huius subiectū sit substantia composita, eadem numero manens sub utroque termino motus: illius autem sit materia prima, quae vicissim varias formas recipit, & ideo generatio vnius est alterius interitus, ut cap. 3. explicatum est: erit igitur materia prima immediatum subiectum formę substantialis, & substantia composita immediatum accidentis subiectum: quia mutatio est ad formam substantialem, si sit generatio, & motus est ad aliquid accidens: atque ideo subiectum mutationis est formę substantialis subiectum, & subiectum motus est immediatum accidentis subiectum. Quarta ratio, quia materia prima est ab Aristotele inuenta ex varia formarum substantialium mutatione: quum hęc sine subiecto esse nō possit, quia ex nihilo nihil naturaliter fit: ergo materia prima immediatè recipit formę substantialē, deinde composta substantia recipit accidentia: alioquin non esset ex illa mutatione inuenta materia prima, quę esset

*Set ens potentia tantum ad actum,  
sed ens formatum, si accidentia in  
seipsa posset habere. hæc de prima  
quæstione.*

**Quæstio se-  
unda.** An  
eiusdem rei  
plures formæ  
instantiales?

*Altera quæstio est, an cuiusque  
rei naturalis, plures sint formæ sub-  
stantiales, vel vna tantum. Ad eam  
respondetur hac conclusione, cu-  
iusque rei naturalis vna tantum esse  
potest forma substantialis: acci-  
dentialia enim plura esse, sensus ipsi  
indicant, ut quantitatem, varias for-  
mas qualitatis, ut ex categoriis cō-  
stat. Prima ratio, si essent eiusdem  
rei, plures formæ substantiales, ea  
quæ posterior & perfectior, esset  
tantum necessaria, reliquæ vero  
ociosæ & superuacaneæ: sed con-  
sequens in natura esse non potest,  
in qua nihil frustrâ, neque ociosum  
esse potest, vt 2. Physico. ostēsum  
est, sed omnia gratia finis & ope-  
rationis: erit igitur vna tantum  
forma substantialis. Propositio ostē-  
ditur, quia in formis, ut in omni  
rei naturali, est ordo, ut constat in  
formis elementorum & misti, in  
animabus viuentium & animato-  
rum, ex Aristot. 3. & 4. cap. libri 2.  
de generat. anim. in hoc autem or-  
dine, in posterioribus insunt prior-  
es formæ, non actu & formaliter,  
sed virtute & potestate, ut in po-  
sterioribus figuris & numeris, in-  
sunt priores, inquit Aristot. 3. cap.  
libri 2. de anima. itaque, quæ mu-  
nera præstat prior & imperfectior  
forma, eadem præstat posterior,  
& id præterea, quod est illius pro-  
prium, ut sensitiva quæ vegetatiua,  
& insuper sentit, & rationalis quæ  
sensitiua, & insuper intelligit & ra-  
tiocinatur: quare existente sensi-  
tiua, ociosa esset vegetatiua.*

*Secunda ratio, quia duæ formæ*

*eiusdem generis physici, id est quæ  
habent eandem materiam commu-  
nem, simul esse non possunt: (quia  
repugnantia simul esse nō possunt,  
huiusmodi autem duæ formæ repu-  
gnant, cum sit inter eas, vt terminū  
a quo & ad quem, mutatio: & quia  
formæ huiusmodi immediate reci-  
piuntur in materia prima, ut in pri-  
ma conclusione ostēsum est, & id ē  
susceptiuum immediatum pluriū,  
simul esse non potest:) sed omnes  
formæ substantiales rerum inferio-  
rum, sunt eiusdem generis physi-  
ci (quia vnius interitus, est alterius  
ortus, ex cap. 4.) ergo duæ formæ  
substantiales simul esse non pos-  
sunt. Tertia ratio, quia si rei habē-  
ti vnam formam substantialem, ad  
ueniret altera etiam substantialis  
non constitueret vnum per se, sed  
ex accidenti: (quia quod aduenit  
enti in actu id est substantialis com-  
positæ, accidens est, quod vnu proin  
de ex accidenti, & non per se con-  
stituit, cum substantia composita  
accidentibus tatum subiiciatur ex  
prima conclusione) consequens au-  
tem est impossibile: (quia forma  
substantialis, quia actus per se, vnu  
per se cum subiecto constituet) im-  
possibile igitur est antecedēs, quod  
rei habenti vnam formam substan-  
tialem, adueniat altera, & sint plu-  
res simul in eodem formæ substancialis.  
Quarta ratio, diuersæ dispo-  
sitiones in eadem materia simul es-  
se non possunt: ergo neque diuersæ,  
& plures formæ, sed vna tantum:  
præparatio enim & dispositio ma-  
teriæ cuiq; formæ accommodata est  
& propria, quare si sint diuersæ dis-  
positiones simul, erūt & diuersæ for-  
mæ, cū vnaquæq; forma, in eisdem  
dispositionibus cōseruetur, quibus  
materia*

# Liber primus

materia præparata est quod si plures dispositiones simul esse non possint, neque plures formæ simul esse poterunt. Antecedens ostenditur, quia illæ diuersæ dispositiones repugnantes sunt, vt ad aquam & ignem contrariae, & denique intentione aut remissione omnino discrepantes: potest quidem una forma numerari in dispositionibus ad aliâ formâ, & ex consequenti ipse dispositiones illius, ad aliam formam erunt utiles, sed ordine generationis tantum, non quod simul in subiecto esse possint, sic anima vegetativa est ad sensitivam, & hæc ad rationale.

Quæstio ter-  
tia. An in na-  
turali interi-  
tutu fiat resolu-  
tio usque ad  
materiâ pri-  
mam.  
Philop. cōm.  
72. fere idem.  
  
D.Th. I. p. q.  
118. art. 2.

Tertia dubitatio & quæstio est, siatne, in generatione, & interitu naturali, resolutio ad materiam primam, vt nulla neque substantia, neque accidens rei corruptæ maneat in re genita, præter materiam primam, omni forma carente: ad eam respondeatur hac conclusione, in generatione & interitu naturali, sit resolution ad materiâ primam. Ratio ex præcedentibus hoc modo concluditur: materia ingenita & immortalis, immediate subiicitur vni tantu formæ substantiali, ex prima & secunda conclusione, & accidentis subiectu non est materia prima ex prima conclusione: ergo nihil ex corrupto, manet in genito, nisi materia prima: substantialis enim forma præcedens, in generatione interiit, & accidentia simul interiisse necesse est, quia in materia recipi non possunt, quare tunc permâsit materia prima, formæ inductæ per generationem subiecta, ita ut primum esse huius, sit primum non esse alterius corruptæ. Quare si præcedentes conclusiones constantes sunt & firmæ, & hanc tertiam firmam es-

se necesse est, siquidem ex illis necessariò colligitur. Idem confirmat definitio materiæ primæ ultimo 1. Physic. cum ait, si corruptitur, in hoc ultimum corruptitur, & cap. 4. definitio generationis explicata, & ad finem eiusdem distinctioni subiecti mutationis, & motus saepe repetitum hoc libro, & 2. cap. 5. physici, non manet autem idem subiectum sensibile in generatione, quia neque idem esse, neque hoc, quia neque eadem forma substantialis, & ideo definitur, 5. physico. mutatio per esse & non esse.

Ex his omnibus, præsertim secunda & tertia conclusionibus, tria cōfectoria efficies. Primū sit, omnium partium similiū & dissimiliū viuentium, in quibus organa numerantur, vna tantum est forma substantialis: plures tamen accidentiarie quibus distinguntur. Ratio primi est, quia est cuiusque formæ, propriæ & accommodatæ, vnicat tantum forma substantialis, ex secunda conclusione: sed organi cū corpus, constans ex similibus & dissimilibus partibus, est propria materia, vt cōstat ex definitione anime, qua dicitur, actus corporis organici: ergo organici corporis, in quo sunt partes similes & dissimiles, vna ca tantu est forma substantialis. Ratio secundi, quia licet anima quæ est forma similiū & dissimiliū partium, substantia sit simplex, virtute tamen & potentias, ad diueras operationes exercendas multiplex est, potentias vero organicas, in proprio organo recipiuntur, quod propria temperie, & partium compositione, qua distinguitur ab aliis partibus, cōstat: hæc autem temperies & partium compositio, accidentia sunt:

Tria conse-  
ctoria.

i.

tia sunt : partes igitur organicæ accidentibus tantum differunt , & idem partibus similibus concludi potest , cum sit cuiusque propria temperies . Secundum conlectarium accidentia communia geniti & corrupti , eadem specie esse possunt , re & numero non possunt . Dico communia , ut calorem communem , & non viuentium proprium in telligam , neque illum accidēs proprium , quod perse formam substancialē consequitur . Huiusmodi enim omnia , neque specie sunt eadem ingenito & corrupto , viuenti & mortuo , ut docet Aristot . vltimo , cap . 4 . lib . meteor . caro itaque viuēs & mortua , & alia quēvis pars similaris , aut dissimilaris , non conueniunt forma substanciali , neque proprietatibus , sed accidentibus communibus , eisdem specie , non re & numero . Ratio primi , quia illa communia accidentia habent eandem definitionem : ergo & speciem , quia definitio est speciei . Ratio secundi , quia accidentia sunt eadem numero , si idem numero subiectum sit : sed ingenito & corrupto non est , quia interit substantia composita , quae est accidentis immediatum subiectum ex conclusione prima , & alia substantia composita genita est , cum ortus & interitus , sit perse composita substancialē , ut ostendi lib . 1 . physice institutionis : non est igitur idē numero accidens in genito & corrupto . Tertium conlectarium ,

Tertium conlectarium .  
quatuor modis accidentia interire possunt , duo priores sunt omnium accidentium cōmunes , duo posteriores sunt proprij quorundā . Primus est perse à suo contrario , quod veleſt qualitas prima , vel ra-

tionē illius efficit interitum . Alter modus est ex subiecto , cum enim accidentis esse , sit inesse substantiae compositæ , hac interempta , omnia accidentia interire est necesse . Tertius est eorum accidentium quæ semper pendent , ut conserventur , à causa efficienti . Hæc autem corrumpuntur ex absentia causæ conservantis , ut lumen ex absentia lucentis corporis . Quartus modus , relatorum proprius est : alterum enim ex his , altero interempto , manere non potest , ut pater non est , si filius decedat , & contrā : & ideo mutuo affirmantur , & negantur , ut ex dialectica constat . Vnde constat , accidentium ortus & interitus , cum res interit , aut sit , non aliam causam querendam esse , quam ortum & interitum substancialē : cum eam genitam naturaliter consequantur , & ea corrupta , quia sine subiecto esse non possunt , naturaliter corrumpantur .

Ex his etiam intelligitur , generationis & interitus naturalis modus , generans enim naturale propriis accidentibus patientem substancialē , ut lignum ignis præparat : ea vero accidentia cum patienti repugnant , tandem illius accidentia euertunt , & ex consequenti , interit substantia composita , quæ sine propriis accidentibus , permanere nō potest , & manet sola materia prima , quia est ingenita & immortalis , quæ cum sine forma substanciali esse nō possit , formę quā generans inducit , immediatē cōiungitur , & eam coniunctionē consequētur accidentia propria , quibus conservari & permanere possit , ita sit , ut eodem momento , quod est primū esse for-

mæ in-

## Liber primus

mæ inducæ, expellatur præcedens forma, cuius idem momentum, est primum non esse.

Quæstio quar  
ta, an mate-  
ria sit causa  
perpetuæ ge-  
nerationis &  
Interitus re-  
rum natura-  
lium.

Ad quartam quæstionē, est hæc conclusio, in vi insita & naturali pri  
mæ materiae, est sufficiēs causa ma  
terialis, vt generatio & interitus  
naturalis perpetuetur. Explicatio  
est, quamvis generatio & interitus  
naturalis perpetuus non sit, cum in  
cooperit aliquando, & tandem finie  
tur, vt 8. physico. ostensum est: ta  
men si primæ cause placuisse, illa  
esse perpetua, vis materiae primæ,  
ad eam perpetuitatem sufficiens  
esset & accommodata: & hoc vo  
luit Aristot. cap. 4. significare: hoc  
est talis naturæ materia, est suffi  
ciēs causa materialis, non autē ve  
terum materia: sed præter materia  
est eiusdem rei alia causa efficiens  
lib. 2. cap. 10. Ratio est quia ma  
teria prima est apta ex se, & pro  
pensa ad omnes formas excipien  
das, & sine aliqua consistere non  
potest: ergo cum ex mutua actio  
ne qualitatum, aliqua forma expel  
litur, naturali consecutione aliam  
excipit, & hoc perpetuo, cum in  
genita & immortalis, semper re  
tineat eandem propensionem, ne  
que sine forma esse possit: quare  
hæc potentia & propensio, reddit  
materiam primam, accommoda  
tum principium perpetuæ genera  
tionis & interitus.

### Obiectiones, & argumenta dissidentium opinionum, contra propositas cō clusiones.

Q Voniā perfectæ doctrinæ, duæ  
sunt partes, vna quæ nostrā cō

firmat, altera quæ alienā refellit,  
vt nostram hactenus confirmauim  
us, restat vt alienas refutemus, id  
autem fieri non potest nisi prius eo  
rum obiectiones & argumenta ex  
pendatur. Obiectiones autem quæ  
dam communes sunt, quæ omnes  
sententias propositas impugnant,  
quædam speciales sunt quarundam  
opinionum, quæ nostris conclusio  
nibus repugnant. Prima obiectio  
communis, ex dispositionibus, qui  
bus materia ad formā excipiendā  
præparatur, si enim dispositiones  
necessariæ sunt, vt constat, vel illæ  
manent cum forma inducta, vel  
non manent: si manent, & forma  
prior substantialis expellitur, alio  
quin interitus non esset, reciperen  
tur in materia prima, ranquā sub  
iecto immediato, cum tamen sint  
accidentia, quantitas & qualitas,  
contra primam conclusionem vel  
essent accidentia sine subiecto, &  
ab uno in alterum commigrarent.  
vel si manent cum alia forma sub  
stantiali, duæ formæ substanciales  
essent in eadem materia, contra se  
cundam: si autem dispositiones,  
præcedentes formæ inductionem,  
nō manēt ea inducta, nō est, cur po  
tius hæc forma, cui sunt illæ dis  
positiones accommodatæ, inducatur,  
quā alia, cum sine dispositionibus  
ipsa materia prima, communis sit  
omnibus formis excipiendis, & nul  
lius propria. Secunda obiectio, ex  
mutatione elementorum, quæ sym  
bola dicuntur & cognata, in hac  
enim, contraria qualitas interit, co  
gnata manet, alioquin non esset  
facilior in symbolis, quā in dissym  
bolis conuersio, est igitur idem  
accidens in corrupto & genito, &  
manet in materia prima, & cætera  
quæ

3. quæ obiectione prima cōclusimus.  
Tertia obiectio est sensu, cuius de proprio sensibili certum iudicium est: ipsi autem sensus iudicant eadem manere accidentia, ut eandem figuram, eandem quantitatem, eadem cicatricem, vires easdem in plantis etiam cum exaruerint: alioquin accidentium generatio, quæ alteratione plerumque perficitur, momento fieret. Quæ omnia efficerentur vel manere eadem accidentia in materia prima, vel eandem formam substantialem cum eisdem accidentibus esse ingenito & corrupto. His obiectiōnibus communib⁹, omnes ferē sententiæ propositæ refelli videntur. sunt aliæ speciales, quibus opiniones aduersæ confirmantur: atque ideo distribuendæ sunt, ut uniuscuique propriæ accommodentur rationes, quibus conclusiones propositæ refutantur.

## Opiniones.

1. Sunt ergo in summa tres opinio-nes, eisdem conclusionibus repugnantes: Prima constituit in materia prima quantitatem, & dimensiones, tanquam in subiecto immediato. Altera qualitates. Tertia plures formas substantiales, vel duas, vel plures, ut in progressu constabit.

Prima igitur sententia tribuit materiæ quantitatem interitui non subiectam, sed ipsi immortali existenti coœuam. Rationes illius tres ferē sunt, prima, quia aliter corpus quantum fieret ex non quanto, quod saepè refutatum est 6. Phy-sico. substantia enim composita ex materia & forma sit, quarum nulla ex se quantitas est, sed substantia, quare si materiæ non insit aliqua quantitas, ut accidens proprium & inseparabile, esset hu-

iusmodi substantia quanta ex non quantis composita. Secunda quia forma recipitur non in materiâ diuisam & distinctam ab alia, ergo in materiam quantitate affectam: cū diuisio primò & perse conueniat quantitati. Tertia, quia quantitas materiæ nō habet causam corrum pentem, ergo semper manet in materia. probatur antecedens, non enim ab alia quantitate corrupti potest, cum omnis corruptio sit à contrario, & quantitati nihil sit contrarium: neque à forma quam excipit materia, quia nulli formæ repugnet, quum sit interminata illa quantitas, & à forma sibi accommodatè determinetur. Quarta, quia ut sunt accidentia formalia, quæ formam, sic sunt naturalia, quæ materiam consequuntur, quare sunt in ea ut subiecto: ex his vero materialibus accidentibus, primum est quantitas, quia nullum aliud recipitur, nisi in materia diuisa & extensa, & diuisio est quantitatis perse. Sic intellectus & voluntas potentiae, sunt in anima rationali, tanquam in proprio subiecto, quia sunt illius propria accidentia. Confirmantur hæc omnia, quia in illo priori naturæ, quo nuda materia formæ substantiali immediate coniungitur, vel materia est diuisa & distincta ab aliis partibus materiæ rerum naturalium, vel non, si primum & non quantitate formæ præcedentis, quia interiit cum forma, neque sequētis, quia non dum est inducta in materiam: ergo inseparabili quantitate & coœua materiæ. si tertium non recipietur forma in materiam diuisam & distinctam ab alia materia, quod fieri non potest: cum recipia-

Liber primus

cipiatur in parte, & non in tota materia.

1.

His argumentis adducti Græci Aristot. interpretes, & ex illis hāc sententiam & plures alias colligens Auerr. constituunt in materia prima permanentem quandam quantitatem, quam vocant dimensiones interminatas, vt sicut est materia potentia ad formam substantialem, sic etiam habeat indefinitam quantitatem, quæ sit potentia ad quantitatem cuique formæ accommodatam, & ideo ex se vocat interminata: quia pro natura cuiusque formæ, terminari & definiti possit. Sic afferunt simpl. i. phys. com. 65. & i. lib. de cælo, com. 30. & alibi, Alexand. i. lib. de anim. cap. 2. Philopon. i. lib. de generat. & inter. com. 35. Auerr. s̄epissimè, sed præsertim libro de substantia orbis, cap. i.

2.

Altera sententia est Marsilij, & omnium ferè medicorum, quæ asserit in materia permanere ea accidentia, quæ communia sunt genito & corrupto, & quæ formæ inducendæ sunt accommodata, vt cum ex aere fit aqua, manet perspicuitas utriusque communis, & frigiditas, accidens aquæ accommodatum: denique omnia accidentia quæ sunt accommodatae dispositiones & præparationes ad formam inducendam, manent in materia, & eadem numero sunt in genito, quæ in corrupto fuerunt. Rationes duæ sunt. Prior, quia alioquin, omnis illa materiæ ad formam inducendam præparatio, superuacanea esset, & ociosa, si ex pulsa priori forma, omnes illæ dispositiones & accidentia intereunt, & cum forma quæ excipitur, accidentia il-

lius fiunt & comproducuntur. Posterior, quia prius natura disposita est materia, quā forma inducatur, quia non inducitur nisi in præparatam & dispositam: accidētibus autem præparatur: ergo illa accidētia manent in materia ante formæ aduentum, aut in nullo subiecto sunt, quod nihil est aliud, quām omnino non esse, cum accidentis esse, sit subiecto in esse.

3.

Tertia sententia, quæ plures formas substantiales in eadem materia admittit, multiplex est. Prima est Auicennæ, quæ materiæ tribuit permanentem formam corporeitatis, id est, qua formetur corpus substantiæ, & ita sit substantia corporea. Est enim corpus quantitatis trina dimensio, longitudinis, latitudinis, & profunditatis, est corpus substantiæ, substatiæ corporea, proximum & immediatum illius trinæ dimensionis subiectum. Voluit igitur Auicenna, eo nomine s̄æpe ab Auerroë reprehensus, vt constat ex 2. libro de generat. 3. & 4. de cælo. com. 22. & sexcētis aliis locis, quos accuratè Auerrois studiosi Zimara & Achilinus congeserunt, esse itaque voluit Auicenna, quandam formam corporeitatis substantiæ generalem, à materia nunquam discedentem. Ut constat ex eius prima philosophia tractat. 2. cap. vltimo, & ideo æternā, & semper materię coniunctam. Distinguere autem videtur Auicenna materiam primam, cum statuit aliam primo primam, aliam secundo primam: illam esse puram facultarem & potestatem, spectareque ad primum Philosophū, hanc esse corporeitatis forma prædictam, & ad physicum pertinere. Albertus autem

autem cum istam formam corporeitatis admittit, sed caducam & mortalem, Auicenæ, quem sequitur non consentit: quia isti formæ nihil contrarium afferit, & ea intereunte, si alia eiusdem naturæ oriretur, profecto prior illa frustra interiisset. Rationes Auicenæ duæ sunt, prior, quia dimensiones quas admittit ut necessarias ad materiae diuisionem, & distinctionem, cum sint accidentia & quantitates, postulant subiectum actu, vel substantiam compositam, quæ sine forma esse non potest, hæc autem forma corporeitatis substantiae est prima & generalis ad omnes res naturales constituentes, cum omnes corporæ sint, & prius natura sit substantia composita, quam accidentibus affecta, vt supra ostensum est: quare, vt semper materia est dimensionibus diuisa, sic etiam semper informatur corporeitatis forma, vt sint dimensiones in subiecto proprio nempe substantia composita. Itaque Auicena, vt retineret semper in materia dimensiones, constituit in materia eternam formam corporeitatis substantiae generalis. Posterior ratio est, quia aliter fieret corpus ex non corpore, nisi semper materia esset corporata per huiusmodi formam.

Scoti est quarta sententia quarto sent. dist. 11. quæst. 3. à sectatore il. lius Trombetta fusè explicata 8. lib. metaph. quæst. 2. ea constituit formam corporeitatis substantiae generalis, sed in animalibus perfectis tantum, & ideo consentit quidem in constituenda huiusmodi forma, cum Auicena, sed in duabus dissentit: primo quidem, quia illam

Auicena in omnibus rebus naturalibus, viuentibus, aut non viuentibus constituit, Scotus tantum in animalibus perfectis, quarum animæ, quia individuae & non extensa non viderentur corpori posse tribuere corporeum esse & extensum, quod tamen formæ plantarum & animalium imperfectorum, & elementorum, & misteriorum non viuentium, cum sint etiam extensa, possunt tribuere: quare in illis esse necessariam formam corporeitatis, in his non esse. Hoc est enim Scoto firmum principium, si aliqui subiecto plura esse debentur, quæ ab una forma possint prouenire, formæ in eonon multiplicantur, quia essent ociosæ: si autem non possint, necesse est formas multiplicari, cum omne esse sit effectum & deriuatum à propria forma. Vnde, cum animal perfectum in misteriorum elementa dissoluitur, perit secundum Scotum forma corporeitatis, quia esse corporeum tribuere possunt elementorum formæ: cum vero vita destituitur, manet in cadauere forma eadem numero corporeitatis, quæ fuit in viuenti, quia non est alia, quæ tribuat esse corporeum organis & membris, quæ dicitur esse eadem numero viuentis & mortui, & ideo per eandem numero formam corporeitatis, quæ ideo à quibusdam forma organizationis dicitur. Secundo dissentient Scotus & Auicena, quia illius forma corporeitatis, mortalis, & interitui obnoxia est, huius æterna & immortalis, vt ex precedentibus constat. Itaque Scotti sectatores existimant duas formas speciem postremam constituentes, simul constare non

D posse,

Liber primus

posse, ut formam equi & formam hominis: quia utraque tribuit esse integrè & completè: & ideo si essent in eodem subiecto, idem bis esset absolute: & una amissa, adhuc tamen per reliquam integre esset. afferunt etiam simul illas formas consistere non posse, quarum una vicē alterius supplere, illiusq; opera præstare potest: superuacanea enim esset illa, cuius muneribus altera fungi potest. quare cum forma mistionis præstet, quod formæ elementorum præstare possent, & omnem illarum facultatē in se contineat, in mixto in animo, una erit tantum misti forma. similiter, quia intelligens anima seipsa potest præstare, quod sentiens & vegetalis, sentiens etiam quæcunq; vegetalis potest efficere, ideo in homine unica erit anima intelligens, in brutis item unica sentiens. in omni tamen mixto animato præter animam ad se putant mistionis formam, quoniam huius opera ab anima præstari non possunt. Est enim forma mistionis per se quanta, quæ gravitatem & mortalitatem corpori conciliat, anima autem potius videtur extensioni & gravitati repugnare, & humana prætereat immortalis. Hanc mistionis formam, organizationis & corporeitatis, quidam vocant. atque etiam partibus corporis organicis, varias formas huiusmodi quidam attribuunt: utuntur plerique ad confirmandam hanc sententiam illo argumento, si canis de turri decidat, & in medio itinere præfocetur, atque intereat, unus est motus, quia nulla varietas in eo deprehenditur, erit igitur & unum subiectum motus, quod non potest esse aliud,

quam corpus forma huiusmodi missionis formatum: quia unitas motus, unitatem subiecti postulat.

Sed Scotti sententia, his tribus argumentis potissimum confirmari solet, primum est, homo dicitur vere & per se primo modo corpus: dicitur ergo corpus de homine essentialiter, & non per animam intellectuam, per formam igitur corporeitatis ab anima intellectu distinguitur. secundum, homo constat ex anima & corpore, ut partibus essentialiter distinctis, quod neutra alteram in sua essentia includat, & corpus non est materia prima tantum, quia non esset organicum, ergo prædictum forma corporeitatis, ut sit essentialiter corpus. Tertium, animali mortuo videmus incaduere idem corpus, eisdem organis distinctum, quacunque ex causa interierit, sive externa, sive interna, ergo habet eandem, quam prius, formam corporeitatis, per quam est idem corpus numero atque viuum, cum per animam non permanentem, corpus esse non possit: nec per nouam formam corporeitatis productam, cum nullus effectus ab una quavis causa indifferenter, vel pluribus, unus secundum rationem produci possit. afferere autem non permanere eandem numero figuram, eandem quantitatem, eandem cicatricem, & alia similiter accidentia, & easdem vites in plantis, cum exaruerint, esset plane iudicium sensus rescindere. Sic afferit idem numero corpus esse viuentis Christi & mortui: sed certe illud est idem numero, quia in eodem supposito verbi & per idem esse existentiae, non est tamen viuentis

viuentis Christi & mortui idem corpus secundum formam, vel eadem numero forma, quia ut facilius oportet idem suppositum & idem existere, sic etiam esse mortuum, quod est absentem esse formam viuentis, & remansisse cadaver.

Quinta & ultima sententia tota concedit esse substantiales formas in unaquaque re naturali, quae sint illius praedicata essentialia, ut de homine dicuntur substantia, corpus, viuens, animal, homo. Rationes firmiores duas sunt. Prima, quia essentialia praedicatum est forma subiecti: ergo si plura praedicata essentialia, plures etiam formas substantiales. Secunda, si existentibus pluribus praedicatis essentialibus, una tantum esset substantialis forma, sequeretur, quod affectiones per se, consequentes haec essentialia praedicata, ab una & eadem forma prouenirent, quod est impossibile: à forma enim constat, affectiones per se deriuari, quare si una tantum est forma, omnes ab illa deriuari necesse est. id autem fieri non posse, sic concluditur, si per eandem formam homo est homo, & animal, verbi gratia, quicquid per se inest homini, quia homo, inesse etiam, quia animal est, homini autem inest facultas ridendi per se, & docilitas, ergo inesse omni animali per se: quia quod inest quatenus ipsum, vniuersaliter etiam inest, ut constat 5. cap. primi de demonstratione, ab his diuersa est sententia, quae ratione mistionis, in omnimodo quatuor elementorum formas, & eam, quae misti propria est praeterea admittit, sed ea no-

stra doctrinæ conuenienter, in disputatione ad caput 10. examinabitur.

Ad refutandas huiusmodi obiectiones, & opiniones, quae his argumentis nituntur, primo considerabis, dispositionis & præparationis materiae duas esse utilitates, priorem re & natura, ad inductionem formæ substantialis: posteriorem, ad eiusdem conservationem ratio prioris utilitatis, quia materia ex se apta & indifferens ad omnes formas substantiales excipiendas, præparatione fit propria & determinata, ad unam tantum formam excipiendam. Ratio posterioris utilitatis est, quia forma tantum conservatur propriis operationibus & perficitur: has vero tantum exercere potest in propria materia, quae sit operationibus exercendis, suis accidentibus accommodata, ut constat, in operationibus viuentium organicis, cum de operatione rationis alia sit habenda cōsideratio primo cap. primi libri de anim. Secundo repete ex præcedentibus, accidentis duplē esse interitum, alterum per se à suo contrario, salvo & in columi subiecto, quia decertant contraria, de possessione communis subiecti: alterum ex corruptione subiecti, quia accidentis est inesse subiecto, quod esse substantiam compositam principio huius disputationis ostensum est. itaque ut corruptionis substantia duplex est terminus, unus per se, non esse substantia, alter ex accidenti, & consecutione quadam, non esse accidentis, quia corrupta substantia, necesse est corrumpi accidentia, quae ab ea sustinentur, & al-

## Liber primus

terationis duplex etiam terminus est, unus per se, qualitas, alter ex accidenti, consecutione quadam, forma substantialis, quæ dispositio- nem alteratione affectam consequitur: ita accidentis unus est interitus per se à contrario, alter ex subiecti interitu. Causæ autem, quæ subiecti interitum efficiunt, quamuis secundum rem diuersæ sunt, in uno tandem conueniunt, ex quo statim subiecti interitus consequitur, nempe in dissoluenda propria subiecti temperie, verbi gratia quacunq; ex causa animal intereat, vel externa, vel interna, vt gladio, aut morbo, dissoluitur prius natura cordis temperies, in qua vita conseruatur, dein de sequitur mors. atque ita efficietur à diuersis causis secundum rem, & materialiter, unum specie effectum prouenire posse: & ex conse- quenti omnes illas causas formaliter & specie conuenire, quatenus in eodem effectu inducendo conueniunt. Tertio, distingue illa duo, esse subiectum accidentis, & esse causam recipiendi accidens. subiectum enim est substantialia composita: causa vero est id, cuius ratione aliquod accidens in ea recipitur, ex quo sit, vt quædam accidentia mate- rialia, quædam formalia dicantur, quia quædam ratione materię recipiuntur, vt quantitas, quædam ra- tione formæ, vt calor naturalis, & viuentium potentia non tamen: quod materia sit immediatum ac- cidentis subiectum, sed accidentium omnium subiectum est sub- stantia composita, exceptis intelle- ctus potentia & voluntate, quæ sunt in ipsa anima substantia, & in illo species intelligibiles. Quarto ani- maduertendum est, nullo temporis

momento materiam sine forma sub- stantiali existere posse: quamvis enim abiecta priori forma, omnia etiam accidentia substantiae com- positæ ex materia & forma omni- no deleantur: quam formam abie- ctam consequitur alia forma sub- stantialis, & accidentia substantiæ, quæ ex illa componitur: in eodem tanien temporis momento utrumq; contingit sine ullo tempore interie- cro: quia primum esse formæ induc- tæ est primum non esse expulsa, in illo autem priori naturæ, quo for- ma substantialis materiæ primæ co- iungitur, sine quantitate & aliis accidentibus, non est inquirenda quantitas, per quam materia prima formaliter sit diuisa, sed forma, quæ est causa, quam consequitur quanti- tas ad efficiendam divisionem for- maliter: cum in priori naturæ tan- tū sit causa eius, quod immedia- tè consequitur: nullo autem tem- poris momento est materia pri- ma, in quo non sit cum forma, & formaliter diuisa per quantitatem: cum in illo priori naturæ, quo for- ma substantiali coniungitur, sit momentum idem, primum esse for- mæ induc- tæ, & primum non esse expulsa: quare cum toto tempore præcedenti illud momentum, sit formaliter diuisa materia prima quantitate formæ expellendæ, & illomet momento, quo illud tem- pus terminatur, quia est primum esse formæ induc- tæ, quam imme- diatè consequitur quantitas, sit for- maliter diuisa per quantitatem for- mæ induc- tæ, efficitur sane, nullo ne- que tempore, neq; temporis momen- to, existere materiam primam, sine forma substantiali, aut sine quantita- te, quæ formaliter efficiat divisionem

& distin-

& distinctionem eiusdem materiæ primæ.

Quinto & ultimo accipiendū est, in homine esse duplex iudicium, sensus & intellectus: illud circa propria sensibilia, si nullum, neq; in organo, neq; in medio sit impedimentū, nunquā errat. An vero sensibilia, quæ diversis temporibus percipiuntur, eadē sint, vel diversa secundum essentiam, sensus iudicare certò non potest, quia nullius sensus, hoc est propriū obiectum. intellectus vero iudicat de omnibus, sed circa ea quæ per se nota sunt errare non potest, inde deductione ex illis potest. Cum autem iudicium vtrumq; consentit, est firmissimum argumentum, ad conclusionē aliquid esse verum: si autem ratio à sensu dissentiat, rationis iudicio potius standum est, quia superioris est, sic errantem visum circa quantitatem syderum, vel colores iridis, ratio corrigit.

His principiis positis, ad primū respondeo, dispositiones intelligi, vel antecedentes inductionem formæ substantialis, vel consequentes formam inducā, antecedentes non manent formam inducā: utiles tamen fuerunt vt forma in propriam materiam induci posset, atque vt formam inducā consequerentur aliæ, quæ ad conservationem formæ in eadem materia, necessariæ sunt. illis enim dispositionibus antecedentibus non solum determinatur materia ad formam excipiendam, sed etiam vt expulsa priori forma, maneat determinata ad formam, quæ inducitur, atque ita semper sit propria formæ, quæ inducitur. Consequentes vero, quæ ultimæ dicuntur, cum forma substantiali comproducentur, expulsis prioribus ex acci-

denti & per aliud, nempè substantiæ composite cui inerant, interitū.

Ad secundum, Aristoteles 4. c. 2. libri de generat. & inter. cum asservit unam tantum qualitatem interire in elementis symbolis, alteram manere, & cùm idem significat extremo c. 4. huius libri, intelligit ex vi mutationis, quæ est inter contraria: quia in duabus tantum qualitatibus elementa symbola conueniunt, in duabus tantum repugnant, & ratione huius repugnantiæ fit mutatione, cum ea tantum sit inter contraria: non tamen negat, neque negare potest, aliunde etiam corrupti cognitam & similem qualitatem, nempè ex corruptione subiecti, quia ipse etiam asseruit, c. 4. totum mutari in totum, in generatione substantiæ, & accidentis esse, nihil aliud esse, quam subiectæ substantiæ inesse, & hanc substantiam esse compositam, ex illius doctrina principia huius disputationis deduximus, quare cum abiecta forma substantiali, non amplius maneat eadem substantia composita, necesse est asserere, ea corrupta omnia etiam accidentia, quæ in illa sustinentur, omnino corrumpti. neque huic sententiæ repugnat faciliorē esse mutationem inter elementa symbola & cognata, quam inter dissymbola, vt asseruit Arist. c. 4. li. 2. de generat. & inter. quia maior est resistentia duorum in dissymbolis, quam vnius in symbolis. quod si adhuc velis repugnare, obiectione illa Marsilij, concludentis æquæ velocem & facilem esse mutationem indissymbolis, & symbolis elementis, quia æqualis est resistentia duorum ad duo indissymbolis, quā vnius ad vnum, in symbolis,

vt concluditur extremo lib. 6. phys. respondebo verum esse, si cætera paria sint, in his autem mutationibus cætera paria non esse: quia in elementis symbolis, qualitas agentis ex consortio qualitatis similis patientis, valentior fit ad agendum, & adiuuatur, vt celerius corruptatur, contraria & dissimilis qualitas: in diffsymbolis autem, quia nulla qualitas similis est patientis, fit ex utraq; qualitate maior resistētia, & difficilior mutatio. verbi gratia cum aër vertitur in ignem, calor utriusque acuit siccitatis actiuitatem, & ideo velocius corruptitur humor aëris, quam cum aqua in ignem conuertitur, cum utraque patientis qualitas, utrisque agentis repugnet & resistat. itaq; in elementis symbolis, altera patientis qualitas, adiuuat actiuitatem agentis, & minuit patientis resistētiā: in diffsymbolis vero utraque resistit, quia in utrisque est contrarietas. vt sit elementi symboli qualitas similis, veluti miles trāffuga, qui in belli dis- crimine ad alienos configit.

Ad tertium, sensus decipitur in iudicando eandem esse figuram, & alia accidentia geniti & corrupti, quia ut quinta suppositione explicauimus, hæc identitas sensibilium secundum essentiam non pertinet ad proprium sensibile, circa quod, si nullum sit impedimentū, nunquam decipitur.

Ad reliqua argumenta, quibus sententiæ propositæ confirmantur, dissoluenda, tria sunt explicada, quibus illa hīti videntur, qua ratione quantum fiat ex non quanto: quod nam sit corpus, altera pars animati, cum dicitur constare ex corpore & anima: qua ratione distinguenda sunt

diuersa prædicata essentialia, quæ tamen ab una forma substantiali derivantur. respōdetur ergo ad primā, ex tribus dubitationibus, quēadmodū substantia in generatione naturali, non sit ex nō substantia absolutē, sed ex non substantia hac, fit hæc substantia, sic etiam quantum hoc sit ex non hoc quanto, non tamen absolutē ex non quanto. corruptio autem priori quanto, posterius est potentia, in materia & forma, quæ prius natura immediatē coniunguntur, quam quantitate distinguantur. itaque materia & forma sunt potentia quanta, quatenus formam inductam in materiam, propria quantitas & alia accidentia naturaliter consequentur. sed non est forma, aut materia sine quantitate cum dicuntur potentia quanta, vt punctum partes continui copulans, quatenus nullum ex his formaliter & ex se quantum esse potest: quia punctum, neque actu, neque potentia quantum esse potest, materia vero & forma potentia quanta sunt, vt explicatum est, & tandem quantitate ipsis inhærente, quanta euadunt, & partibus extensa, nisi forma sit omnino indiuisibilis, punto autem in esse quantitas non potest, quia suapte natura indiuiduum est, vt 6. physico. explicatur.

Ad secundum respōdetur corpus quod est altera animati pars non esse materiam primam, sed propriam, quæ partibus & organis distincta est, sic enim anima definitur actus corporis organici, quomodo autem organicum sit prius, aut posterius anima, lib. 2. de anim. c. 1. explicabitur.

Ad tertium asserimus diuersa prædicata essentialia logica consideratio ne,

ne, ab una & eadem re physicæ prouenire, quia in una forma & prædicato perfectiori continentur virtute superiora, & quatenus illud perfectius præstat & cōtinet, quod alia imperfectiora, est in eadem re fundatum logico, colligendi plura & diuersa prædicata essentialia, formaliter distincta, ut quia in homine est sensituum & viuens, ratio ne eiusdem formæ rationalis, quæ una præstat omnia illa munera, vitæ, sensus & intellectus, ideo logicus colligit prædicata illius hominis plura, animal, viuens, substantia, quæ tamen omnia re ipsa physicè conueniunt. Itaq; rectè quidem sequitur, sunt plura prædicata quiditatiua, ergo plura esse à pluribus formis, quia modus prædicandi sequitur modum essendi: non tamen sequitur si unus sit modus essendi ab una forma essentiali, esse unum modum prædicandi, quia una forma substantialis habet virtutem producendi plura esse, quatenus plura in se virtute cōtinet, ut dicitur de anima perfectiori, neq; inde rectè concluditur, affectiones hominis omni animali conuenire, quia non conueniunt homini, qua animal, sed qua homo, id est rationis particeps, qua non conuenit cum coeteris animalibus, sed ab eisdem distinguitur. Hæc omnia si rectè considerentur, non erit difficile omnium opinionum argumenta refellere.

## CAP. V.

Text. 25.

**S**Vper est de accretione dicere, quo nam differat à generatione & alteratione, & quomo-

do accrescat vnumquodq; accrescentium, & decrescentiū decrescat. ac imprimis cōside randum est, vtrum ipsorū discrimen, in eo tantum positum sit circa quod, vt sit verbicau sa generatio huius in hoc mutatio, veluti ex substantia potestate, in substantiā actu: quæ autem circa magnitudinē accretio ac diminutio, quæ verò circa affectionem, alteratio est autē vtraq; ex dictis mutationis ex his entibus, quæ potētia sunt in actum, an in modo etiā mutationis discrimen existat: nam illud quidem quod alteratur, non videtur necessario secundum locum mutari, neq; quod generatur: sed quod accrescit, & decrescit, alio tamē modo, quam id quod fertur. quod enim fertur, totum mutat locū: quod autē augetur, sicuti quod extenditur, cuius partes, ipso cōsistente, locum mutant: non tamen ut partes globi, quæ toto globo manente, in loco æquali mutantur: quæ autem eius quod crescit in ampliorem locum, in angustiorem vero eius quod decrescit. quod igitur mutatio Text. 26. differt, nū solū eo circa quod, sed etiā modo eius quod oritur, & alteratur, & augetur, manifestum est,

## Cap. quinti explicatio.

**V**T generationis doctrina perfectior esset, atq; exactior, ab alteratione eam distinxit, hoc autē c. ab accretione distinguit: genera-  
tio prætera & alteratio cōmu-  
nia sunt, cum inanimatis etiam cōue-  
niant, accretio specialis, & animato-  
rum propria. Tria autem de accre-  
tione differuntur, distinctio eius ab  
omni mutatione & motu, modus  
quo sit, distinctio à nutritione. pri-  
mæ partis hæc sententia est, ac-  
retio distinguitur à mutatione, quæ  
præsertim generatio est, (cum qua-  
videtur similitudinem quandam ha-  
bere, cum sit substantiæ perfectio,  
non cum interitu, ut constat) atque  
etiam differt ab aliis motibus, ma-  
teria circa quā, & modo. Ratio pri-  
mi, quamvis enim omnis mutatio,  
sit ex ente potentia, ut euadat ens  
actu, hoc tamē ens, in generatione,  
est potestate substantia, in actu sub-  
stantiam, in accretione est potentia  
magnitudo perfecta, in alteratione,  
est affectio, vel qualitas tertiae spe-  
ciei. quod nō est aliud, quam motus  
& mutationes, ex terminis ad quos,  
distinguere. vt 5. physico. c. i. Ratio  
secūdi, quoniam id quod alteratur,  
non mutato loco alterari potest, ut  
aqua in eodem loco manēs calefit:  
& quod dignitur non necessario mu-  
tat locum, ut ex sanguine eodem lo-  
co sit lac. quod autem accrescit, aut  
decrescit, necessariò mutat locum,  
sed non ut in latione, quod ostēditur  
argumento ex diuisione sumpto. est  
enim latio recta, & in orbem, quæ  
dicitur conuersio: quod autem fer-  
tur recta, totum locum mutat, ita  
ut nulla eius pars, sit amplius in ea-

dē loci parte, in qua prius erat: quod  
vero in orbem fertur, totum manet  
in eodem loco partibus loco moue-  
tur in eodem, non maiori, aut mino-  
ri loco ut cælum: sed quod accres-  
cit, totum locum in quo erat, nō de-  
serit, sed partibus extenditur in am-  
pliore locum, retēto priori loco,  
quare differt ab his quæ loco mouen-  
tur, siue recta, siue in orbem: cū  
in recto motu, prior locus omni-  
no deseratur, in cōuersione autem,  
in æquali loco partibus sit latio, in  
accretionē autem, neque deseritur  
prior locus, neq; est equalis, sed re-  
tentio priori loco, in ampliorem sit  
extēsio. Hactenus prima pars hu-  
ijs cap.

**I**L lud autem circa quod est Text. 27.

mutatio, quæ ad accretionē  
& diminutionem pertinet (cir-  
ca magnitudinem autem vide-  
tur esse) vtro modo summen-  
dū est? vtrū ex potestate, qui-  
dem magnitudine & corpore,  
actu autē incorporeo, & mag-  
nitudinis expertise, fiat corpus  
& magnitudo? & cum hoc du-  
pliciter accipi possit, vtro mo-  
do accretio fit? vtrum ex ipsa  
separata per se materia, an in  
existēte alteri corpori: an neu-  
tro modo fieri possit? separata  
enim si existat, vel nullū occu-  
pabit locum: nam veluti pun-  
ctum quoddam, vel vacuum  
erit, & corpus non sensibile.  
horum autē alterum fieri non  
potest: alterum necessario in  
aliquo inest. semper enim ali-  
cubi

cubi erit, quod gignitur ex ipso : quare & illud, vel per se, vel ex accidenti.

**Text. 28.** Quod si in aliquo inerit : si solutum & separatum sic , vt illius neque per se , neque ex accidenti quippiam sit , multa sequentur impossibilia. dico autem hoc pacto, vt si fiat aér ex aqua , non erit aqua mutata: sed quod materia ipsius in aqua sit, tanquam in vase, infinitas enim nihil prohibet materias esse: quare & fieri actu. neque præterea sic cernitur fieri aér ex aqua, tanquam exiens ex manente.

### ¶ Explicatio.

**I**N altera parte , explicatur modus quo fit accretio, eius explicatio tres sunt partes. vna de materia ex qua fit accretio, quod est alimentum quātum: altera de eo quod accrescit: tertia de qualitatibus, qui bus materiam accretionis affectam esse opportet. ad primam partē est dubitatio, si ne materia, ex qua fit accretio, magnitudo potentia corporea, actu incorporea , an verò sit actu incorporea. in his autem diuisionibus, semper ferè omittit Arist. aliquot partes , quas tamen addere oportet, vt argumentatio perfecta sit. Ratio dubitandi est, quia materia accretionis est corporea, vel incorporea: incorporea esse non potest: erit igitur corporea. proposicio ex partibus diuisionis immedia tè omnino constat, assumptio probatur. aut enim hæc materia accre-

tionis incorporeta soluta est ac separata per se consistens, vel inhæret alteri corporeo: neutrum autem fieri potest, non primum, quia si seorsum consideret, vel nullum occuparet locum, veluti pūctum, vel si occuparet, induceretur vacuum, cum hoc sit definitum 4.physico.tex. 51. & 52. spaciū, in quo nullū est sensibile corpus, qualis esset illa materia accretionis ab omni soluta & separata corpore. vtrumq; autem fieri non posse constat, quia expunctis nihil generari potest, neque magnitudo constare, vt 6. physico. ostensum est, neque vacuum in vniuerso esse posse, 4.physico. demōstratum est, neque etiam secundum esse potest. si enim materia ista in aliquo in est, aut non erit aliquid ipsius per se, idest aliqua pars essentiam constitutens, neque ex accidenti, idest, neque accidens, aut affectio illius, sed in eo continebitur, vt aqua in vase, aut erit pars essentiam constituens, vel aliquid illi conducens: sed vtrūque est impossibile: primum quidē, quia simile illud esset, ac sīdicas, cū ex aqua sit aér , nihil mutatam esse aquam, sed materiam quādam, quæ in aqua quasi in vase continebatur, foras egressam, factam esse aërem, sic & materiam accretionis in aliquo contentam vt in vase, adiūctam esse ei quod accrescit. quod si materia hæc , si in aliquo continetur, & quanta non est, multæ in infinitum contineri possent, cum nulla ratio afferri possit, cur hæc & non aliq; continetur, si sunt non quantæ, & ideo neque locum occupant, vt 4.physico. ostenditur, posita corporum penetratione, in grano milij montem contineri posse. quod si infinitæ sint illæ materiæ accretionis, ex illorū D 5 egressio.

## Liber primus

egressione, infinita actu fieret, cum tamen nullum actu infinitum esse posse in natura, 3. physico. ostensum sit præterea repugnaremus sensu: quia sensu deprehenditur, non exire ex aqua permanente aërem, cum ex aqua aëris sit, sed aquam planè interire: similiter cum ex pane accretionis materia, sanguis sit & accrescit, evidenter forma panis mutatur, non autem ex manente pane, sanguis prodit accrescens. secundum esse non posse non cœcludit Aristoteles, sed constat, accretionis materiam, ne pè alimentum quantum, non esse in aliquo, ut partem essentiae illius, vel accidens, quia substantia est per se existens, & non in alio.

Contulit autem Aristoteles materiam generationis, cum accretionis materia, quamvis sint omnino diuersæ, quasi vtens argumento maioris, ad concludendum minus hoc modo, si in generatione, ubi non quantitas, sed substantia procreanda est, materia expers corporis esse non potest, multo minus in accretione, in qua ipsam & iam generationem quodam modo contineri postea constabit, & debet noua quantitas fieri. (esse autem in aliquo) vtrunque, videtur significare, nempè esse in corpore aliquo, & idcirco esse etiam in loco, cum id quod loco contineatur, corpus sit. Itaq; hac ratione cœcludit Arist. si quod signitur ex ipsa materia, corporeum est, & in loco, certè materia ex qua gignitur, vel per se, vel ex accidenti, corpora erit, & in loco, nempè opera alterius, quod sit corporis pars: sed antecedens verissimum est: ergo & consequens. satis enim est ad illius distinctionis veritatem, materiam esse in loco, saltem interuentu alterius, nē

pè compositi corporis. quod si aliquid, quod sit in loco fieret ex eo, quod non esset in loco, vel per se, vel ex accidenti & per aliud, certè locus ille fuisset vacuus, vt 3. lib. de cœlo text. 29. dictum est, vacuū autem nullum esse 4. physico. demonstratum est. hæc explicatio, & hic textus Arist. secundum Philoponū correctus, nobis magis probatur, quod inter se valde consentiant, & ideo Philoponi, & aliorum dicas explicationes expēdere, nullius momenti esse iudicauit.

Sed vt hæc sententia Aristotelis consentanea sibi intelligatur, duas oportet dissoluere, quæ in speciem videntur esse contradictiones, asseruit enim Arist. 7. c. 8. physici, lationem ideo esse omnium motuum primum, quod omnes alios motus antecedat: hic autem afferit, neque id quod alteratur, generatur, aut accrescit, loco necessario moueri. respondet in physicis, lationem prece dere alios motus, non quod in aliis includatur, sed quia antecedit ex parte efficientis & mouentis, ut propinquum sit patienti, & ad illud pertingat mouentis vis, hic autem afferit, neque in alteratione, neq; in generatione includi aliquam loci mutationem, ut in accretione includitur, ratione extensionis partium in locum ampliorem. Itaq; recte, inquit Philop. in omnibus motibus lationem requiri, sed non lationem eiusdem corporis, quod alio cietur motu. ut ipsum quod alteratur, loco non mouetur, nec item quod oritur, & interit: verū tamen latio alterius corporis requiritur, ut solis & cœlestium corporum, sine qua nihil ullo moto agitari posset, latio etiam alterantis proximi, ut sit propinquum patienti,

patienti, ita ut possit agentis, virtus illud contingere.

Præterea asseruit Arist. quodam modo materiam esse in loco, nempe ex accidenti: cui tamen sententiæ videtur repugnare quod asserit 5. physico. tex. 8. quod generatur, vel id ex quo sit generatio, quod est materia prima, non esse loco comprehensum, ut neque moueri, neque quiescere, aut esse in loco vere dicipossit. quidam respondent 5. physico. affir mari materiam non esse in loco per se, hisc autem esse in loco ex accidenti, quæ valde consentiunt, & nullo modo repugnat. sed certè prior sententia aliena est à proposito Arist. text. 8. 5. physici. voluit enim eo loco Arist. id quod generatur, distinguere ab eo, quod alteratur, hoc est subiectum generationis, & alterationis: ratio autem distinctionis est, quia quod alteratur, per accidens est in loco, quod generatur, non est in loco. quare ut hæc ratio distinctionis constet, asserendum est, voluisse Aristotelem, materiam, neque per se, neque ex accidenti esse in loco, aliter nulla esset distinctio.

Nos igitur intelligamus, materiam respectu habito ad formam generandam, nec per se, nec ex accidenti esse in loco, cum subiecta aliorū motuum, certo semper loco continentur: hæc enim consideratio est propria materiae, ut est subiectum generationis, quæ est consideratio illius textus 8. cum mutatio sit ad formam inducendam: respectu autem habito ad formam præsentem, (hunc quam enim materia est, nisi formæ coniuncta, ut paulo ante ostendimus) materia semper loco continetur, non per se, sed ex accidenti: quia pars

est eius compositi, quod per se loco continetur.

**S** Atius igitur est, materiam Text. 29.

Omnibus inseparabilē ponere, vt eadem sit & vna numero, ratione autem non vna. sed nec puncta, nec lineas materiam corporis ponere conuenit, ob easdem causas: illud autem cuius hæc extrema sunt, materia est, quæ sine affectione & sine forma, esse nullo modo potest. Simpliciter igitur Text. 30.

generatur alterum ex altero, vt in aliis est à nobis constitutum, idq; ab aliquo eiusdē speciei, vel generis, ut ignis ab igne, vel homo ab homine, aut certè ab actu. durum enim nō fit à duro: sed quoniam mate-

ria est substatiæ corporeæ, corporis autem iam huiusc, corpus enim cōmune nullum, eadem est & magnitudinis, & affectionis, ratione quidem ipsa separabilis, loco autem minimè, nisi & ipsæ affectiones separabiles sint. ex his ergo dubitatis perspicuum est, accretionem nō esse mutationem, ex potestate magnitudine, actu autem nullam habente magnitudinem. nam separabile sane esset, cōmune ipsum. hoc autem fieri non posse, prius dictum est. præterea huiusmodi sane mutatio non accretionis

## Liber primus

nis propria, sed generationis omnino. est enim accretio in existentis magnitudinis additione: diminutio autem detracatio est: quare quod crescit, magnitudine aliquam habeat oportet, ac proinde non ex magnitudinis experte materia, oportet accretionem esse, ad magnitudinis actum: generatio enim potius esset corporis, non accretio.

### ¶ Explicatio.

**H**Ac tenus ad investigandā accretionis materiā, fuit ratio dubitandi, sequitur statim sententia Arist. quā dissoluit propositam dubitationem, sit ne materia accretionis corporea, vel in corporeā. Sententia hæc est, materia accretionis & aliorum motuum & mutationū, eadem est secundum rem, & loco inseparabilis, ratione tamen diuersa est. itaque una & eadem materia, quæ rebus est annexa inseparabili-  
ter, ut pars essentiæ per se, ut est potestate substancialia generationi, ut est potestate qualis alterationi, ut potestate quanta, accretioni subiicitur: actu tamen nunquam est formæ substancialis, quantitatis, aut qualitatis expers, & ideo cum est materia accretionis, actu est corporea, sed potestate aliud corpus, cum materia alterationis, actu qualis, sed potestate ad aliam qualitatem: cū potestate ad aliam formam substancialē, actu tamen cum altera forma, per quam existit: quare ut subiicitur formæ substanciali immedia-

tè, nullam habet formam substancialē, ut supra c. 4. explicatū est, sed est pars naturalis substancialē cū vero accretionī, aut alterationi, expellit quidem priorem qualitatem, & manet substancialia eadem numero composita si alteretur: sed substancialē formam & quantitatem, si accretio fiat ideo materia expellit, quia amissa quantitate, necesse est substancialiam corrumpi cū ea sit immediatum subiectum quantitatis, & quantitas primum accidentis, quare expulsa quantitate, expelli necesse est formam substancialē, quæ sine propriis accidentibus, quorum fundamentum est quantitas, consistere non potest. vnde rectè dicitur, materiam mutationis, alterationis & accretionis loco non separari, neq; numero, & re diuersam esse quia uno & eodem loco necesse est, sita esse, materiam horum omnium ut locus materialis conuenire potest cū sit eadem omnino res, ratione diuersa. hæc est sententia Aristotelis explicatio. Confirmatio est duplex, prior sic concludi potest. si materia substancialē esset loco sciuncta, à materia quantitatis, & affectionis, (vel à materia accretionis & alteratio-  
nis, quod est idem, quia accretio & alteratio est ad quantitatem & affectionem,) affectiones & ipsa accidentia, essent separabilia à substanciali: sed consequens impossibile est: ergo & antecedens, connexum facile ostenditur, nam si alio loco materia substancialē contineretur, alio materia affectionum, certè affectiones & accidentia consisterent, nulli substanciali tanquam subiecto & fundamento innixæ. vnde concludit Aristoteles, ex dubitatis, hoc est argumentis de dubitatione proposita

con-

conclusis manifestum esse, accretionis materiam esse non potestate, sed actu quantam, alioquin communem ipsum, separabile esset, hoc est materia, quam communiter omnibus mutationibus subiectius, per se separata cōsisteret, quod fieri nō posse diximus. sed in quibusdam exemplaribus non legitur (commune), sed vacuum, verba enim Græca κονιον communem, & κενόν vacuum, adeo similia sunt, ut vnum pro altero facile accipi potuerit. sensus autem constabit si legatur, vacuuū. concluderet enim hoc modo. Si accretionis materia esset incorporea, esset re ipsa vacuum aliquod separatum ab omni corpore. est enim vacuum cogitatione ipsa, si, verbi gratia, consideretur superficies corporis continentis, & non vt continens: hoc autē spaciū, in quo excipi posset corpus, esset re ipsa vacuum, si materia separata per se cōsisteret. non enim loco contineretur, quia corporeanō esset, quare contineretur vacuo: cum id definiatur spaciū, in quo corpus non est, & ex consequenti, si materia accretionis esset incorporea, inducetur re ipsa vacuum, quod tamen esse non posse, 4. physico ostensum est. Hæc est prima sententiae Aristotelis probatio. in qua proponenda admonet Arist. hāc materiam magnitudinis & accretionis esse materiam corporis huiusc, id est singularis, quia corpus commune & vniuersale, re ipsa non consistit, quod oriri & accrescere posset: cum generatio & interitus omnis rei singularis sit, vt inquit principio metaph. & similiter omnis motus, & effectio. addit etiam, quod ex hoc efficitur, neq; puncta, neq; lineam, vel quicquid caret tri-

bus dimensionibus, materiam accretionis esse, sed ipsam materiam, quæ nunquam est sine forma & affectiōibus, quia illa omnia incorporea sunt.

Altera probatio eiusdem sententiae, dicitur concessio, & à quibusdā ἀντι παραστάσι in qua pars aliqua aduersa sententiae exploditur, pars conceditur, sicuti præcedens probatio, εὐτέλαι, quasi integra sententia alicuius reiectio dicitur. sic igitur disponi potest. esto, ex materia incorporea per se consistente, aliquid fieri posset: adhuc tamen mutatio illa, quæ ex huiusmodi materia fieret, generatio esset omnino, id est simplex & absoluta, quæ substantia est, minime autem accretio: nō est enim in notione generandæ substantiae inclusa quantitas, cum forma & materia, quibus generatio perficitur, sine quantitate concipi possint: est autē in notione accretionis quātitas inclusa, atque in diminutione: quia quantitas accretione additur, diminutione detrahitur: quare materia ex qua sit accretio, necessario erit corporeā & quanta: et si expers quātitatis aliqua materia intelligatur, ex ea corpora generarentur, nō tamen accrescerent. sed re vera, neque generatio existit ex materia nō quanta, quamvis in illius notione quantitas nō includatur, vt in notione accretionis. quare cum dicimus materiam accretionis esse potestate magnitudinem non absolute intelligimus magnitudinis expertem, sed potentia magnitudinem tantam, ad quantam accretione peruenientem est. Hæc Aristoteles de accretionis materia, de qua proposita fuerat ratio dubitandi: sed interserit etiam de causa efficienti hāc sententiam,

## Liber primus

tiam, in omni mutatione necesse est causam efficientem, esset aliquid actu ens, ut sit idem, cum re effecta, specie, aut genere, vel saltem analogia & vi quadam efficiendi, per quam sit actu ens. cum ignis ab igne, & homo ab homine sit, idem est efficiens specie, cum mulus ab equo, idem est genere, cum durum a non duro, ut a frigido, vel a sole, lutum indurante, neque est idem genere, aut specie, est tamen aliquid actu vi quadam praeditum, ad gigantem duriciem.

4.c.8. physi.  
omne quod  
est potest a sit  
actis, ab eo  
quod actus est

**S**vmendū igitur potius est, quasi ab initio ad quæstionem aggredientibus, cuius tandem sit crescere, & decrescere, quorū causas inquirimus. appareat itaque eius quod crescit, quamlibet creuisse partē, & indecrescendo, minorē esse factam. præterea, accedente aliquo crescere, ac decedente decrescere. atqui necessariū est, vel incorporeo crescere, vel corpore: si in corporeo quidem, erit separabile ipsum commune, fieri autem nequit, magnitudinis materiam esse separabilē, ut antea diximus, si corpore duo in eodem corpora erunt, & quod accretionem accipit, & quod præbet, verum hoc etiam fieri non potest. Ceterum neque sic licet dicere, accretionem fieri & diminutionem, quemadmodum cum ex aqua aëris: tunc enim maior moles facta est. hoc enim

Text. 33.

nō erit accretio, sed illius quidem in quod mutatum fuerit, generatio, contrarij autem in teritus, neutrius vero accretio: sed vel nullius, vel si quid utriusque commune est, & genito & corrupto, veluti si corpus: minimè autē aëris, aut aqua crevit, sed altera periret, alter genitus est, corpus accrescit, si quid accrescit. verum & hoc fieri non potest. tueri enim ratione oportet, quæ crescenti & descrecenti insunt: hæc autem tria sunt, unum quidem, quamlibet crescentis magnitudinis partem fieri maiorem, ut carnis si caro: alterum accedente aliquo. Tertium vero, seruato & manente eo quod crescit. Nam cum aliquid simpliciter oritur, vel interit, non manet: at cum alteratur, vel crescit, vel decrescit, manet idem quod crescit, vel alteratur: sed hæc quidem affectio, ibi vero magnitudo eadem non manet. quod si ea quæ dicta est, accretio esset, liceret sane nullo accedente, neque manente crescere, & nullo decedente decrescere, & non manere crescens. verum hoc tueri oportet. possuimus enim accretionem esse huiusmodi quidam.

Expli-

**Explicatio.**

**D**iximus Aristotelē, ad explicandum modū, quo fit accretio, & materia accretionis, & quod accrescit, qualitates deniq; materiæ accretionis, explicare, dictum est de primo, sequitur dicendum de secundo: sed ut exactior sit explicatio, receptæ quædam sententiæ ponuntur, ut prænotiones & anticipatiæ intelligentiæ, ex quibus ut firmissimis constans erit & certa omnis deinceps conclusio, atq; etiam præcedens doctrina amplius illustrabitur. vnde, quia hæc sunt prima de accretione principia, asserit Aristot. se quasi ab initio accretionis doctrinam exordiri. sic docuit principio poster. analys. constituendam esse doctrinam, sic 4. physico. ex huiusmodi receptis & probatis sententiis, loci definitio inuestigatur. Tres igitur conditiones sunt, quæ de accretione & imminutione ab omnibus conceduntur, duas primum proponit, deinde tertiam adiicit, & ideo inquit, eas apparere, hoc est ab omnibus probari & concedi. prima est, eiusquod crescit, quamlibet partē crescere, ut distinguatur accretio ab appositione & additione, quæ fit in expertibus vitæ, animati autem accrescentis, cum fiat accretio ab in situ principio, necesse est quamvis partem crescere, quamvis aliæ magis, alię minus. secunda conditio est, accedēte aliquo fieri accretionem, decedēte diminutionem. Tertia, rei quæ augetur seruari pristinam formā & speciem, ut id quod accrescit saluum permaneat, & incolume. ex secunda autē conditione admonet, oriri eandem fere rationem du-

bitandi, quæ fuit in præcedentibus de accretionis materia. si enim accedente aliquo, fit accretio, si illud sit incorporeum, vt materia prima & communis, erit hæc separabilis ab omni forma, & per se consistens, ut ex ea fieri possit accretio, quod fieri non posse constat: si autem sit corporeum, duo corpora erunt in eodem loco, idest se se penetrabūt, quod 4. physico refutatū est. si enim omnis pars crescit, corporeo accedēte, totum quod accrescit, vacuus meatus erit, aut corporeum accedens, omnes accrescentis partes penetrauerit. Ceterum pro(cōmuni) in quibusdam exemplaribus legi, vacuum, & adhuc sensum constare posse, explicauimus ad tex. 31. Deinceps, tertiae cōditionis necessitatem ostendit, depulso errore, quem aliquis ex præcedentibus colligere posset, & ideo non addit tertiam cōditionem nisi hac præposita necessitate. diceret enim aliquis, si accedēte alimēto corporeo, quod diximus esse materiam accretionis, corpus viuentis accrescit, quia fit maius, erit igitur accretio, cum ex aqua fit aë, siquidē maior moles facta est. sed occurrit Arist. non esse accretionem, sed aquæ interitum, aëris ortum: quia deficientibus accretio nis conditionibus, accretio esse nō potest: de est autem secunda, quia non accedit alimētum extrinsecus: deest tertia, quia non permanet quod accrescit, saluum & incolume. in omni autem alteratione & accretione, eadem manet substantia rei actu, & eadem forma substantialis, mutatio tantum est in terminis, qualitatibus in alteratiohe, quantitatibus in accretione, ex quibus hi motus distinguuntur. quod si aliquod corpus commune

Hanc ratio-  
nem non dis-  
soluit Arist.  
quia ex præ-  
cedentibus &  
sequentibus  
de modo ac-  
cretionis po-  
terit dissolui.

commune genito & corrupto, maneret idem, videri posset accretio: non manet autem, quia tota substātia corruptitur, & altera generatur, sola permanente materia prima, quæ per se aetū non consistit, vt dicatur vnum & idē ratione illius manere. subiectum enim accretionis & alterationis est substantia cōposita, generationis materia prima, 2.c. 5.physici, & 4.c. extremo huius libri, illud autem corpus cōmune genito & corrupto esse non posse, in disputatione capit. 4. ostē dimus, & hic videtur Aristoteles significare. Hæc sunt ratæ & firmæ de accretione sententiæ, quas in oīnni deinceps disputatione retinere oportet.

**Text.** 34. **D**ubitauerit autem quispiam, quidnam sit, quod augescit, vtrum cui apponitur aliquid, vt si crus crescit, ipsum maius, alimentum autem quo crescit, minime. cur igitur non creuit vtrumque? maius enim est, & quod, & quo. veluti cū vinum aquæ miscueris: vtrumque enim similiter amplius fit. An quod vnius substantia manet, minime autem alterius, vt quæ est alimenti. nam & ibi quod excellit, nominatur in mistione, vt quod vinum. vniuersa enim illa mistura, non aquæ sed vini opus præstat, similiiter autem & in alteratione, si adhuc maneat caro, & ipsum

quid est, & affectio inest aliqua earum, quæ perse, quæ ante non inerat, caro alteratur. quo autem alteratum est, interdum quidem nihil perpeſsum est, interdum autem patitur. sed alterans & principium motus in eo, quod crescit, & alteratur. in his enim mouens, quando & illud quod ingressum est, maius aliquando fieri potest, & quod illo iam potum est corpus, velut si quod ingressum est alimentum, fiat spiritus: sed interiit, quod talem subiit perpeſsionem, & mouens nō in hoc inest.

### ¶ Explicatio.

**E**x quibus colligitur hæc, de eo quod accrescit, prima sententia, id est, de subiecto accretionis. non accrescit, aut alimentum per se, aut id cui apponitur & alimentum simul, sed id tantum corpus, cui apponitur. explicatur exēplo, & deinde, ratione & similitudine probatur: exēplum est, cum alimentum cruri apponitur, non crescit alimentum, sed crus quod maius factum est, neque alimento cruri permisto, creuisse vtrumque afferendum est, vt cum vinum aquæ permiscetur, videtur vtrumq; creuisse, quia vtrumque amplius factū est. Ratio est ex tertia conditione, id enim crescit, quod saluū & in columnæ manet, id verò nō est aliū mentum,

mētum, sed cui apponitur, vt crūs: id etiam vino aqua mixto cōstabit, quamvis enim in eo non sit accretio, sed permīstio, vt cap. 10. ostendetur, tamen mixtura maior facta, si in ea vinum excellat, vinum dicitur, & ita vinum veluti creuisse: si excellat aqua, nominabitur aqua, eaque creuisse dicetur, quasi semper illud crescat, quod remanet: & illud remanere videtur, quod in mīstione excellit, & à quo est denominatio, & cuius opera præcipue apparent, cū ex operationibus substancialē cognoscantur. Reliqua est similitudo, ex alteratione ducta. Vt enim caro alterari dicitur, si formam & essentiam retineat in columnen, & excipiat affectionem aliquam, ex his quæ per se id est naturaliter, subiecte carni, inesse possunt, (sic enim per se, in definitione generationis, & hic usurpari, rectè inquit Philop.) sic illud accrescit, quod suam substancialē saluam retinet: sed differunt, quia alimētum quod fit accretio, semper patitur, quatenus corruptum, in aliam formam vertitur: illud verò quo fit alteratio, non semper, immò interdum nihil, aut leuissimè patitur, vt ignis cum ab eo calefimus, cuius alteratio aut nulla est, aut sensu nō deprehenditur. Sed aliquādo id quod alterat patitur, & corruptitur, vt cibis antequam in nostram vertatur substancialē, nos alterat, atque ita idem est subiecto alterans, & augens ut materia: augens autem & alterans, vt principium motus id est vt efficiēs, est in eo quod accrescit, quia illud, superat & mutat cibum: itaque mutatio sese alterant cibus & corpus accrescens, sed corpus manet, cibus suam amittit for-

mam, & alterans cibum, est in eo quod alteratur à cibo id est corpore animato, sed multo magis alterat ipsum cibum, quam alteretur: loquitur enim de eo alterato, quod idem subiecto est, cū eo quod crescit: quam expositionem Auerr. significauit, D. Tho. ferè expressit, Philop. non vidit: quare illud constanter nobis afferendum est, illud augeri, quod non solum maius fit, sed etiam incolume remanet: cātero qui alimentum quod ingressum est, potest in maiorē molē intumes cere, & corpus quod illo positū est, augeri, vt si cibus in spiritum & vaporē conuertatur: nec ideo tamen creuisse alimentū dicemus, quoniā cibus ille in vaporē aut spiritū conuersus, corruptus est, suamque formā amisit, & vis illa mouens, quæ vincendo cibū conuertit, non est in cibo conuerso, sed in corpore conuertente, huic igitur tribuatur vis alterās cibū, & augens animatum corpus, alimentū autē sit, quo alteratur, & quo augetur in quibusdam autē exemplaribus, post illa verba (& nihil per pessum est) leguntur hēc. (ne c substancialē alterata est,) quod videtur idē esse, ac si diceret, nec substancialē per alterationem interiit, quia insignis & perfecta alteratio via est, & preparatio ad interitum, aut significat elementorum qualitates, quæ pro diffētiis substancialibus plerumque in his usurpatū, intendi & remitti: quare autem conuersio aquæ in aerem, non sit accretio, item vtrum aqua in vinum conuerti possit, & aqua alimētum esse, in disputatione de accretione commodius differetur.

E Quo-

Text. 35.

**Q**uoniam autem de his satis dubitauimus, dāda est opera, ut dubitationis dissolutionē inuenire agrediamur, retinente illud, manente eo quod crescit, & accedente aliquo crescere, decedente autem decrescere. Ut ex punctis corpus non cōponitur, sic etiam neque augetur, & ideo alimentum apponitur partibus sensibilibus, idest habentibus magnitudinem, non autem signis insensibilibus, id est punctis. Præterea autem, quodlibet signum sensibile, aut maius, aut minus factum esse, ac neque corpus inane esse, neque duas in eodem loco magnitudines, neque in corporeo crescere. Causa autē constituenda est, cum primum duo constituerimus: primum quidem partes dissimilares ideo accrescere, quoniam similares accrescūt, vnaquæque enim ex his cōponitur. Deinde, carnē & os, & huiusmodi partes duplittere esse, sicuti & alia, quæ speciem & formam in materia habent: idest carni tribuitur ali- quod ratione materiæ, vt cū dicitur alterari, aliquid rationæ formæ, vt cū dicitur sentire. Natura & materia dicitur, & species caro vel os: illud igitur quamlibet partem cres-

cere, & accedente aliquo, secundum formam potest, non autem secundum materiam.

Cogitare enim oportet, ac si quis eadem mensura aquam metiatur, semper enim alia at

Text. 36.

que alia existit aqua, sic & carnis materia accrescit, & non cuiq; omnino fit accessio, sed

partim quidē defluit, partim verò affluit, figurę vero & spe

Text. 37.

ciei cuilibet parti. In dissimili- tribus autem id euidētius est,

vt in manu proportione ipsam crescere. hic enim longè euidētius cernimus, mate- riā esse alteram à forma, quā

in carne & similaribus: quare & mortui magis videbitur es- se ad huc caro, & os, quam manus & brachium: quo circa

est quatenus quæcunque carni pars creuisse dici possit, est autem quatenus minime, secundum enim formam cuique accessit, non autem secū

dum materiam. Cæterum ma- ius factum est totum ipsum, adueniente quidem aliquo,

Text. 38.

quod alimentum dicitur, & contrarium: mutato autem in eandem speciem. veluti si sic

co adueniat humidum, adue- niens autem mutetur, & fiat siccū. Est enim profecto qua-

Text. 39.

tenus simile simili crescat, est etiam quatenus dissimili. Du- bitauerit autē quispiā, cuius- modi

modi nam illud esse oportet, quo crescit? perspicuum sanè quod potestate illud, vt si caro potestate carnem: actu igitur alterum, corruptum autē hoc, caro evasit: igitur non ipsum, perseipsum generatio enim esset, non accretio, sed quod crescit hoc ipso.

### *Explicatio.*

**A**ltera sententia, ad explicandum modū accretionis, hæc est, crescentibus similaribus & homogeneis, dissimilaria & heterogenea secundum formam accrescunt. Explicatur primum, deinde probatur, explicatio ex his distinctionibus colligitur. Primo enim animata omnia, vel constant ex similibus partibus, quarum est eadē ratio cum toto, vt carne, osse, nervis, vel dissimilibus, quarum est ratio diuersa, vt membris & organis, manu, pede, quia igitur alimentū apponitur similibus partibus, vt carni, ossibus, nervis, & ex his constat dissimiles partes, & organa, necesse est crescētibus similibus, dissimiles crescere & augeri, vt accrescit brachium, crescentibus ossibus & carne, ex quibus componitur. Deinde, in his omnibus partibus similibus & dissimilibus, vel cōsideratur materia partis quæ materia elementis respondet, vel forma propria & figura, qua caro vel brachium esse dicitur, & ab aliis distinguitur, asseritur igitur, accretionem non esse secundum materiam, quamvis ipsi fiat alimenti ap̄positio, sed secundum formam, vt

hæc dicatur verè, maior aut minor fieri accretione, & immunitatione, non autem materia. Hæc autem materia & formæ distinctio, quamvis spectetur in similibus & dissimilibus partibus, cum omnes propriam materiam habeant, & formam vel figuram, evidentior tamen est, in dissimilibus partibus, & organis. Argumentum est in partibus cadaueris animalis, carnem enim eandem viuentis & mortui animalis, & alias similares partes, easdem esse, plerique omnes fatentur, eadem manum, aut idem brachium, non fatentur, quoniam in illis existimant eandem manere actionem, aut non esse alium usum in viuentibus & mortuis, in his, vident nō manere eundē usum, neque easdem operationes: re vera tamen neque similiū, neque dissimiliū eadem forma manet in viuentibus & mortuis, vt ostendit 4. Meteorologico cap. vltim. & cap. 1. libri, 1. de Part. hæc est huius secundæ sententiæ explicatio: probatio prima ex probatis illis & receptis de accretione principiis sic deducitur. Id accrescit quod idem saluum manet, & incolumē, id autem est forma & figura partium, quæ semper est eadem, dum animatum vivit, non autem materia, quæ continuò difficit, & dilabitur: forma igitur accrescit, non materia, & similiter alterum accretionis principium quamlibet partem, accedente aliquo crescere, secundum formam verū est, non secundum materiam, quia cum difficiat, non manet quemlibet eius pars, vt secundum quamlibet, vere accrescere dicatur. Altera probatio ex similitudine,

## Liber primus

finge enim mensura aliqua ut utre, continent aquam, assidue effluentem, manet eadem mensura, aqua autem assidue mutatur: & si quidē maior aquæ copia influit, quam effluat, mensura extenditur, si minor, comprimitur & contractatur. idem fit in accretione, forma carnis, quæ est mensura & terminus materiæ, eadem manet, materia assidue labitur, atque interdum maior copia influit, quam effluat, (id enim significant illa, [& carnis materia crescit] id est maior copia influit: quia materia proprie non crescit) atque ita fit carnis incrementum, & crescentibus similaribus, crescunt dissimilaria & organa. Sic videmus in flore pubertatis crescere quamlibet partem formæ manus, brachij, faciei, proportione quadam, ut in manu digitum, in digito articulos, in articulis ossa: non ita autem aperte partes formæ carnis, vel ossis, sed eundem esse modū accretionis in omnibus existimare oportet.

De tribus propositis ad explicandum modum accretionis, superest tertium de qualitatibus quibus materia accretionis alimentum affectum esse oporteat, & simul explicatur, quo accedente accretio fiat: sententia est, alimentum quo accedente totum ipsum animalum sit maius, & accrescit, tali sit potestate, quale actu est, quod accrescit, vt si caro accrescat, potestate caro, hoc est, iis qualitatibus & temperamento prædictum, quod facile in substantiam accrescentis mutari posset. Itaque concoqui calore naturali, partibus apponi, & assimilari possit secundū substantiam: his enim mutationi-

bus, ex potentia tali, fit actu tale, ut panis potentia caro, actu in carnem mutetur. Ratio sententiæ est, quia alimentum principio, cum per os, aut radices sumitur, est contrarium, & dissimile partibus nutrientis & augendis, coctum autem innato calore, eisdem partibus simile omnino redditur: est igitur tale potentia, quale actu est, quod accrescit.

**Q** Vid igitur ab hoc passum est, ut augeretur? an mistum fuit? veluti si quis vino aquā infuderit, hoc autem possit, quod admistū fuit, vinum reddere: ac veluti si ignis attigerit combustibile, ita insita vis augendi in eo, quod accrescit, & actu existit caro aduenientem carnē potestate, carnem actu efficit: ergo quod simul sit: nam si seorsum, generatio. Licet enim ita facere ignem ei, qui iam existit apponendo ligna, atque hoc quidem accretio, cum verò ipsa per se & separatim cōbusta ligna fuerint, generatio. Quantum autem, quod quidem vniuersale non fit: quemadmodum neque animal, quod neq; homo, neque aliquid ex his, quæ singulalia, verum ut hic vniuersale, ita ibi quantum.

Text. 40.

Expli-

*Explicatio.*

**H**actenus explicauit Aristot. modum accretionis, sed quoniam ex eo oriri possent duæ dubitationes, eas statim dissoluit, antequam accretionem à nutritione distinguat. Prior dubitatio sic ex precedentibus oriri videtur: si in accretione, ex potestate carne, ut dictū est, sit actu caro, caro autem est substantia, erit accretio generatio, cum terminus illius mutationis, sit substantia: sed respondet Aristoteles, ideo non esse generationem, quod ipsum alimentum, quod potestate erat caro, non seorsum & per se evasit caro, sic enim generatio esset, non accretio, sed viuenti quod crescit: & actu existēti carni, nouæ actu carnis fit accessio, & quia iam est actu, eius generatio esse non potest. Itaque quod accreuit, patitur aliquid ab hoc alimento, & sicut iferè mista maiora evadunt apposito aliquo, sic quod accrescit, sed quia viribus præstat, alimentum in seipsum conuertit: eam sententiam duobus exemplis illustrat. Ut si quis in vinum, parū aquæ infundat, statim aqua fit vīnum, & vini moles augetur: & vt magnus ignis idoneam materiam, statim in se conuertit & fit maior, ita insita vis augendi viuentibus, oblatum alimentum in viuentis naturam immutat, & viuens redditur manus. Vnde quia hæc noua caro, simul fit cum illa quæ prius actu erat, neque seorsum dignitur, sed illi coniuncta, idcirco accretio est, non generatio, si seorsum autem generatio esset, vt si igni existenti apponantur ligna, non dicitur simpliciter ortus ignis, sed

amplior factus, si autem primum & per se ligna comburantur, ortum simpliciter ignem dicimus. Constat ergo in accretione esse partis qua sit accretio, quandam aggenerationem, & per existentis formæ maiorem ratione partis aggeneratæ, extensionisque ad ampliorem quantitatem informatiōnem, quia per se & seorsum, noua forma in materiam non inducitur. Altera dubitatio sic disponi potest, si per accretionem quantitas acquiritur, non igitur oportebat prius quantitatē extitisse in alimento. Responso est, si quantum vniuersè fieret certe antequam fieret, nullum quantū extitisse oporteret: sed non sit quantum vniuersè, sed quantum hoc, & ideo sit ex quanto, sed non hoc quanto, alioquin iam esset, & non fieret. Sic omnino non sit animal, aut homo, sed singularia: sed quemadmodum cū sit hoc animal, dicitur fieri animal, quia est in hoc animali, sic etiā cum sit hoc quantum, dicitur fieri quantum, quia est in hoc quanto.

*C*aro igitur, & os, velma *Text. 41.*

**C**nus, vel nerui, & horum similaria, adueniente sanè quanto aliquo, sed non carne quanta. Quia igitur potentia simul vtrumque, veluti quanta caro, ita quidem auget, (nam & carnem factam esse quantam oportet) qua autem caro solum nutrit. Sic enim ratione differunt nutritio & accretio: vnde couisque dum aliquid seruatur, atque

etiam cum decrescit, nutritur quidem illud, sed semper tamen nō crescit, ac nutritio, eadem quidem, cum accretione res est: ipsum autem esse diuersum. Qua enim quod accedit, est potestate quanta caro, ita quidem vim habet augendæ carnis: nutritio vero, qua est facultate caro, & alimentum. Hoc autem species sine materia, quasi facultas quædam expers materiae, in materia est: quod si aliqua accesserit materia, cū sit potestate expers materiae, habeatque quantum etiam potestate, hæc erunt maiora expertia materiae: quod si facere amplius nō possit, sed quemadmodum aqua vino magis mixta, tandem aquosum facit, & aquam, tunc diminutionem facit quanti, species autem manet.

### Explicatio.

**R**eliqua est tertia capitinis pars, de distinctione nutritionis & accretionis, quoniam alimento dictum est accretionem fieri, & eodem constat fieri nutritionem, ne quis idem esse nutriti & accrescere existimaret. Sententia distinctionis est nutritio & accretio subiecto sunt idem, ratione & esse distincti. Ratio desumitur ex obiecto alimento, est enim alimento

substantia quanta, ut substantia nutrit, ut quanta auget, itaque ut idem auget & nutrit, & ratio utriusque non est eadem, ita alimentum, cū habeat potestatem nutriendi & augendi, erit potentia utrumque, nempe auctionis & accretionis materia: cum vero reducitur ad actum nutriti, sumitur ut substantia, cum vero ad actum augendi, sumitur ut quantum, atque re idem est, ratione diuersum, & de potentia ad actum augendi & nutriti, à virtute augendi & nutriti deducitur: ut potentia calidum fit actu calidum, à calido actu vel virtute: in nutritione enim nulla nouæ quantitatis adeptio expectatur, sed tantum formæ & speciei, siue substantiæ custodia. Atque ideo dum viuimus, etiam cum decrescimus, nutritio necessaria est, ut forma in propria materia conseruetur: non autem crescere semper oportet, sed usque ad definitum perfectionis terminum, immo aliquando decrescimus. Non solum enim sine nouæ quantitatis accessione viuimus, sed etiam cum aliqua prioris quantitatis iactura, que paulatim fit indecrescentibus. Nutritionem autem esse sine accretione hac similitudine videtur Aristot. explicare, est enim textus sententia valde implicata, & verba ipsa mutilata, & depravata esse vindicantur: sed ex Græcis hæc colligi potest explicatio, nutritio sine accretione, est veluti species & forma sine materia & quantitate, (cum materia enim vult intelligi quantitatē inquit Philopon. quod sicut sit materiae, & illius propriū accidens, ) quia formam rei, quam nutrit, conseruat, nulla tamen materia

teriæ & quantitatis additione facta. Quamvis autem nutrit alimē tum, vt formæ similitudinem gerit, sine materia & quantitate, re ipsa tamen cum materia coniunctum est, vt res omnes sunt ex materia, quatenus potentia est, semper tamen cum actu & forma coniuncta est. Itaque pars est quodammodo conditio materiæ, & formæ mortalis: materia enim adhibet vim propriam ad patiendum, non autē accipit à forma: sed quoniam pati non potest, nisi existat, neque existere sine forma, ideo indiget forma: sic forma ad informandum nō eget materia, nisi quatenus sine ea vim informandi exercere non posset, cum tamen vim informandi à se ipsa habeat. Vnde recte inquit Aristot. Si aliqua accesserit materia, id est alimentum, quod est accretionis materia, quodque nouæ materiæ & quantitatis accessionē facere possit, cum sit, inquit, potestate expers materiæ, habeatque quantum etiam potestate id est cū alimentum potentia immateriale existens, quatenus habet potentia carnis, aut ossis, aut eius denique quod nutritur, formam, quæ in se nullam includit materiam, & ideo immaterialis dicitur: & præterea habet potentia quantum, quatenus potest apponi secundum quantum ei, quod nutritur, cum inquam huiusmodi alimentum hac ratione apponitur ei, quod nutritur, euadunt maiora expertia materiæ, id est, augentur secundum formam, hoc est enim fieri maiora immaterialia, formam quæ in se expers est materiæ augeri: quod si ex imbecillitate facultatis augendi vel nutriti & alimenti copia, vt vi-

ni & aquæ similitudo significat, nō possit alimentum perfectè alterari & assimilari, quod est non posse facere amplius id est munus suum præstare, in exterendo & concoquendo cibo, fit decretio & quantitatis iactura, quamvis maneat forma & species, quia fit aliqua nutritio, sed maior alimenti copia, quæ concoqui non potest, abit in excrementa. Vt vinum assidua & continuata aquæ infusione, vim amittit aquam in se conuertendi, imo & ipsum paulatim fit aqua: sed valet hæc similitudo, inquit Philop. ad ostendendam imminutionem insitæ virtutis nutriendi, vt in vino imminuitur vis conuertendi aquam in se ipsum: non valet autē ad ostendendam similem quantitatis amplificationem, fit enim quantum maius aqua infusa, ingestu vero alimento, & imminuta vi nutriti, non fit quantum maius, sed viuentis quantitas potius imminuitur. Vis enim nutriti, assidue pugnando, cum alimento apposito, quia principio est dissimile, & contrarium partibus nutriti, multum roboris amittit, vt vinum multa aqua infusa, atque ita fit decreatio & imperfecta nutritio. Hactenus de sententia Aristolis.

### *Disputatio de Accretione, ad cap. V.*

**V**T Aristotelis de accretione sententia exactius intelligatur, tria differenda sunt, ex quo fiat accretio, quum præcedat obiecti consideratio, operacionis explicationem: quid accrescat, & quomodo. Sed vt via & ratione

## Liber primus

disputatio suscipiatur, ponēda sunt primo quēdā principia. Primum, in Physica Aristotelis de accretione triplicē haberi considerationē, vñā generalem, vt eius à mutatione & aliis motibus distinctio generaliter intelligeretur ex termino ad quē, vt 5.physico.c.1. explicatū est: alteram specialem, sed adhuc in ratione motus, vt à generatione & nutritione, quibus persimilis videbatur, omnino distingueretur, & hæc est huius loci propria: tertiā, vt est viuentis facultatis operatio, quę lib. 2.de anim.c.4. explicabitur.

Secundū principiū sit, alimenti ex quo fit nutritio & accretio, distinctione, dicitur enim ab Arist. 3.c. lib. 2.de Par. & aliis multis locis, aliud primum, aliud vltimum: illud est crudum & incoctum, quod ore ab animalibus, & radicibus à plantis primum excipitur: hoc autem est coctum & digestum, quod sanguinem vocamus, partibus nutriendis & augendis accommodatum. Alimentum primū vocavit Hipp. libro de alimento, nutritum vel quasi nutritum, id verò quod Aristoteli est vltimum, Hippocrati dicitur alimentum, quod nutrit. Id autem adhuc distinguit Arist. vt substantiam, & vt quantum, quamvis alterum ab altero re ipsa non distinguatur, sed alium effectum præstat vt substantia, alium vero vt quantum: vt substantia nutrit, vt quantum auget.

Sed quia alimentum ex primo fieri vltimum, nisi aliqua mutatione non potest, vt ex pane sanguis: neque ex ultimo possit fieri nutritio & accretio, nisi in viuentis substantiam conuertatur, vt ex sanguine fiat viuentis caro, ex succo

terræ lignum plantæ: distinguendæ sunt huiusmodi mutationes: quæ quia fiunt à calore in humore, coctiones dicuntur. Coccoctio igitur cibi triplex est, prima in ventriculo, ad quam diuisio cibi, quæ fit dentibus, præparatio quædam est, vt calor ventriculo communum in plures partes facilius exterrere possit: altera fit in iecore, ad quam præparatio quædam fit in venis, quibus ab intestinis ad iecur defertur, vt sanguis elaboretur: tertia est in singulis partibus quæ nutriuntur. Sed in eatres operationes intercedere, necesse est: appositionem, agglutinationem, assimilationem: insita enim vi partis nutriendæ attrahitur primo exundans ex venis accommodatus sanguis: deinde retentus agglutinatur, dum assimilatur, & fit conuersio in partem quæ nutritur: assimilatio autem duplex est, secundum qualitates, quæ ad alterationem pertinet: secundum substantiam, quæ est propriæ conuersio in partem quæ nutritur: & quia non est generatio alicuius per se, vt in textu Aristoteles docuit, rectè à quibusdam aggeneratio dicitur, quasi præexistentis formæ, ad quā primo inductam generatio terminatur, noua in partem quæ similis nutritione affecta est informatio. Vnde rectè Galenus admonet, lib. 3.de temperam. duplex genus esse eorum quæ ore assumuntur: quædam sunt alimenta, quę similia reddi possunt: quædam sunt medica menta, quæ non possunt reddi similia. Sed quae similia redduntur, non sunt equalē sortita conditio nem, quædam enim facilius, quædam difficultius, cum ex proprio tēperamento,

An aqua nutritre possit  
lib. 2.c. 8: ad calcem com-  
mentarij.

mento, tum ex facultate & viribus insiti ad concoquendum caloris. Omnia tamen in eo consentiunt, quod mutari & assimilari possunt: quod si mutantur, ut similia euadant, & omnis mutatio est inter cōtraria, necesse est alimenti & eius quod alitur aliquam esse contrarie tatem, qua deuicta, necesse est, si mile reddatur, & accommodatum ad conseruandū id quod nutritur.

1. His positis, sunt de tribus propositis dubitationibus nō leues rationes dubitandi, ad primam quidē ex qua materia sit accretio, hoc est ex alimento, est hæc ratio dubitandi, videtur enim vel accrescentis anima, in hanc materiam cibi migrare, aut ex ea educi: si migret, nulla erit forma viuens, quæ de potentia subiecti educatur: si ex cibi materia educitur, cum is sit quoddam similare, non erit anima organici corporis actus, ut receptū est lib. 2. de anim. Præterea, cibus grauis est, qui ergo fieri potest, ut sursum, ante retro, dextrorum aut sinistrorum feratur, ad accretionē & nutritionem singularū partium? Suapte quidem natura non potest, quoniam grauis est, vi igitur, atque ex consequenti, motus naturalis accretionis, vi, & contra naturam administrabitur.

2. De eo autem quod accrescit, est ideo grauis ratio dubitandi, quia quatuor sunt, quæ quasi de possessione decertat, materia prima, quātitas, forma, figura. Materia prima, quia eam vult Arist. esse subiectum omnis motus & mutationis, ut ad textum Aristot. explicauimus: sed obstat, quod materia, quia continē ter defluit, non manet, & ideo nō potest esse subiectum, quod verè dica

tur accrescere: cū possum sit ab Arist. id accrescere, quod idem manet saluum & incolume. Videtur autem quantitas ideo accrescere, quia ut in substantia generatio, in qualitate alteratio: ita in quātitate accretio esse videtur. Sed obstat, quod si quātitas accrescat alimen to quanto, videtur induci dimensio nū penetratio, si ex omni parte fiat accretio, & nō est alimenti appositiō: & itē, quantitas cū materia cōtinenter diffilit, & ideo non manet eadē, ut manere omnium quod accrescit. Videtur præterea forma accrescere, quia manet eadē, quod habeat partiū organicarū distinctionē, qua ratione huius sententię sunt Alex. 8. lib. metap. cō. 2. & Auerr. in paraphrasi ad cap. 2. huius libri. Sed obstat, quod forma est substancia, & mutatio in substātia, genera tio est, nō accretio, ut cōstat. & præterea si forma educitur de potentia materię, & hæc cōtinenter diffilit, & ideo subiectum accretionis esse non potest, diffluet etiā ipsa anima, quæ educitur de potentia materię, & ideo accretionis subiectum esse nō poterit. eisdē etiā argumentis dubitari potest, de figura, an ea sit accretionis subiectū, & cū ad qualitatē sit alteratio, & figura sit quarta qualitatis species, vel nō erit motus ad figurā, quia alteratio est ad tertiam speciem qualitatis, vel si est motus, erit alteratio, quia ad qualitatē.

3. De modo accretionis, sit hæc ratio dubitandi, & specie motus: aut enim cibus conuertitur in id, quod accrescit, momento, vel tempore: si momento, motus esse non poterit, cum motus sit de genere continuorum, 3. physic. cap. 1. & to lib. 6. physic. vbi demonstratur

## Liber primus

omnem motum esse diuiduum , & omne mobile partē habere in termino à quo, partem in termino ad quem , quod autem momento fit, continuatum esse non potest. Tempore autem accretionem non fieri ex eo videtur constanter concludi, quod alimentū, ex quo fit nutritio, necesse est conuerti in substantiā primo, & ratione cōsequentis substantiam quantitatis accretionem esse, quæ nunquam à notatione immediate antecedenti separatur, unde accretio fiet momento, quia & nutritio, cum sit generatio quedā.

Ad dissoluendas has dubitaciones sit hæc sententia , viuentis accretio fit ex alimento quantum est secundum formam figuratam & organicam. Conclusio huius singulæ partes expli- cantur, & confirmātur. Prima pars significat, accretionem esse viuentis & animati , propriam operationem, & fieri ab actiō principio insito , secundum omnes partes internas & externas , vt distinguantur ab incremento , quod fit appositione externi alicuius, ex quo euadit maius quantum , cum ex similitudine qualitatum facta est partium agglutinatio, virtute caloris præsertim cælestis, vt in lapidibus & metallis. Ratio huius partis est, quia operatio ab actiō principio insito secundum omnē partem & dimensionem internam & externam, est viuentis operatio: (hac enim ratione viuentium motus & operationes, à non viuentium operationibus distinguuntur, 4.c.8.physic.) sed accretio fit ab actiō principio , convertente alimento, in maiorem substantiam , quam prius fuerat : erit ergo operatio viuen-

tis propria. Est enim considerandum , omnium vitalium operatio- num primum instrumentum , esse calorem natuum , in humido pri- migenio tanquam in propria sede collocatum : & eius actione con- continenti , de substantia viuentis , & proprio subiecto, per consecutio- nem quandam, & ex accidēti, qua- tenus immutat coniunctam substātiā , vt conseruetur , & spiritus ad viuendum necessarij procreen- tur, assidue aliquid defluere , quod necesse est, assumpto alimento ex- trinsecus, continuè refici: cum au- tem vigente actione caloris natura- lis plus reficitur , quam fuerat dilapsum, & non solum substantia vi- uentis conseruatur , sed perficitur viribus & quantitate , accretio fit. Contraria ratione diminutio intel- ligitur , nempè, cum ex alimento, minor substantia & quantitas mi- nor reponitur, ob caloris imbecil- litatem , non valentis tantum con- quoquere & assimilare, quantum est ingestum & appositum, & quā- tum prius effluxerat , hac enim effluxione efficienda, imbecillior redditur, quam vt possit appositum alimentū conquoquere, atq; ideo ex alimento assumpto, plurimū se- cedit in excremēta. Itaq; vt prima huius caloris natui in corde parti- cipatio, est vitæ principiū , & vlti- num non esse quo incipit proxima alteratio sanguinis ad primam vi- uentis nutritionem, sic eiusdem ca- loris permanēs actio, est vitæ cōser- uatio, & perfectissima operatio cir- ca alimentū quantū, est accretio, & eius extinctio , est mors , vt col- ligitur ex lib. de morte & vita. Est autem vt nutritio , sic accretio vi- uenti necessaria, illa quidem vt cō- fer-

D.Tho. 1.p.  
q.119.ar.1.

seruetur eadem numero substantia, hæc ut perficiatur, & possit perfectas habere operationes, quibus species conseruatur, & pluribus individuis communicatur. Sic enim definitur perfectum 4. Meteorologico, cap. 3. sed de his omnibus viuentis operationibus, 4. c. libri 2. de anim. commodius & vberius differetur. Præterea accretio fit secundum omnem partem, etiam organicam, quamvis similaribus primo alimentum apponatur: ergo est viuentis propria operatio, cum viuentis corpus tantum sit organicum.

Altera pars conclusionis constituit materiam ex qua fit accretio, alimentum, ut quantum: sensus autem illius est, in alimento esse substantiam quantam, & virtutem à viuenti conuertitur in propriam substantiam quantam, sed quia motus & operatio, à termino per se primo sumit denominacionem & speciem, cum huius terminus est tantum conseruatio substantiae, & tantum conuertitur, quam de materia affluxerat, est nutritio: cum verò amplius conuertitur, à termino per se primo maioris quantitatis, accretio dicitur: ita que in nutritione & accretione, conversio fit in substantiam quantam, quia in substantiam primo, & eam consequitur statim propria quantitas, cum sine quantitate substantia naturalis existere non possit, quia non esset in partes formaliter distincta: sed cum substantiam alimenti mutatam in viuentis substantiam consequitur maior quantitas, quam fuerat amissa, & in viuenti præcesserat, est à maiori quantitate, ut termino per se primo, ef-

fектa accretio. Ratio huius partis secundæ sic concludatur: ex alimento immutato & confecto actione viuentis, experimur accretionem fieri: sed ea terminatur primo ad quantitatem: fit igitur ex alimento ut quanto, alioquin fieret quantum ex non quanto. Quamvis enim alimenti quantitas, cum à viuenti conuertitur, pereat, pereunte substantia, virtute tamen illius facta est præparatio, ut in substantia viuentis maior consequeretur quantitas. sicuti corruptis dispositionibus, quæ antecedunt formæ substantialis introductionem, virtute illarum manet materia determinata ad alias, quæ formam inducunt consequantur.

Tertia pars significat, subiectum accretionis, cui formaliter conuenit accrescere, esse formam figuratam & organicam: itaque ut corpus formaliter candore candidum est, licet non sit de essentia corporis substantiae, aut quantitatis, candor, quia formaliter illi inest candor, & non denominative tantum extrinsecus, ut dicitur vrina fana, quia signum est externæ sanitatis in animali existentis: ita forma viuentis figurata & organica, formaliter dicitur accrescere, quatenus eadem numero permanens, per quantitatem, qua formaliter extenditur, ampliorem quam prius occupat quantitatem, non quidem ita ut amplificata quantitate & extensa, partes formæ substantialis, cum sit per se individua, etiam extendantur, sed quod actu informet subiectum maius, quam prius informauerat. Vnde quamvis quantitas, & accretio quatenus est idem cum quantitate, ut omnis motus cum termino

Compositum viuens accrescit, sed non ratione materialia, quia diffluendo non manet eadem, sed ratione formæ substantialis organicis incidentis, cum sit actus organicus corporis, atque formæ per se primo tribuitur accretio ut quoque sententia hic explicatur, & ad 23

## Liber primus

mino motus, sit accidens materia-  
le, quod conuenit cōpositæ substanciæ, ratione materiæ, vt tactus ratio-  
ne formæ: non tamen accrescit ma-  
teria, sed forma, vt extenditur ad  
maiorem quantitatem informan-  
dam. Dico autem formam figuratam & organicam accrescere, &  
non formam simpliciter, quia in  
Physica, quæ considerat formam  
in materia, nihil tribuimus formæ  
separatæ à materia, vt constat ex 1.  
cap. 1. lib. de Partib. anim. neque  
formæ viuenti quæ est anima, quid-  
piam tribuendum est, nisi vt est il-  
lius actus corporis, quod organi-  
cum est, neque accretio potest con-  
uenire materia, vt dictum est, ne-  
que formæ viuenti, nisi vt est organi-  
ca, nō vt est substantia, velut est in-  
dividua, aut dividua & materialis,  
quod ratio huius partis, ex princi-  
pio posito ab Aristot. de accretio-  
ne sic concludit: id enim accrescit,  
quod manet idem, sed forma figu-  
rata & organica manet eadem, &  
non materia: illa igitur accrescit,  
& non hęc. Eadem sententia vide-  
tur esse Aristotelis, cum interdum  
hoc, cap. formam, interdum figurā  
dicit accrescere, vt explicant Philop. & Auerr. ad text. 38. materiam  
autem nō manere, quia assidue dif-  
fluat, & ideo nutritione à princi-  
pio ad finem vitæ reparetur, omni-  
no constat: totam autē omnino dif-  
fluere, vt nihil sit in senectute, eius  
quæ fuit in primo ortu, contendit  
Alexan. 1. lib. question. natur. cap.  
5. quia ex tantulo semine, quid po-  
test remanere, in procerissima ar-  
bore, & in magno animali, sed pre-  
stat sententia Philoponi & alio-  
rum, qui aliquor partes primæ cō-  
positionis, remanere affirmant,

eamque sententiam alij, ex par-  
tium distinctione, explicant: que-  
dam enim partes sunt seminariae  
quæ ex seminis corpulentia confor-  
mati videntur, quæ sunt veluti sta-  
mina concepti fœtus, quorum ri-  
mas replet caro, et que ex sanguine  
efficiuntur partes, has itaque  
asserunt continua actione caloris  
naturalis diffluere, illas quasi fun-  
damenta corporis viuentis sem-  
per manere. Probabilis quidem  
sententia, sed nihil refert afferere,  
totam materiam paulatim difflu-  
re & paulatim reparari nutritio-  
ne: cum ex identitate formæ nu-  
merica, & priorum partium mate-  
riæ permanentium, siue hęc aliquā-  
do diffluant, siue non, idem singu-  
lare semper dicetur manere, ne-  
que aliter possit idem numero vi-  
uens perseverare, à principio ad  
finem vitæ, viuens igitur, quia ab-  
solute ratione materiæ idem om-  
nino non manet, ratione autem for-  
mæ manet, dicitur augeri ratio-  
ne formæ, & ipsa forma per se pri-  
mo, non autem ratione materiæ,  
quæ non manet, sed assidue & con-  
tinenter difficit, vt assidue & con-  
tinenter, per nutritionem restitu-  
tur. Neque ex his efficitur anima  
accrescentis ab uno subiecto & ma-  
teria, in aliud subiectum cōmigra-  
re, quia nūquam deserit totam ma-  
teriam, sed partem diffluentem  
reficit nutritione, & ita semper  
est in eodem subiecto, aut si non  
reficit, paulatim animatum ad in-  
teriorum deducitur. Ex his quædam  
consectaria efficiuntur.

Primum est, nutritionem non  
esse generationem: quia hęc est,  
totius substantiæ productio seorsum  
& per se existentis, illa est,  
partis

Consectaria  
quædam.

D.Tho. 1.p.  
q.119. ar. 1.

partis in altero, noua p̄c existentis formæ informatio, quæ ideo aggeratio vocari potest. Secundum, nutritio & accretio non solum ratione, sed re etiam distinguuntur: tamen quia terminus per se primo nutritionis est substantia aggenerata, accretionis autem maior quantitas, quam necessariò & prius natura antecedit nutritio, quia mutata substantia consequitur maior quantitas: tū etiam, quia licet accretio à nutritione separari non possit, nutritio tamen separatur: cum homo & animatum ad perfectam quantitatem peruenient, semper enim viens nutritur, non semper accrescit. Id etiam à quibusdam explicatur ex illa distinctione recepta, duplicitis realitatis essentiæ & existentiæ: dulcedo & candor in laete differunt realitate essentiæ, & quantitas cibi à sua substantia, quamvis hæc simul existant, & ea ratione dicantur esse idem subiecto: sic ergo accretio & nutritio differunt re & essentiæ, quantum differunt quantitas & substantia: sunt autem idē subiecto, quia quantitas eodē subiecto cum substātia existit. Neque obstant illa, quod atrophia videtur esse morbus, qui tollit nutritiōnem, non enim omnino tollit, sed difficilem reddit: aut si alimenti non sit conuersio, sit proprie substantiæ viuentis colliquatio, vt ea sit pro nutritione, & ideo si diutius perseverat, necesse est animalium interire: neque obstat illud, quod nutritionem antecedit, cibi quædam alteratio, quæ cum sit motus, sit in tempore: quare in primo viuentis ortu, quo tempore durat alteratione, illa cibi non erit nutritio, atque ex consequenti, aliquo tem-

pore viens non nutritur: primus enim ille ortus, est prima animæ introductio, per caloris nativi participationem: hic autem calor est in sanguine puriori, quem animal à parenti accipit, & hoc est primum alimentum, quod nulla indiget p̄paratione, vt statim possit nutrire: quia ea p̄paratio facta est calore parentis, vt sicut ab eo accipit vitam primo, sic & primum alimento vitae. Itaque alterationis quæ p̄cessit in parente, terminus & extremum est esse primum viuentis ex eo alimento nutriti, & ita deinceps continenter nutritio procedit. Quod autem dicimus de sanguine, id quidam etiam dicunt, de quadam seminis parte in animalibus, & plantis, vt ex eo pars vna sit materia fœtus & viuentis geniti, altera sit pro alimento eiusdem, quo alitur quandiu trahit alimento, quod alterando p̄parat, vt eo possit nutriti, priori cōsumpto: huius signum videmus in stirpibus, quarum primum corpus ex ipsa seminis substantia consurgit & alitur, donec radicibus productis, ex terra hauriant succum, quo nutriti & crescere possint. Itaque quandiu radices in terram insiguntur, ex substantia seminis non solum formatur corpus stirpis, sed etiam alitur: sic etiam sit in animalibus, quia statim corpore fœtus conformato, reperitur in corde, quod primum vivit, sanguis, qui est ultimum alimentum, & ab utero parentis directis viis deinceps trahitur, vt ex dissectionibus etiam constat. Alij has duas obiectiones ita dissoluunt: nutritionem bifariam accipi, aut pro integra alimenta in viuentis substantiam conuersione,

## Liber primus

fione, & hanc non esse principio & fine vitæ aut pro quacunque alteratione & imperfecta conuersione & hanc semper esse, etiam principio & fine vitæ. Quin etiam physicè, non mathematicè hæc intelligenda sunt, satisque est nutritiōnem toto vitæ tempore permanere, excepto principio & fine: sicuti accretionem dicimus habere definitum terminum, non tamen toto tempore definito continuatur sine intermissione. Tertium consequarium, rarefactio non est accretio, primo quia rarefactio est ad qualitatē, accretio ad quātitatem: deinde accretio fit ex alimento ex trinsecus assumpto secundum omnem dimensionem, etiā profunditatem: rarefactio neque ex alimento, neq; secundum profunditatem: semper. Rarum autem & densum, qualitates esse, docuit Arist. 2. lib. de partib. c. i. quamuis per cōsecutionem quandam, raritate & densitate, varietur quantitas & situs partium. Quartum, falsa est sententia asserentium, formam secundum quā asserit Aristot. fieri accretionem, esse partes seminarias, materiam esse diffluentem, partes sanguineas, aut formam esse partes porosas. Ostēsum est enim omnibus partibus accretionem fieri id tamen per se primo accrescere, quod est forma figurata & organica, atque ea explicatio, ex principiis Aristotelis collecta est, quæ verò partes materialē diffluāt, an omnes vel quādā supra explicatū est, & ad accretionem & nutritionem necessarios esse poros & vias, qui spirituali substantia sint repleti, donec per eos, sanguis ultimum alimentum, nutritiē spartibus apponatur, statim

4.  
Zimara s. cō  
tradic. 4. phy  
sic. Amon.  
In categoria  
qualit Scotus  
q. 36. in eisdē  
categorias.

constabit. De tribus propositis ad explicandum de accretione, superest. Tertium, quomodo fiat accretio, quod ex precedentibus & doctrina Arist. sic colligimus, exudās igitur, ex venis in totum corpus diffundam poros, quibus etiam sudor effluit, partibus nutrientibus apponitur, agglutinatur, assimilatur, & in substantiā viuentis convertitur, & haecenus nutritio est, quod si productam ex alimento apposito substantiam, vi caloris naturalis maior quantitas consequatur, quā primo efficiendam proposuerat sibi natura, vt animatum perficeretur, accretio fit omnem enim substantiam conuersam, necessario quantitas consequitur, vt constat, sed si ea non reddat maius animatum vt perficiatur, erit quidem nutritio, non tamen accretio, quia ex termino per se primo, motus speciem accipit, & terminus per se primo accretionis, est viuentis secundum quantitatem perfectio: hinc videtur dissolui illa obiectio, accretio non est per se primo ad quantitatem, cum hæc cōsequatur conuersionem alimenti in viuentem substantiam, ergonon est motus per se à nutritione distinctus, quia motus distinguitur ex termino per se primo. Respondendum enim est, ideo ad quantitatem per se primo accretionem terminari, quia natura per eam per se intendit, viuentis perfectionem, ad eius perfectas operationes: sed quia quantitas vt accidens substantiam consequitur, ideo videtur non per se primo intenta. Itaque quantitas vt perfectio viuentis, est per se primo intenta in accretione, vt accidentis

dens consequitur conuersione substantie, & ipsa conuersione vtitur natura vt medio ad perfectam quantitatem, & quia per se est cum nutritione coniuncta accretio. Contra autem decretionem intelligi oportet, pereunte substantia, quantitatem viuentis imminui, etiam in partibus solidioribus, vt ossibus, quatenus calore & humido natura li ad huc fouentur.

Postremo, rationes dubitadi disoluendae sunt. Ad primam igitur responderetur, neque animae innutritione aut accretione migratione esse, ab uno subiecto in aliud, sed partis sibi ex alimento coniunctae noua informationem, quae ideo vocata sit aggeneratio, quod non sit novum formae eductio, sed praexistentis informatio. Præterea cum accretio non sit unus motus, tota animatis vita continuatus, sed sepiissimum quiete interceptus, cuiusque sanè accretionis per se sumptus, & similiter nutritionis, subiectum idem numero maneret, quia in illo temporis spacio, non est tanta portio materie dilapsa, ut dici possit totum ipsum subiectum mutatum, sed unum & idem est numero: cum parua haec mutatio, de hac identitate nihil ferre detrahere possit: & hoc est proprium subiectum motus, quod idem totum manet sub utroque termino, vt distinguatur a subiecto mutationis, vt cap. 4. in fine significauit Arist. quod si totam accretionem, ex pluribus numero distinctis conflatam sumas, illa quidem, sicuti continuata non est, ita neque idem etiam numero mobile, cum sit tota ferre materia pauplatim variata: quare in quauis per se temporis accretionis parte est idem subiectum, quod erat in pro-

ximè superioris temporis parte, cù non totum sed per partes varietur, quod etiam in nauili illa Thesei contigit, quam inquit Plutarchus in Theseo, sophistas eius temporis valde exercuisse, alioquin accidet fallacia compositionis & divisionis: quo autem pacto (quod eodem argumento quarebatur,) cibus grauis naturaliter in tot regiones & distantes corporis partes feratur, Aristot. explicare videtur libro de sens. cap. 4. cum inquit calorem insitum, cibos concoquendo, suis applicare locis, & id quod levitate præstat ad se allucere, id autem quod salsum & amarum est, propter grauitatem respuere. Vnde & animalium excrementsa grobia sunt, amara & salsa: quemadmodum itaque ferrum à magnete alteratum, diuersam à sua motionem obicit, ita cibus ab innato calore alteratus, aliis fertur motibus, quam illo quem grauitas præstat, vt monuit Auerr. 7. physico. comm. 10. adiuuant villi & febræ, vt medici animaduerterunt, ideoque isti motus non sunt naturales cibo absolute, sed quatenus in substantiam viuentis conuertendus est, & affectus calore naturali viuentis. Vnde in omnibus alimentis est pars leuior & dulcior, quæ ad nutriendum attrahitur: est pars grauior & amarior quæ excernitur. Sic ex mari calor solis trahit, quod est leue & dulce, amarum & salsum relinquat atque ideo pluviae ex mari graui & falso, leuiores sunt & dulces. Quamuis autem dulci fiat nutritio & accretio, non tamen idem est omnibus dulce, sed vnicuique proprium & accommodatum, adeò ut venenum unius, sit alte

## Liber primus

fit alterius alimentum, ut explicat Aristot. 8.lib. de hist. anim. cap. 1. & Gale. 4.lib. de simpl. medicam. facultat. cap. 9. Teophrast. lib. 6. de cauf. Plant. cap. 2. vnde Galen. eod. lib. cap. 19. refert lacum esse in Syria Palestina, in quo nullum animal, nulla platta viuere queat, quod scilicet, ita grauis & amarus est, ut nulla ex eo satis leuis, & dulcis pars, ad nutriendum apta, excerpti possit.

Ad secundum respondetur, formę tantum substantiali, figurate & organicę, tribui accretionem, quia ut est in materia organica, semper est eadē numero eisdē organis insidens, sed modo in minori, modò in maiori quantitate, & ideo nō in se, & propria substātia, sed quatenus minorem prius, deinde maiorem quantitatē informat, accrescere dicitur: hoc autem, quod est manere idem numero saluum & incoluisse, quę est accrescentis necessaria conditio, posita ab Arist. neque materia conuenit, quia cōtinenter diffluit, neq; cōposito nisi ratione formae, & ideo formae per se primo: aliud itaq; est cui apponitur alimento, & assimilatur, nempe materiæ viuentis, & partibus similaribus, aliud autem quod verè accrescit, nempe forma: quia cum totum accrescat, secundum omnem partem & dimensionem, crescentibus similaribus, tamē apposito alimenti, est ratione materiae, quia secundum quantitatē, accidens materiale, accretio est secūdum formā, quia manet eadem: dicta est autem eadē materia omnis motus & mutationis, tex. 29. secundū rem, non autem secūdum rationem: sed materia prima, ut est potentia ad sub-

stantiam, mutationi subiicitur, ut ad quantitatē, accretionē, ut ad affectionē, alterationē, ut ad locum lationē: in hac verò diuersa ratione materiae subiecta motibus, est aliquid commune, & aliquid proprium cuiusq; motus. Commune est, quod sit coniuncta formę substantiali, quia substantia composita est immediatū motus, sicuti accidentium aliorum subiectum, sed quia ratio patiendi & recipiendi prima, est materia prima, dicitur eadem esse mutationis & motus subiectum, quatenus ex ipsa est omnis ratio subiecti in re naturali, at vero immediatae formę substantiali subiicitur, accidentibus & motibus, coniuncta formę substantiali, & ita non per se immediate, sed existens per formam substantialē: illud autem est proprium subiecti cuiusque motus, quod sit potentia ad terminum illius. Itaque eadem substantia composita, ut alterabilis, est subiectum alterationis, ut augmentabilis accretionis, quod obseruauit Arist. 3. Physico. quare, cum hac sententia Aristotelis, quod eadem sit materia omnis motus & mutationis secundum rem, diuersa secundum rationem, recte consentit illa cap. 4. huius lib. & 2. cap. 5. physic. subiectum mutationis esse materiam primam, motus verò, substātiam compositam, ut ex proposita explicatione colligitur: fatemur igitur eandem materiam hoc modo subiectum esse motus & mutationis, quia constat, substantiam compositam subiici accretionē, sed non ratione materiae diffuentis, sed ratione formę permanentis, & hoc voluit Arist. dicens formam accrescere, & non materiam,

materiam, ut explicatum est. cum autem hic motus accretionis sit ad quantitatem, forma substantiali informatam, quamvis quantitatim, maioris quantitatis appositi fiat per assimilationem, & conversionem alimenti, recte dicitur forma illa accrescere: non quia ipsa mutatur, cū eius mutatio sit generatio, aut interior, sed facta accessione suae quantitati, dicitur accrescere, quia maiorem quantitatem informat, quam prius. neq; propterea quod alimento quantum, quantitati viuentis secundum omnem dimensionem apponitur, recte concludi potest dimensionum penetratio: quia, ut dictum est, alimento ultimum per poros & vias quasdam in omnes partes insinuat agglutinatur, & convergit in viuentis substantiam, quam consequitur maior quantitas in omnibus partibus, quamvis in aliis maior, in aliis minor, & secundum longitudinem maior: sine ulla tamen penetratione. immo ipsa conuersio ostendit, nullam fieri posse penetrationem, cum ea requirat duo corpora existentia, conuersio autem tollit alterum, quod est alimento: & ipsum mutatum consequitur in omnibus partibus maior quantitas, cum sit in totius substantiam conuersum, & conversionem istam consecuta maior quantitas, accretionem primò & per se terminat.

Adterrium, in quo queritur accretionis continuitas, quidam existimant, ideo accretionem continuum motum esse, quod extensio quantitatis, quæ substantiam ex alimento conuersam consequitur, continuatione quadam fiat: & hanc extensionem productæ quantitatis formaliter accretionem esse. sed

hæc sententia merito à multis reprehensa est: quia cum primū, verbi gratia, ex alimento facta est caro, quanta etiam facta est, quia qui dat formam, dat consequentia formā: quantitas autem sine partium divisione, aut extensione, ne intelligi quidem potest: quare si quantitatis productio tempore non fit, eodem enim momento existit cum substantia excibo producta, neque ipsa extensio, quæ formaliter idem est cū quantitate: quare hæc sententia omnino falsa est. alij affirmant, ideo accretionem motum continuum esse, quia cum cibus sit ex quatuor elementis concretus, calore viuentis, & illa elementa in cibo conten ta, paulatim ad tēperationem partium viuentis rediguntur, ut qualitate similia sint & consentanea: & quia formas elementorum existimant intendi & remitti posse, & dum consentaneæ redduntur temperamento partis nutriendę, est quædā continua alteratio, qua intercedet, quantitas cibi, sit quantitas carnis, verbi gratia, quæ nutritur: ideo accretio, quæ perficitur hoc modo continua quadam alteratione, & continua per illam alterationem, quantitatis cibi appositione, est continuus motus. sed hæc sententia multa admittit, quæ à nobis supra refutata sunt in disputatione ad c. 4. & infra ad c. 10. nempè elementa formaliter in mixto manere, formas elementorum intendi & remitti: quare respōdemus, his reiectis, accretionem per se motum continuū esse, ex accidenti cum terminus est nutritionis, momēto fieri, ut latius ostendimus. 6. physico in disputatione ad cap. 4.

Liber primus

C A P. VI.

Text. 43.

**V**oniam autem de materia primum, & iis quæ vocantur elementa, dicendū est, sicut nec ne: & vtrum vnuquodque æternum, an generentur quodam modo: & si generetur, vtrum ex se vicissim omnia generentur eodem modo, an vnum aliquod ipsorum primum sit, de his sanè primum dicamus oportet: de quibus adhuc nihil certi definitum est. omnes enim, qui elementa gignunt, & qui ea, quæ ex elementis, secretione & congregatiōne vtuntur, & efficientia & perpessione. cōgregatio autem est mistio: sed quomodo mistionem fieri putemus, non est apertè constitutum: at verò nec alteratio, nec congregatio & secretio, nullo efficiente, neque patiente fieri potest. nam & qui plura elementa inducunt, iij mutua ipsorum efficientia, & perpessione gignunt: & qui ex uno, iij quoque efficientiā inducāt oportet. atque illud rectè asserit Diogenes, nisi ex uno omnia essent, tolli mutuam effectiōnem, & perpessionem, velut calidum refrigerari, & hoc

vicissim calfieri. non enim calor & frigus in se vicissim mutatur: sed manifestum est subiectum affici. quamobrē quibus actio & passio conuenit, horum vnam esse subiectam materiam necesse est. atqui omnia dicere huiusmodi esse, verum nō est: sed eadem, quibus hæc vicissitudo mutationis accommodatur. quod si de actione & passione, ac de mistione considerandum est, necessariò & de tactu. non enim ea propriè, aut facere, aut pati possunt, quæ se mutuò tetigisse nequeunt: nec nisi se aliquo modo tetigerint, mista esse primum. quare de his tribus constituendū est, quid tactus, quid mistio, quid effectio. hoc autem principium sumamus. omnia enim quibusunque mistio conuenit, eas se mutuò tāgere possint oportet: ac perinde ea, quorum alterum efficere, alterum pati possit propriè. quare primum de tactu dicendum est.

*Capitis sexti explicatio.*



D explicandam generationē & interitum elementorum, & aliorum omnium, quibus ratione elementorum conueniunt, de generatione ipsa simpliciter, & quodam modo

modo, quę alteratio dicitur, atque de accretione, quę videbatur generationi per similis, haec tenus dictū est ex sententia Arist. & veterū phisicorum, atq; ita essentia & distinctione generationis ab aliis mutationibus exacte perspecta est. deinceps ad finem libri, ea quę necessario eandem generationem elementorum antecedunt, explicātur: hęc autem sunt tria, tactus, actio & passio, mixtio. primum autem hoc c. 6. differit de tactu. Capitis partes duae, prior de ratione ordinis, posterior denotionibus tactus. prioris hęc est sententia: deinceps de tactu, actione passione, & mixtione nobis differendum necessario est. argumenta duo sunt, primum ex necessaria rerum connexione: ut quę locum in natura res habent, eundē habeant in doctrina & cognitione, 2. lib. metaph. text. 4. sic igitur concludi potest, qui hęc pro dignitate explicāda suscepit, de quatuor elementis, sint nec ne verę elementa rerum omnium: (nam esse simpliciter nullus dubitauit:) vtrum immortalia & imparibilia, an potius vicissim generentur omnia, vel ex uno reliqua, quasi effecta ex uno primo, quod esset aliorum elementū, vt existimauerunt omnes veteres: qui vnum ex quatuor vulgatis elementis principium aliorum constituerunt. c. 4. 1. phys. & 1. c. huius lib. & 5. c. lib. 2. qui inquam hęc de elementis differenda suscepit, oportet differere detaetu, actione, passione mixte: (neque enim elementorum concretio, admistorum generationem esse potest, sine mixtione: neque mixtio sine actione & passione: cum elementa, quę misceruntur, contrariis qualitatibus sint affecta,

quarū est actio & passio: neq; actio & passio sine tactu, quia virtus vnius alterum contingat est necesse, quod patitur.) Nobis igitur, qui de elementis illa omnia differenda suscepimus, de illis tribus, tactu, actione & passione necessario dicēdum est. hoc autem argumentum non tantum concludit, de illis tribus differendum esse, sed ordinē etiam differendi, nemp̄ primum detaetu: deinde de actione & passione, tandem demixtione. Sic enim ipsa rerum necessaria connexio aperte conclusit, vt qui hęc permutauerit, non instituat ex prioribus doctrinam, vt præceptum est de omni accurate institutione principio libri de demonstratione. Alterum argumentum extēst in nonio veterum phisicorum. omnes enim, & qui elementa gignunt, vt Anaxagoras, qui illa ex similaribus infinitis cōponit: ac Democritus, qui ex atomis: & Empedocles, qui elementa posuit immutabilia, cetera autem ex ipsis constituit. Qui vnum etiam corpus sensibile omnium rerum principium esse voluerunt, vel aliquod ex elementis vt Thales, vel medium inter elementa, vt Anaximander, omnes inquam actione & passione vtuntur, cum congregacione & segregacione, rarefactione, aut densatione ad generationem rerum vtuntur: ad hęc enim oportet esse agens & patiens: & ipsa etiam congregatio mixtio quædam esse videtur, quamvis autem apud hos veteres non esset propria passio: vt apud Anaxogoram, qui similia, apud Democritum, qui atomos, apud Emped. qui elementa quatuor fecit imparibilia: erat tamen quædam similitudo passionis,

## Liber primus

incongregando & densando, cum huic respondeat congregari & des-  
sari. apud eos autem philosophos,  
qui ex uno omnia generant, propria  
est actio & perpetatio, ut inquit Dio-  
genes, quia contraria non mutantur  
in se vicissim, ut unum excipiat alterum.  
sed subiectum commune ab uno  
in alterum, ut ostendit Arist. 1. phys.  
& Plato in Phedore. inter huiusmo-  
di autem contraria est actio propria,  
quae vicissim agunt, & ideo communem  
habent materiam: quae autem  
non vicissim, materia non conve-  
niunt, ut cælum & haec inferiora, quae  
ab illo patiuntur: in illud contra age-  
re non possunt. de quo erit disputa-  
tio etiam Arist. lib. 2. c. 7. in verbis  
obseruabis quatuor haec vulgata  
elementa, non simpliciter vocari ab  
Arist. elementa, sed quae vocantur  
elementa, vel elementa corporum,  
quia elementum simpliciter videtur  
vocare materiam primam 2. c. 5.  
metaph. haec Arist. in prima parte  
huius capituli.

Text. 44.

**F**erè igitur quemadmodum  
& aliorum nominum unum  
quodque multifariā usurpatur,  
& haec quidē equivoce, illa ve-  
rò altera ab alteris & priori-  
bus, ita se habet & de tactu. cū  
tamē propriè usurpatur, attri-  
buitur iis, quae situm habent: si-  
tus autem quibus & locus. Nā  
& mathematicis similiter ta-  
ctum, atque locum attribuere de-  
bemus: siue ipsorum unum quod-  
que separatum sit, siue alio mo-  
do, si ergo anteā verè constitui-  
mus, tangere nihil aliud esse,

quam extrema habere simul,  
ea profecto sese mutuò tan-  
gent, quęcunque cū sint, distin-  
cte magnitudines, & sitū habē-  
tes, simul habent extrema. quo-  
niam autem situs iis omnibus co-  
uenit, quibuscunque etiam lo-  
cus: prima autem loci differē-  
tia est sursum & deorsum, &  
huiusmodi alia opposita, quę-  
cunque sese mutuò tangent, gra-  
uitatē, velleuitatem habeant  
oportet, vel utrumque, vel al-  
terutrum. huiusmodi autem sunt  
patibilia & efficientia. quā ob-  
rem manifestum est, haec esse  
idonea, quae sese mutuò tan-  
gent, quorum cū distincte ma-  
gnitudines fuerint, moueri-  
& mouere se vicissim potue-  
runt, simile extrema erunt.

Quoniam autem mouens nō Text. 45.

eodem pacto mouet, id quod  
mouetur, sed hoc quidem cū  
mouetur, mouere necesse  
est, illud autem manet immobi-  
le, manifestum est, quod & in ef-  
ficiente eodem modo dicemus.  
Nā & quod mouet, efficere  
quidā dicunt: & quod efficit  
mouere. veruntamē differūt  
quidē, idque constituere ope-  
rat. neque enim fieri potest,  
ut omne mouens efficiat: si  
quidē efficiens patiēti oppo-  
nitur: hoc verò quibus motus  
affectionis: affectionis autem quate-  
nus alterantur, ut albū & cali-  
dum.

dum. sed mouere latius patet quā efficere. constat igitur illud mouentiū partim tangere, quæ mouentur, partim autem minimè. Ceterum tangere eorum esse definitur, quæ cum situm habeant, alterum mouere, alterū moueri apta sunt. mutua vērō mouēdi vicissitudo iis adest, quibus conuenit facere & pati. plerunq; igitur tāgens tangit id, à quo tāgitur. omnia enim fere, quæ in conspectu sunt, mota mouent: in quibus necesse est, & cōstat, tangens à tacto tangi. est autem vt interdū dicimus, cum mouen tangit duntaxat quod mouetur: minimè autē tangens à tacto tangitur. sed quoniam quæ eiusdem generis sunt, mota mouent, necessariò videntur à tacto tangi. quamobrem si quid moueat manens ipsum immobile, ipsum quidem tanget id, quod mouetur, ab illo autem minimè. dicimus enim interdū tāgi nos ab illo qui dolorē infert, minimè autem illū à nobis. de tactu igitur, qui in naturalibus est, hoc modo definitum sit.

### *¶ Explicatio.*

**I**N altera est tactus distinctio, vt quæ se tangere propriè habere dicatur usurpemus, reliqua ut subiectæ materiæ nō satis accommodata,

omittamus. semper enim in disputationibus docuit Arist. multiplicia esse distinguēda, siue sint homonyma, quibus sola est nominis cōmuniō nō substantię, siue sint analogæ, vel quæ ab uno, vel ad unū dicuntur, in quibus quidē pluriū rerū cōmuniō est, sed ex his vni prius, & magis propriè, aliis autē vt à prioribus p̄dent, attribuuntur, ex quibus tactus esse videtur: cū eius vna sit propria notio, reliquæ autē ab hac prima derivatae. primū igitur tactus dicitur in his quæ sitū habent, & loco continentur, cum situs sit partiū colloca tio. quæ notio conuenit cū ea, quæ s. phys. h̄istribuitur, quorū extre masimū sunt: nā oportet tangentium se magnitudines esse distinctas, alioquin cōtinuę essent. hoc modo etiā mathematicis cōuenit tactus, sed cogitatione tātum, vt etiā à materia sensibili abstractæ considerantur, atq; ita cogitatū habere situm & locum.

Altera notio tactus iis tribuitur tantū, quæ non solum sitū & locū sibi adhērentia obtinent, sed etiā mutuam habēt actionem & passionem, & alterū mouet, alterū mouetur vicissim. sic autē tangere, in his de quibus agendū est, propriè & accommodatè usurpatur, quæ & materia eiusdē rationis consentiunt, & contrarietate discrepant: cēlum autē hæc inferiora mouet, sed hac ratione nō tangit, quia ab illis pati nō potest, vt r. lib. de cælo ostenditur. hæc tactus secundam notionē benē longa argumentatione Arist. cōclu dit, quæ à Græcis sorites, à Latinis gradatio dicitur: cuius hæc est dispositio, quæ se mutuōtāgunt, sitū habēt: quæ habēt sitū, in loco sunt: quæ sunt in loco, aut sursum, aut deorsum:

## Liber primus

sum: quæ sursum, aut deorsum, aut leuia, aut grauia sunt, vel simpliciter, vel quodammodo: hæc autem omnia sunt patibilia, aut efficientia vicissim: hæc habent communē materia, de cuius possessione pugnat, & cōtrarias qualitates quibus pugnant: cum leuitati sit adiunctus calor, grauitati frigus: quæ igitur se mutuò tangunt, ( vt de primo concludamus vltimū, quo nomine hæc argumentationem scholæ vocat,) vicissim mouēt & mouentur, agūt & patiuntur. huius argumentationis vis tota incaducis & mortalibus spectāda est, vt omniū contra singulas partes, obiectiones dissoluere possis: de harum enim rerum tactu, quæ vicissim agere & pati possunt, & ideo reciprocām habent generationem & interitum, proposita est disputatio, ad quam hæc secunda notio tactus accōmodatur. sed præterea quædam sunt animaduertenda. primum quidem in primo gradu, situm hīc dicuntur habere, quæ dimensionem partium in loco, vt quæ loco non continentur, neq; situm habere intelligantur: at incategoreia qualitatis situm habent, quæ in aliquo permanēt, & non effluūt, aut dilabuntur, vt quæ in successione posita sunt: atq; ita lineæ pūcta, partes, extimus, globus cælestium, situm habent, primo modo non habent. deinde ad explicationem agētis & patientis mutuò, distinguit Arist. mouere & efficere, quæ non nulli pro eodem usurpare videbantur: sed Arist. ita distinguit, vt omne quod efficit, moueat: non cōtrā, quod mouet, efficit, itaq; latius patet mouere, quam efficere: quia mouens omnino immobile, vt finis, vel prima causa mouet, proprietatem

non dicitur, vt hic usurpatur, efficeret. id ostendit Arist. ex opposito, pati enim conuenit, quibus motus affectio, idest quibus per motū affectio, quæ est qualitas tertiae speciei acquiritur, & ideo alterātur, & sic passio est species motus, quæ alteratio dicitur: quare efficere proprietate hīc erit, huiusmodi qualitatem inducere, quod est alterare. itaq; mouentium hæc erit distinctio: quædā cum mouent, tangunt, & afficiunt ipsa mobilia & patientia: quædā autem, cum mouent non afficiunt, vel alterāt, sed excelsiore quodam modo: & quia materia eadē non cōmunicant, nō mouentur vicissim, neq; patiuntur. id constat in prima Dei, & uniuersali motione, in hæc inferiora. quāvis enim sit primum mouens, cuius virtute omnia hæc inferiora mouentur, sit etiā primum efficiens, quatenus tribuit, & cōseruat omniū esse, & ab eo omnia pendēt, vt inquit Aristot. primo de cœlo, & ideo merito est conditor, & autor omniū, moderator & conseruator: tamē nō efficit alterādo immedia te huiusmodi qualitatibus elementorum: quibus tribuit hic Arist. effectiōis proprietatem, pro subiecta materia physica, quod in rebus naturalibus, his qualitatibus, omnis horum inferiorū actio perficiatur: est autem illud diuine notionis & actionis genus, longè perfectius & nobilius, quo cum sit valde in materia, res omnes motiones & actiones suas perficiunt. vnde recte subiunxit Aristot. ea quæ in conspectu nostro sunt, hoc est materialia & sensibilia, cum mouentur mouent, cum agunt, patiuntur, & contrā: Deus autem & cælestia etiamsi moueant hæc inferiora, non tamen contrā

contrā mouentur, vt 8. physico de Deo, & 1.lib. de celo, ostēsum est: de cælestibus, sed omnium perfectissime Deus, cum ab omni motu, omnino liber sit. dicuntur etiam in eadē argumentatione, quædā leuitatem habere, vel grauitatem, quia habent utramq;, vel alterutrā: quoniā leue & graue simpliciter, vt igit. nis terra, alterutrā tantum habent: graue autē & leue quodam modo, utramq;, vt aqua & aér, ad superiora grauitatē, ad inferiora leuitatem habent 4.lib. de celo c.2. & 3.

Tertia notio tactus iis tribuitur, quæ cū mouent, non tamen contra moueri possunt, vt cælestia: hæc enim sua vi tangunt inferiora, hæc tamen superiora mouere, aut tangere non possunt. sic etiam dicimus, nos tangi ab eo qui dolorē infert, minimè autē illum à nobis simul tangi: vt contingit in tactu rerū inferiorū, quæ materia conueniunt, vt dein ceps cōstabit in explicacione mutuę actionis & perpessionis. explicatę sunt notiones tactus, & ex his secūda materię subiecta de elemētorum actione, ortu & interitu reciproco, accommodata est, & ideo propria hīc dicitur: prima vero & secunda ex illius respectu.

De hac sententia Arist. quædam sunt exactius expendēda, primum qui item ex his tribus notionibus tactus, quæ mathematicis etiā conuenit, à reliquis cogitatione, non autē re ipsa separari posse. vt enim mathematica re ipsa cum naturalibus cōiuncta sunt, sed cogitatione separātur: sic tactum habentiū situm & locū, ab eorum tactu, quorū est reciprocā actio & passio, sola ratio abstrahere potest: cū in rebus inferioribus, nihil sit cui alter tactus cōue-

niat, cui etiā non sit necesse & alterū conuenire: quia omnia inferiora sunt ex elemētis concreta, & ideo mutuò se tāgunt, & vicissim agunt & partiūtur. Secunda autē & tertia notio tactus philosophiæ naturalis proprię sunt, quia cū materia sensibili coniuncta: sed magis propria est secūda. vt enim physicæ cōsiderationis ea propria dixit esse Arist. 2.physico, quæ non tantū mouent, sed etiā mouentur, ita etiā quæcūq; non solū tangunt, sed etiam tanguntur. in tactu enim proprio & physico, vis est mouendi & alterandi, vt hoc modo tāgere sit alterare, & tāgi sit alterari, vt in explicacione tex. obseruauimus, quare hac ratione, quę se tangunt secūdo modo, magis propria sunt physicę considerationis, nō autem ea quā Philop. adduxit ex relatis, vt si tangens sit, sit etiā id quod tāgitur. hæc enim ratio logica est & cōmunis, illa propria & physica. Quod si videantur quædā ex his inferioribus mouere & nō tāgere, vt torpedo, quę afficit manū piscatoris non tāgens, magnes, quæ trahit ferrū non attingens, medicamentum quod expurgat humores, quos non tangit: respondendum est primo ex Arist. 7.phys. text. 11. huiusmodi tactū semper intercedere in efficiē & paciente proximo, nō autē in his, quæ agunt & patiuntur aliquo medio interiecto. torpedo autē proximè vim quandā reti piscatoris imperit, deinde retē alteratum obstupe facit manū pescatoris. magnes afficit coniunctū aërem, & ab eo ferrum: medicamentum vim suam cōmunicat partibus intermediis, quousq; eadem vis per tactum, humorū communicetur, & cum trahat, vel excitet naturam

## Liber primus

ad expellendū, cuius sententię plērisq; videtur Aristoteles fuisse. respondent secundo pleriq; vniuersalius, præsertim Theologi, incorporatis, quæ propriè agūt & patiūt, propriè etiā tactū esse: in quibus autē est impropriè actio & passio, de qua hic Aristot. loquitur, vt intersensus & sensibilia, appetitū & appetibilia, intellectū & intelligibilia, esse impropriactū, hoc est nō realē per qualitates, sed virtualem. ita Deus vbiq; adest virtute suę efficiacię, & virtus cælestis, omnia inferiora pertingit. sed hæc, quæ superiora sunt, & ab inferioribus pati non possunt, inquit Arist. mouere quidem, sed nō propriè efficere. cui sententiæ non repugnat, categoria actionis omnem motum comprehendendi. illa enim actio categoriæ, omnem actum comprehēdit, vt ex Arist. exemplis in eadem ostendimus, siue perfectum & absolutum, qui energia dicitur, siue inchoatū & imperfectum, qui motus est: atq; ideo latius patet quā mouere. hīc autem efficere, est mutare secundū qualitatem, quę est motus quędam species. vnde latius patet mouere, quām huiusmodi efficere, vt in tex. Aristotelis ostendimus. hæc detaetu expeditissime satis sit, si quid est p̄terea differendum exactius, in fine capititis noni cōmodius differetur.

## C A P. VII.

Text. 46.

**R**oximum est, vt de actione & passione dicamus, accepimus autem à veteribus pugnantes quodammodo sententias ple-

riq; enim in eo consenserunt, simile à simili nihil aptum esse pati: eo quod nihilo plus alterum altero efficiens, vel patibile sit. eadem enim omnia similiter similibus conuenire. dissimilia autem ac differētia ad efficiendum ac patiendum vicissim apta esse, nam & cum exiguis ignis à copiosiore corrumpitur, contrarietatem in causa esse afferunt. contrariū enim esse exiguum copioso. Democritus autem solus Text. 47. præter cæteros, non nihil proprij attulit. dixit enim efficiēs & patiens idem esse & simile: neq; concedit diuersa ac differētia pati à se mutuò, quod si quæ diuersa sunt, ea aliquid in se vicissim efficiant, id illis non qua diuersa, sed qua aliquid idem habent evenire. quæ igitur dicuntur sunt huiusmodi: qui autem ita dicunt videntur quodammodo pugnantia perspicue dicere.

## Capitis septimi explicatio.

**E**xplicationē tactus proximè consequitur, actio- nis & passionis explicatio, vt principio capititis sexti ostensum est: partes capititis duæ, vna de veterum sententiis, altera de Aristotelis sententia: cum autem multæ sint apud Aristotele causæ recensendi veterum senten- tias,

rias, ut c. 2. i. physici ostendimus, illa, præcipue hic appareat, quod licet veterum sententiæ veritatè assentæ non sint, assequendi tamen occasionem præbuerunt: non esse autem assentas constat, quia pugnantes sunt & dissidentes, vetum autem cum vero consentit 8. c. i. ethic. Veterum igitur duæ sententiæ sunt. via omnium physicorū, Democrito excepto, simile non agere in simile, aut ab eo pati, afferit: itaque dissimilium esse actionem & passionē. Ratio illorū ita disponi potest: si est actio & passio in naturalibus, ut certè est: aut est inter dissimilia, aut inter similia. Nō potest autem esse inter similia (similibus enim, similia & eadem conueniunt, cum sit eadem utriusq; similiū vis, & ideo nihilo plus alterum altero efficiens sit, aut patibile.) erit igitur actio & passio inter dissimilia. quod si cernis aliquando, exiguum ignē, pati & consumi à copiosiore, quæ videtur esse similia, certè dicunt hī physici, contrarium potius agit in contrarium, quia exiguum copioso repugnat: & copiosus ignis consumit alimentum exigui, & ideo illum agere dicitur. Altera Democriti sententia, actionem & passionem inter idem & simile constituit, idest inter idem per similitudinē, & non omnino idem. Ratio Democriti in connexo consentit cum veterum argumentatione proposita, in assumptione dissentit, concludit enim hoc modo, actio & passio, aut est similiū, aut dissimiliū: non est autem dissimiliū: (agerent enim in se linea & color, superficies & sapor, cum sint valde dissimilia, quod tamen non sit, quare non est actio & passio dissimiliū: & si

qua videtur agere & pati, idest quatenus similia, non autem quatenus dissimilia.) erit igitur actio & passio, ex sententia Democriti, similiū tantum, hæ sententiæ veterum pugnare videntur quodam modo, sed quia, si rectè expendantur, non omnino pugnant, ideo causam pugnæ & dissensionis, & consensionis etiā, proposita deinceps propria sententia Aristotelis ostendit, quod etiam obiter fecit lib. 2. de anim. c. 4. semper autem sententias Democriti solet preferre, ut constat primo libro de partib. anim. quod unus præceptoris viderit ea, quæ naturę magis cōsentanea sunt, & Hippocratis dogmatis: quotū Aristoteles valde studiosus est, præsertim in doctrina de elementis & generatione & interitu, ut Galenus p̄t̄mō lib. methodi obseruauit.

**P**ugnē istius causam, illud Text. 48.  
sustinet, quia cum totum quiddam considerare deberent, utriq; partem aliquā attigerant. simile enim & usquequaque indifferens, à simili nihil quicquam pati, verum est. cur enim hoc, quam illud potius erit efficiēs? iam si à simili quicquam pati potest, & idē à seipso patietur: ac sanè his ita se habentibus, nihil interitus expers, neque immobile erit: siquidem simile, qua simile, efficiens esset, idem enim omne seipsum mouebit. similius est ratio, eius quod est omnino diuersum, & nullo modo

## Liber primus

Text. 49. idem. Nihil enim patiatur cādor à linea, aut linea à cādore, nisi interdum ex accidēti, vt accidat, albam aut nigrā esse lineam. non enim se illa ē natura sua deiiciunt: quę neq; contraria sunt, neq; ex contra

Text. 50. riis constant. Sed quoniā, non quoduis est aptum pati, & efficiere: sed quęcunq;, aut cōtrarias sunt, aut contrarietatē habent, idcirco necesse est, vt efficiens patiēti genere quidem simile, idem sit, specie autem dissimile & contrariū, corpus enim à corpore, sapor à sapore, à calore calor, in summa, quod eiusdem generis à cognato, vt patiatur aptū est.

Text. 51. Cuius causa est, quod omnia contraria in eodem genere: efficiunt autem & patiuntur à se vicissim cōtraria. quare necesse est, efficiens & patiens, quodam modo esse eadem, quodam modo diuersa interesse ac dissimilia. sed quoniā efficiens & patiens, genere quidem eadem & similia, specie autem dissimilia, contraria autem sunt huiusmodi: manifestum est quod contraria & intermedia sunt patientia & vicissim efficientia. Vniuersè enim generatio & interitus in his est. quamobrem & rationi consentaneum iam est, ignem calfacere, & frigidum refrigerare,

atq; vniuersè, efficiens simile sibi ipsi, quod patitur, reddere. efficiens enim & patiens contraria sunt, & generatio incontrarium. quare necessario patiens in efficiens mutatur. ita enim generatio in incontrarium erit.

Nec verò absurdum est, Text. 52. vtrosq; quaniis non eadem dicant, similiter tamen naturā attingere. dicimus enim pati interdum quidem subiectum, vt hominem sanari, calfieri, & refrigerari: & alio eodem modo, interdum autem calfieri quidem frigidum, sanari autē quod ægrotat: atq; vtrumq; verum est. idem de efficiente quoq; intelligēdum est. nam interdum quidem hominem dicimus calfacere, interdum autē calidum. fit enim vt partim materia patiatur, partim cōtrarium: qui igitur ad illud spectabant, efficiens & patiēs aliquid idem habere putauerunt oportere, qui autem ad alia, contrarium.

## ¶ Explicatio.

A Ristorelis sentētiā reliquo c. huiusmodi continetur. Actio & patiō non est omnino similiū, sed materia & genere similiū, forma & specie dissimiliū. hoc modo tota res verissime exponitur: veteres autem non totam sed partem

partem spectabant, vel materiam, quæ in utroq; eadem esse debet, ut Democritus, vel formam & qualitatem, quæ diuersa sit oportet, ut cæteri omnes physici. atq; ita fate-  
tur Arist. utramq; sententiam qua-  
dam ex parte veram esse. primā par-  
tem huius sententiae, inter omnino  
similia actionem & passionem non  
esse duæ rationes cōcludunt, prior  
fuit veterum, quia ex duobus omni-  
no similibus, neutrum in efficiendo  
maiores vim obtinere potest quā  
alterum, alioquin non essent omni-  
no similia, ut prius ostendimus. po-  
sterior ratio est Aristotelis hoc mo-  
do ex minoribus conclusa: si omni-  
no similiū esset actio & passio:  
posset etiam esse eiusdem ad seip-  
sum: sed hoc secundum esse non po-  
test: ergo neq; primum. propositio  
constat, si enim ratio efficiendi &  
patiendi, in perfecta similitudine  
posita esset, cum ea sit maior in eo-  
dem ad seipsum, esset etiam huius  
actio & passio: quod si dicas, simili-  
tudinem esse in qualitate, identita-  
tem in substantia, & ideo nullā esse  
vim argumentationis: dicam simile  
hic generaliter pro utroq; accipi,  
& argumentationis vim apud vere-  
res maximam esse, qui in perfecta  
similitudine, & omnino indifferen-  
tium, actionem & passionem collo-  
cabant, & apud Arist. i. Topi. c. 13.  
comparatio etiam pertinet ad sub-  
stantias, & comparatio est similiū.  
assumptio probatur: quia si idem à  
seipso pati posset, nihil esset immo-  
bile, nihil immortale, & interitus  
expers, quod tamen necessariū esse  
de primo mouente 8. physico de-  
monstratum est. etenim si idem ut  
est omnino idem à seipso pati pos-  
set, & passio, quæ qualitatibus fit,

est via & præparatio ad interitum,  
quia est ad cōtraria, & nihil magis  
idem, & nullam subiens distinctio-  
nem, quamprimum mobile, idē sa-  
nè à seipso pateretur, & ex conse-  
quenti, ad interitum perduci pos-  
set: cum tamen sit omnino immo-  
bile & immortale. Sic conclusum  
est, actionem & passionē inter om-  
nino similia non esse: neq; etiā esse  
inter omnino dissimilia illa exēpla  
pro Democrito adducta conclu-  
dunt, candor enim à linea non pati-  
tur, neq; linea à candore, nisi ex ac-  
cidenti, ut si contingat lineam esse  
nigram: ager enim in candidum, nō  
qua linea, sed quanigra, & ideo ex  
accidenti & per aliud. illorum enim  
actio est & passio, quæ se à sua natu-  
ra dimouent, hæc autem sunt cōtra-  
ria, aut ex contrariis cōstant, ut me-  
dia contrariis interiecta, quatenus  
extremis participant, vim habent  
cōtrariorum, ut 5. physico dictum  
est. ex his concluditur prima ratio  
secundę partis sententię Arist. actio-  
nem & passionem esse dissimiliū  
forma & specie, & similiū gene-  
re & materia: (genus enim materię  
respondeat, ut in dialecticis exposi-  
tum est.) argumentatio sic dispona-  
tur. contraria continentur eodē ge-  
nere, specie autem diuersa sunt: ut  
constat ex eorum definitione, quæ  
conuenit extremis, & mediis, quatenus  
cum altero extremo collata,  
alterius instar obtinent: agens & pa-  
tiens sunt contraria: (quia nō quod-  
uis agit in quodvis, sed contrarium  
incontrariū ut primo physico ostendit  
sum est, & contraria decertant de  
possessione communis subiecti &  
materię, alioquin frustra decerta-  
rent:) contraria igitur continentur  
codem genere & materia, differūt  
forma

## Liber primus

forma & specie. sic patitur sapor à sapore, calor à calore, quatenus primis qualitatibus contrariis esse etia sunt. Cùm autem hæc argumentatio ex definitione contrariorum concludatur, & definitionis de desinito reciproca sit prædicatio, vt probatum est, agens & patiens materia cōuenire, forma & specie differre, sic contraria admonet Arist. concludi posse, agens & patiens contraria esse, quia genere conueniunt, forma differunt. qua ratione autem sic reciprocatio & circulus in demōstrationibus 1.lib. de demonstracione explicatum est. Altera ratio eiusdē p. hęc est: omnis generatio & interitus in contrariis versatur, quę genere conueniunt & materia, forma discrepant: actio & passio est genera ratio & interitus quidam: (sic enim accipitur generatio & interitus, vt o nni mutationi & motui conuenit:) ergo actio & passio in contrariis versantur, quę genere & materia conueniunt, forma discrepat, & dissimilia sunt. Vnde concluditur primo quis sit actionis & passionis finis, nempe cōuersio in contrariū, vt ex dissimili, reddatur simile. argumentatio est. quod patitur ab efficienti, tandem generatur & sit ali quid: quod generatur cōuertitur in contrarium eius, quod ante erat: (quia generatio est in contrarium, vt prius conclusum est:) ergo quod patitur ab efficienti, tandem cōuertitur in cōtrarium eius, quod prius erat: id vero nihil aliud est, quā ex dissimili & cōtrario, fieri simile & idem secundum speciem.

Concluditur secundo, veteres physicos hanc actionis & passionis veram naturam attigisse similiter, id est utroq; nempe Democritum,

& alios quadam ex parte. id probat ex communi loquendi consuetudine, quę cum omnibus probata est, signum est verę & receptae sententiæ. cum igitur interdum dicamus materiam ipsam & subiectum pati, vt hominem califieri, refrigerari & sanari, quia illius est inter cōtraria mutatio: interdum verò contrariū ipsum pati, quia ipsum perit, adueniente altero, vt calidum refrigerari, frigidum califieri, sanum egrotare: prior quidē ratio dicendi iis cōsentit, qui actionem & passionem similibus & eisdem attribuerunt: posterior autē iis, qui dissimilibus. ex prioribus fuit Democritus, ex posterioribus Empedocles & alij, qui cognitionem etiam similibus accōmodauerunt, vt constabit, lib. 1. de anim. Ratio vtriusq; rationis dicendi ex compositione agētis & patientis petitur, vt ad vtriusq; principia reuocetur, cum vtrumq; mutuò sit agens & patiens. quoniā igitur agens & patiens materia constant & forma: & materia consentiant, forma & qualitatibus discrepēt, Democritus ad materiam spectauit: cæteri physici ad formas & qualitates contrarias.

Text. 53.  
Eodem autem modo se habet, vt nostra fert opinio efficere & pati, quo mouere & moueri. Nam mouens quoque dupliciter dicitur: cum & id in quo principiū motus est, videatur mouere. ( prima enim causarum principiū est) & illud præterea extremum, quod mobile spectat, & generationē. similiter de efficiēte:

nam

nam mediū sanare dicimus & viuū. Primū ergo mouēs nihil prohibet in motu manere immobile, in quibusdam autem etiā necessarium est, vltimū autem semper dū mouet, ipsum quoque moueatur oportet. in actione autem primum qui dem impatibile, vltimum autem ipsum quoque patitur. Nam quorum non est eadem materia, ea, dum efficiunt, nō patiuntur, vt medēdi ars, quæ cum sanitatem restituit, nihil patitur ab eo cui restituitur: at cibus dum efficit, ipse quoque aliquid patitur: aut enim calefit, aut refrigeratur, aut aliud quicquam patitur, dum efficit. est autem medēdi ars, vt principium, cibus autem vltimum, & tangens. Efficientiū igitur, quæ non habent formā in materia, pati non possunt, quæ verò habent possunt. materialiam enim afferimus similiter, vt ita dixerim, eandem vtriusque oppositorum esse, perinde ac genus sit. quod autem calidum esse potest, si calfaciens adsit, & admoueatur, planè calciferi necesse est. quare efficientium, quædā vt diximus, impatibilia sunt, alia patibilia: ac vt in motu, sic se reshabet in efficientibus. illic enim primū mouēs est omnino immobile: & in efficientibus, pri-

mum efficiens impatibile est.

### Explicatio.

**D**Einceps reliquo cap. duæ sunt Aristoteles obseruationes, quæ tum ad præcedentis sententiæ explicationem utiles sunt, tum ad dissoluendas obiectiones, quæ de eadem sententia exoriri possent. prima obseruatio est, agentis & patientis eadē est distinctio, quæ mouentis & mobilis: vt sicut 8. physico constitut, quoddam esse mouens omnino immobile, quoddam autē, quod moueret & moueretur, ita etiam quoddam sit agens impatibile, aliud contrā, quod agens sit & patibile. item, vt multa sàpè mouentia eidem motui perficiendo adhibentur, vt in commouenda aqua, Socrates, baculus, lapis, sic ad efficiendum aliquid plura efficiētia, vt medicus, vinum. ex his autem id in quo principium motus est, & est inmobile in eo motu, prima est eius motus causa, vt Socrates: id vero vltimum est, si ab ipso principio motus numerare in cœperis, quod vltimum & mobili proximum, & coniunctum est ad generationem, hoc est rei quæ giguitur. vt autem dicimus cuiusque motus & effectionis esse primum & vltimum mouens, aut efficiens: ita absolute esse aliquod primum mouens omnino immobile, & non solum in aliquo motu 8. physico demonstratum est. ita que in caducis & mortalibus, quod mouet, mouetur: in æternis & immortalibus sunt mouentia, quæ contra non mouentur, vt intelligentiæ. est deniq; omnium primū mouēs, quod neq; per se, neq; ex accidenti mouetur. sed quæ agentia patibilia sunt, hoc præcepto comprehendit,

quæ

Text. 54.

## Liber primus

quæ cum patiente in materia non  
cōmunicant, efficiendo non patiun-  
tur: vt medendi ars efficit sanitatē,  
à qua non patitur: quæ autem in ma-  
teria cōmunicant, agendo patiun-  
tur, vt cibus, quo medicus ad resti-  
tuendam sanitatem vtitur, dū q̄ gro-  
ti corpus immutat, ab illo etiam vi-  
cissim immutatur, quia calefit, aut  
refrigeratur, expellitur, aut in natu-  
ram illius conuertitur. priora in-  
quit Aristot. non in materia formā  
habere, hoc est non in eadem mate-  
ria: posteriora verò formam habēt  
in materia eadem. hæc enim, quæ  
opposita sunt, & contraria, eandem  
materiam habent: & de eius pos-  
sessione contendunt: atque ideo vi-  
cissim agere & pati possunt, & ma-  
teria subiicitur eadem contrariis,  
vt genus idem oppositis differen-  
tiis. hæc ad primę obseruationis ex-  
plicationem pertinent.

Est autem efficiens causa, quasi  
vnde principium motus. illud au-  
tem cuius causa non est efficiens.  
itaque sanitas non est efficiens, nisi  
metaphoricè. patiens enim, dum  
efficiens adest, fit aliquid: habitibus  
autem præsentibus, non amplius  
fit, sed iam est: species verò & fi-  
nes, habitus quidam sunt: materia  
autem quā materia, patibile. ignis  
igitur calorem habet in materia.  
quod si aliquis separatus calor, ille  
nihil profecto pateretur: verū  
hunc quidem separatum esse, fortè  
sieri non potest. alia autem aliqua  
si sint huiusmodi, in his, quod dixi-  
mus verum erit. quid igitur sit face-  
re & pati, & quibus conueniat, &  
quam ob causam, & quomodo, hoc  
pacto sit constitutum.

Altera obseruatio est, duplex est  
efficiens, alterum proprium, alte-

rum translatum: illud est, à quo est  
initium motus, & transmutatio-  
nis, vt explicatum est c. 3. 2. physi-  
ci, hoc autem est finis. ne quis igitur  
primum efficiens, quod diximus  
agendo non contrà pati, finem esse  
existimet, qui cum afficit amātem,  
non tamen contra afficitur, atque  
ita efficiētem causam pro fine vsur-  
pet, cum tamen ab illa tantum sit  
motus verus & naturalis & actio,  
non autem translatus, vt à fine, hæc  
distinctio proprij & translati agen-  
tis, proposita est. Distinctionis ra-  
tio hæc concluditur: cum efficiens  
adest & efficit, patiens fit aliquid:  
cum finis adest, non amplius fit ali-  
quid, sed iam est: finis ergo non est  
efficiens proprium. pro primo ma-  
nifesta est, quia intelligitur de effi-  
cienti actu: vt ignis eatenus dicitur  
in lignum efficere, quatenus lignū  
non euasit perfectè ignis: cum au-  
tem euaserit, primus ille ignis ni-  
hil amplius efficit. assumptio ostē-  
ditur, quia finis & forma est eadē  
causa secundum rem in natura, 2.  
lib. phys. & 2. lib. de generat. anim.  
& 8. metaph. vt forma rei genitæ,  
est finis generationis & genera-  
ntis: forma sanitatis, quæ informat  
eum, qui ægrotabat, medici per se  
finis est: forma verò inducta in sub-  
iectam materiam, res non fit, sed  
facta est, quia formata & compo-  
sta. hinc est, quod formæ dicuntur  
hic habitus, quod maneat & per-  
seuerent in re effecta, illamq; exor-  
tent: sicuti materia, qua materia  
est, patitur, & his habitibus subiici-  
tur. ex his colligit Aristot. quod ad  
priorem obseruationem pertinet,  
ignem in materia existentem, agen-  
do pati: quia agit in contrarium, &  
contrariis eadem materia subiici-  
tur.

tur. quod si esset à materia separatus calor, ut idæa ( sic enim obiter videatur refellere idæas Platon. vt ad agendum ineptas ) nihil profecto dum efficit pateretur; at formas naturales à materia separari, fieri non potest, vt 7. metaph. ostenditur, & ideo agendo, contrappatiuntur: sed intelligentiis à materia solutis conueniet quidem actio, & non contra passio, quia materiae expertes sunt. tandem subiungitur capitinis epilogus: dictum est, quid sit efficere & pati, quia ex disputatis definitiones colligi possunt, vt efficere sit mouere ad qualitatē patibilem, pati sit ad eandem moueri. dictum est etiam quibus conueniant, nempè materia eiusdem rationis communicantibus; & quam ob causam, vt agens & patiens euadant similia: & quomodo nempè opposita forma expulsa. dicit etiam in fine capitinis 9. se explicauisse, esse generationem, actionem & passionē, quia explicato quod est, explicatur an est, cum quid est in physica conueniat ei, quod est.

## CAP. VIII.

Text. 56. **V**omodo autē hoc possit euenire, rursum dicamus. Videatur igitur quibusdam pati vnumquodque, per meatus quosdam ingrediente efficiente vltimo, & maximè proprio: atque modo nos videre & audire inquiunt, & reliquos omnes sensus sentire. adduntq; idcirco

cocerni per aërem & aquam, & perspicua, quod meatus habent inaspectabiles, illos quidem ob exiguitatem, confertos tamen & ordine collatatos, qui præcipue insint perspicuis. qui igitur sic in quibusdam statuerunt, quemadmodum & Emp. non solum in efficientibus & patientibus, verum etiam misceri illa assertunt, quorumcunque meatus inter se conuenientiam mutuam, & consensum servent.

## Cap. octauii explicatio.

**M**odum actionis & passionis se deinceps plenius & exactius explicaturū Aristot. proponit, cum hactenus eundem modum attigisse potius, quam exactè explicauisse videatur: quantum scilicet satis erat, ad actionis & passionis naturam constituendam, & generali quadam ratione. nunc vero ex propriis causis & principiis modus agendi & patiendi deducendus est: huius autem exactioris explicacionis duæ sunt partes: una continet veterum sententias c. 8. & earum refutationem: altera propriam sententiam c. 9. confirmat. veterum sententiæ duæ tantum proponuntur, una Emped. altera Democriti & Leucippi, collata cum Parmenidis & Melissi sententia, & argumentatione. tria igitur in Empedoclis sententia distinguntur, quorum omnium causa sunt meatus, & poro quidam

## Liber primus

quidā corporibus inserti, licet ob paruitatem minimè asperables. primum quidem actionem & passionem in his fieri, cum in patiētis poros ingrederetur efficiens, aut vis illius: non quidem primum & remotum, vt ars medicinæ in sanitate restituēda, sed ultimum & proprium, quod proximum est patienti, vt medicamentum, aut vinum. deinde asseruit Emp. omnis sensationis, vt cernendi, audiēdi, odorādi, eosdem poros causam esse: nem pè ingrediente in meatus oculi re visibili, per meatus perspicui, & in meatus aurium ingrediente sono, & eādem esse aliorum sensuum rationem. sentire autem nos per aērē & alia perspicua corpora, quod in his meatus sint conformatioes, magisq; ordine collocati, hoc est se mutuo consequentes, & eundē seruantes ductū. Tertio Empedocles, mīstionis causam in eisdem poris constituit, vt ea miscerentur, quorum meatus hanc conuenientiam & consensum inter se retinerēt, vt in vnius meatum alterius pars solidā ingredi posset: ac vicissim in hiis meatum, illius solida, cuiusmodi ingressum per similem deprehēdimus in dentibus quorundam animalium, pectinatim cohārētibus. hoc modo de quibusdam differuit Emp. non tamen de omnibus, vt videtur differuisse Democritus, cuius sententia statim explicabitur: nihil enim de accretione Emp. neq; alterationem & generationem tueri poterat, vt statim intelligetur.

**Text. 57.** **L** Eucippus autem & Democritus præcipue via progressi sunt: atque vnam & eandem in omnibus rationem te-

nuerunt, principium secundū naturam statuētes, quod quidem verè est. quibusdā enim ex veteribus vñum est, ens necessariō vñū esse & immobile. vacuū enim non ens, sed plenum tantum ens esse: moueri autem nō posse, nisi separatum sit vacuum, nec item multa esse, nisi sit separans. Quod si quis existimet, vniuersum minimè esse continuum, sed diuissim se tangere, nihil interest ac si dicat, multa & non vnum esse vacuum. Nam si omni ex parte diuiduum sit, nihil esse vnum: ac proinde ne multa quidem, sed vniuersum inane: sin partim quidem diuidum, partim autem minimè, rem figmento similem esse. quatenus enim, & quare pars quidem hęc vniuersitatis habet, & plena est, pars autem diuisa? præterea autem similiter motum tollere necessarium est. his igitur frēti rationibus, omitentes ac despicientes sensum, quasi solam sequi rationem oporteat, aliqui vniuersum asserunt vnum esse, & immobile & infinitum: finem enim desinere in vacuum. itaque hunc in modum isti, hisque causis adducti, de veritate suam sententiam protulerūt.

Verum

**Text. 59.** Verum in ratiocinationibus hæc videantur consequi, si autem res ipsas species, furori proximum est, ita opinari: nemmo enim furiosus, eosque à seipso discedat, ut glaciem & niuem idem putet esse. Honestatantum, & quæ speciem honesti ob usum habent, quibusdam ob insaniam nihil dif-

**Text. 60.** ferre videntur. Leucippus autem tenere se putauit rationes quasdam, quæ sensui consentientes, neque generationem, neque interitum, neque motum, neque rerum multitudinem, sublaturæ sint. Fide autem habuit partim quidem iis, quæ apparent, partim vero unum statuentibus, ita ut neque motū sine inani esse, inane autem non ens, & nullam entis partem inquit esse non ens. Illud enim propriè esse ens, quod omni quaque plenum est, sed hoc ipsum esse non unum, sed multitudine infinita, & minime aspectabilia ob molis paruitatem, eademque per inane ferri (esse enim inane) & conteret quidem generationem efficere, dissoluta autem interitum, efficere autem & pati, quæ se tangunt, & eatenus esse non unum: cōposita autem sanè, atque circumplicata generare. Ex eo autem quod vere unum est,

non esse genitam multitudinem, neque unum ex iis que verè sunt multa, quim potius hoc fieri posse negabat. Ceterum ut Empedocles & alij quidam pati permeatus inquiunt: sic Leucippus omnē alterationē, atque omne id, quod pati dicimus hūc in modum fieri, facta per vacuū dissolutione & interitu, similiter autem & accretione, aliis subinde ingredientibus. Ac **Text. 62** ferè quod Leucippus asserit, Empedocles quoque fateri cogitur, nempè solida quædā esse, sed indiuidua nisi ubique meatus sint continui. Quod certè fieri non potest: nihil enim aliud erit solidū præterquā meatus, sed universum, inane: quæ igitur se tangunt, indiuidua sint oportet, quæ verò his interiecta sunt, inania, quos quidem ille meatus vocat: ac Leucippus quidem de actione & passione sic differit, & modi, quibus hec efficiant, illa patientur, hi ferè sunt, qui proponuntur. Sedde his, & quomodo præcipiant, manifestum est.

### Explicatio.

**A** Ltera Democriti & Leucippi sententia sic est ratione & via constituta, ut omnia explicatoria videantur, & mirabili quadam

G      serie

## Liber primus

seriè inter se connexa, ex his denique rationibus & principiis deduceta, quibus non tātum in quorundā explicatione, vt de Emped. diximus, sed etiam omnium commodè uti possent. Quod ex sententiæ illorum confirmatione, constabit. Sententia autem fuit hæc: esse quædam corpora individua, numero infinita, insperabilia ob molis partitatem, moueri autē per vacū, atq; his cōiunctis, pro diuersa coniunctionis ratione varia generari, disiunctis autē interire: efficere autem & pati, quatenus se tangunt, & propinquunt: non enim putabat ita se tangere, vt non aliquid vacui interie etum esset, & eatenus nō ita se tangebat, vt vnum omnino ex illis fieret, cum semper vacuum intercederet: pro varietate tamen, situs & ordinis, cōposita atq; circumPLICATA, diuersas affectiones gignere, vt cap. i. huius libri explicauimus. atque haec tenus quidem Empedocles etiam generationis, actionis & passionis, mistionis, quandam etiam causam assignavit ex suis principiis. sed Democritus præterea accretionis, cui' apud illum nulla causa est, rationem redidit. Ingredientibus enim huius corporibus individuis, vel atomis per vacuum, cum semper esset aliquid vacui interiectū, totum ipsum fit maius, & ideo accrescere dici potest. Quod si vt Emp. voluit, corpus aliquod per illos poros ingredetur, corpora quidem, quorū essent meatus, repleret, & fierent densiora, non tamen augeret. Huius autē sententiæ firmamētum ferè est vacui positio, vt expendenti singulas partes constabit: quare hæc pars, primum ab Aristor. argumentatione Democriti confirmatur, collata

cum argumentatione Parmenidis & Melissi, afferentium omnia esse vnum ens immobile, alter finitum, alter infinitum, vt ex hac collatione appareat, Democritum niti principiis, quæ secundum naturam vera sint, non autem Parmenidē & Melissum: illum assumere certa & manifesta, vt incerta colligantur: hos contraria assumptis incertis, tollere quæ certa & firma sunt. Quod ex ipsis argumentationibus omnino constabit. Parmenidis quidem & Melissi hæc erat argumentatio: si est motus, & rerū multitudo, est vacuum separatum à pleno, & per se consistens: sed nō est huiusmodi vacuum, neque igitur erit rerum multitudo, aut motus: imo omnia erunt vnum, & immobile: in connexa propositione huius argumentationis consensio maxima est cum Democrito & Leucippo, in assumptione vero dissensio est. Parmenides enim & Melissus connexi consequens tollunt, vt tollat antecedēs: sed Democritus & Leucippus contraria, ponunt antecedēs, vt consequēs ponant: sic enim concludunt. Si est motus & rerum multitudo, erit vacuum separatum à pleno: sed est motus & rerum multitudo, vt ipsi experimur: erit igitur vacū separatum. Quare merito laudatur Democritus & Leucippus in hac ratione assumendi: Parmenides autem & Melissus reprehēduntur: illa enim est recta & firma probandi & concludēdī ratio, quæ ex certis & perspicuis, in certa & obscura confirmat & illustrat, vt ostensum est principio libri de demonstratione, talis autē est assumptio Democriti, multis nimis res esse, & moueri: unde concludi existimabat vacuum esse, quod

quod motus in pleno esse non posset, vacuū autem nō esse plenū, neque ens, id est nullā substantiā, quę simpliciter dicitur ens, neq; entis huius partem, plenū autē omniqua que simpliciter ens esse. Parmen. vero & Melissus contra ex incertis & iis, quæ apparent repugnātibus, tollunt certa & sensibus manifesta. Tollunt enim vacuū, & eo ablato, concludunt neq; esse motū, neque rerū multitudinem, cū tamen hoc sit certum & sensibus depr̄chendantur. Vnde ex ea assumptione. vt rei progressi, si quis illis obiiceret, vniuersum continuū non esse, sed diuisim se tāgere, & ideo plura esse, & non vnu, asserebant, inquit Aristot. nihil interesse ac si diceeres multa & non vnu esse vacuum, id est non vnu tantum esse vacuum, sed omnium rerum locum occupare. Hoc enim vniuersum, quod constare dicitur ex pluribus diuisis & tangentibus, vel omniisque diuiduum est, vel non omniisque, si primū, nihil erit vnu, quia diuisione omniisque facta, nihil remanere potest vnu & per se consistens: alioquin si remaneat, non erit omniqua que diuisū, quod hic videtur vocari diuidū: quod si vnu hoc non sit, neque multa esse possunt, cum hæc ex vnitatibus constent, sed vniuersum, erit vacuum, id est vacuum rerū omnium locū occupabit. Sive ro secundum sit, quod est non omni quaque diuiduum, sed partim diuiduum, partim non videbitur figmē tum quoddam. Fingere enim oportet, quæ & quanta pars vniuersi sit indiuidua & plena, quæ item & quanta, sit diuisa & vacua, cuius dis criminis nulla probabilis ratio affiri potest. His igitur rationibus

fierihi Philosophi, despicienes sensum, qui clamabat rerum multitudinem esse, & motū, quasi rationi tantum fides adhibenda sit, & nulla sensibus, asserunt vniuersum esse vnum & immobile, atque Melissus addit, etiam infinitū. Finem enim rei esse ex vacuo, vacuo autem, cū non sit, nihil terminari posse, quare cum omnia sint vnum immobile, hoc etiam erit infinitum. Atque de veritate & rerum natura sic senserunt hi Philosophi, nam in aliis libris ad hominum opiniones accommodatè, ignem & terram rerum principia posuerūt. Verum, inquit Aristoteles, licet hæc ratiocinationibus effici videantur, non tamen in rebus existunt, sed in ratiocinando tantum esse videntur. Sed quia hæc à rebus ipsis discrepant neque oratione nostra res mutantur, aut de suo statu dimouentur, si quę verbis colligimus, re ipsa ita se habere existimauerimus, furiosis per similes videbimus, vel ipsos insanias superabimus: si enim vniuersum sit vnu, certè glacies idem esset atq; ignis: quod ne furiosus quidem senserit. Nam furiosus in iudicio bonorum fallitur, & quæ ob consuetudinem speciem boni & honesti hæbent, ipsi verè honesta videntur esse, & nihil ab eis differre. Haec tenus fuit collatio argumentationē Parmenidis & Melissi ex altera parte, Democriti & Leucippi ex altera: ut illa improbabilis omnino, hæc probabilis & consentiens sensibus ostenderetur.

Sed ipsius sententię Democriti & Leucippi, quę supra à nobis proposita est, singulę partes, singulis rationibus confirmantur. Esse primū quedam corpora plena, & ideo ve-

## Liber primus

re entia, & individua sic concludit. Credendum est, in natura esse aliquid proprium, hoc igitur erit omni quaque plenū, & nullam partem vacui habebit. Quod si caret vacuo, divisione etiā carebit: quia omnis divisionis sit intercedente vacuo, quare erit individuum: addunt hī Philosophi, hęc individua & atoma, esse numero infinita, ut sufficiant omnibus rebus in infinitū gigantes, in vacuo moueri, cum in pleno non sit motus, & illis coniunctis gigni res, se iunctis interire, sed rerum varietatem ex vario situ & ordine atomorum prouenire, vt lib. i. explicatum est: simpliciter tamen unum ex illis non fieri, quia semper esset interiectum illis vacuum, & ideo unquam atomum persevere unum esse, quia omnino plenum, & ex eo aliud corpusculum fieri non posse, quia carceret vacuo, & ideo divisione, quae per vacuum tantum fieret: ex illorum sententia esse tamen in coniunctione atomorum, ad generationem alicuius rei tactum, quatenus propinquae essent, non enim propriè se tangere, cum semper esset vacuum interiectū. Hęc de sententia Democriti & Leucippi.

Ex quibus efficiuntur ab Aristotele tria consectaria, quae pertinēt ad collationem huius sententiae, & Empedoclis. Primum est, quemadmodum Empedocli & nonnullis aliis placuit, alterationē & passionem fieri intercedētibus meatibus quibusdā, ita ex Democriti & Leucippi sententia sit intercedente vacuo. Vtrisque enim sit tactus, vel poros, vel vacuo interiecto: tactum verò consequitur actio & passio. Secundum cōsēctariū est: sicut De-

mocritus & Leucippus afferit, esse quedam corpuscula individua, sic etiam cogetur afferere Empedocles, si sibi constare velit: corpora enim illa quae meatus continēt, aut sunt individua & imparibilia, vel dividua & patibilia, si primum iam consentit Democrito: si secundum necesse est intra se contineant alios meatus, quibus patiātur, si quidem omnis passio sit permeatus. Rursus, hi meatus vel continui sunt, vel non: continui esse non possunt, sequeretur enim solidū corpus, quod à nobis afferitur, nihil aliud esse quam meatus & vacuum: unde constat meatus Empedocli inanes fuīse: si vero nō sint continui meatus, corpus certè, quod inter meatus interiectum est, carebit meatibus, & id circa erit individuum & imparibile, cum vacuum ex illius sententia, sit quo sit divisione & passio: & ex consequenti corpora se tangentia individua erunt, & interiūlū interceptum erit meatus, & vacuuū: quae omnia cum Democriti sententia omnino consentiunt. Modi igitur agendi & patiendi, ab illustribus philosophis expositi, hi sunt: non enim sollicitum esse oportet de his quę abieci Philippi sentiūt, unus fuit Empedoclis, qui in meatibus rationem efficiendi, ingrediente efficientis vi posuit, & patiendi, recepta in eisdem eadem vi efficiētis: alter Democriti & Leucippi, qui in vacuo eandem rationem collocauerunt, ut explicatum est.

**V**Idetur autem principiis quibus vntuntur, ea quae apparent consentienter euenire, aliis autem non. Vt Em-

pedo-

pedoclis sententia, constare non potest quomodo fiat alteratio aut interitus. Nam his quidem, prima corpora individua sunt, figura solum differentia, ex quibus primis re liqua componuntur, & in que vltima dissoluuntur: Empedocli autem cætera quidem usque ad elementa, generari & interire manifestum est. At horum ipsorum elementorum, quomodo coaceruata magnitudo generetur, & intereat, nec manifestum illi est, neque ad explicandum possibile, præsertim afferenti ignis ipsius aliud elementum non esse, similiter neque aliorum omnium, ut in Timæo Plato scripsit.

*Text. 63.* Hoc enim à Leucippo tantum discrepat, cæteris cōsentiens, quod ille quidem solida, hic autem superficies ponit individuas: atque ille quidem solidorum unum quodque infinitis figuris terminatum esse, hic autem finitis: cum tamen individua & figuris terminata vterque ponat, & ex his generationes & interitus. Leucippo quidē duo sunt modi, per vacuum, & tactū: tactu enim unumquodque diuiduum esse: Platonī autem per tactum tantum, quia vacuum negabat esse. Sed de individuis su-

perficiebus, in superioribus sermonibus dictum est. de solidis autem individuis, pluribus considerare nunc omittatur, paucis autem digrediendo dicere necessarium est.

### Explicatio.

Terium consecutum valet etiam ad præferendam sententiam Democriti, sententiis Empedoclis & Platonis: sententia est, Democriti opinio defendere & retinere potest omnes mutationes, & motus: opinio Empedoclis non potest: illa consentit his, quæ evenire videntur, hæc ab eisdem dissentit: atque ideo Plato in Timæo, multis in rebus sequitur Democritū, sed non omnino reprehendit Empedoclem: explicatio & ratio est: Empedocles elementa ponit imparibilia, & affectiones formas ipsorum, ut principio huius libri dictum est, ergo tollit alterationem, cum hæc sit ad affectiones, ut una abiecta, altera inducatur: quare si elementa, quibus primo huiusmodi affectiones competunt, imparibilia sunt, nullius abiectio erit abiectio & interitus, atque ideo neque alteratio. Tollit etiam hæc sententia interitum, hic enim non fit, nisi præcedente alteratione, at elementis non conuenit alteratio secundum Emp. ergo neque interitus: cum tamen his primo, & per elementa aliis competit, ut principio capit. 6. dictū est. Atque etiam Emp. generationem elementorum tollit: potest enim coniunctione elementorum, aliorum generationem ex-

## Liber primus

elementis retinere: quomodo autem ipsorum copiosa quædam molles generetur, ut aëris ex multo vapore, aut ignis ex magna lignorum silua, quod tamen sèpè cernimus, nec docet, nec docere potest: nisi forte quatuor elementorum aliud elementum ponat, quod non facit, neque spharum huiusmodi elementum afferit esse, cum enim elementum aliquod ex altero gignitur, nō censuit ad esse sphærum, sed tantū cum elementa vel in unum confunduntur, vel ex uno secernuntur, ut cap. i. huius libri explicatum est. Constat igitur Empedoclem defendere nō posse omnem mutationē, & motum: defendit autem Democritus & retinet omnem motū & mutationem, quamvis non verè neque exactè, suis tamen principiis accommodatè. Ex atomis enim ut principiis omnia componit, & in eadem dissoluit, ut eorum coniunctio sit generatio, secretio vero sit interitus: alteratio præterea sit variatio situs & ordinis, denique noua atomorum accessio, sit accretio. Quare inducat Aristot. Democriti sententiam esse perfectiore, quæ omnem motum & mutationem tueatur. Id etiam confirmat Platonis testimonio in Timo, ubi censet hāc esse in Empedoclis opinione inexplicabilem difficultatem, quod non possit omnem motum defendere, & impletisque id circa reiecto Empedocle, Democritum sequitur, licet in nonnullis ab eo discrepet. Primum quidem, quod Democrit. & Leucippus solidia & corpora ponunt individua, Plato superficies: ille deinde, solidum unum quodq; individuum, infinitis figuris terminatum esse affe-

rit, id est quodque individuum habere propriam figuram, qua terminatur, sed ita ut universus figurarum numerus ex illis resultans sit infinitus. Plato autem finitum inducebat figurarum numerum, pro elemento enim primo, figuram triangularem ponebat, ut prima elementa essent triangula: quæ autem ex his primo orientur quinque esse, pyramidem, cubum, figuram octo laterum, duodecim & viginti. In his igitur dissentiebat primo à Democrito, quamvis in eo consentiret, quod principia poneret individua, & figuris terminata. Atque ex his generationem & interitum, coniunctione & diremptione existere. Dissentiebat secundo à Democrito Plato, in modo quo fit coniunctio hāc, & dirēptio. Democrito enim fit duorum opera, nempè tactus & vacui, sed hic tactus, ut explicauimus potius erat propinquitas quædam, quam verus & proprius tactus. Itaque fieret concretum corpus, quatenus illa corpuscula essent vacuo diuisa, sed se tangentia id est proprie collocata: quatenus autem longiori intervallo disiungentur, esse eiusdem corporis, tactu geniti & vacuo, interitum & dissolutionem. Platoni autem solo tactu fit corporis generatio, superficiebus scilicet individuis se tangentibus, nullo vacuo intericto: cum autem se amplius non tetigent, consequi corporis interitum & dissolutionem. Contra hanc autem Platonis de individuis superficiebus sententiam lib. 3. de cælo disputatum est. Contra Democrit. autem eodem etiam lib. 3. & 4. de cælo, & libro de individuis magnitu-

magnitudinibus latius dictum est, nūc autem breuiter pauca perstrin gemus, ne huiusmodi opinio quāuis in speciem probabilis, vera tamē omnino esse videatur. Hæc de prima p. capit. 1.

- Text. 64.** **E**nī vero corporum induiduorum vñūquodque imparabile esse afferant oportet, cum pati nisi per vacuum non possit, & nullius affectiōnis effectiūm esse: si quidem neque durum, neque frigidū esse valet. At qui illud etiam absurdum est globosæ tantū figuræ calorem tribuere. Necesse enim etiam est, contrarium & frigus alicui alteri figuræ conuenire: quod si hæc quidem insint, calor inquam & frigus, absurdum illud etiā est, grauitatem & leuitatem, duriciem & molliciem minime inesse. Quin individuorū vnumquodque grauius esse per excessum Democritus inquit, quamobrem manifestū est, quod etiā calidius: quod si talia sint, fieri non potest, quin alterum ab altero patiatur, quemadmodum remisse calidum, ab eo quod multo calore excellit.

### Explicatio.

**A**ltera p. refellitur Democritus decem rationibus: Empe-

docles tribus. Prima ratio est, si essent atomi vel corpuscula illa individua rerum omnium principia, nulla esset passio: falsum secundū, ergo & primum propositio ostendit, quia atomi Democrito imparabiles sunt, quia vacuo carent, & passio tantum fit illi per vacuū. quod si imparabilia sunt, nullius affectionis aut perpessionis causa erunt: cum Democrito passio sit inter similia & actio, atq; ideo quæ imparabilia sunt non possunt causa esse, cur alia patiantur. quod si passio non sit, nullæ orientur qualitates & affectiones, nihil durum, aut frigidum, denique qualitate aliqua affectum euaderet. Secunda ratio refellit sententiam Democriti, afferentis globosis atomis inesse calorem, & nulli alteri aliquam qualitatem. Si enim calor globosis atomis in est, conueniret contrarium frigus alicui determinatae figuræ, quæ globosæ contraria esset siquidem contrariorū contraria consequentia sunt, & si alterum in natura existit, oportet & alterum existere: at globosæ figuræ nulla contraria est, neque ab hoc autore frigus certè alicui figuræ tribuitur: quare neque calor propriam aliquam figuram sibi vē dicabit. Cum autem videretur Aristoteles effecisse, calorem & frigus atomis inesse, ex his concludit tertiam rationem hoc modo: si calor & frigus in atomis reperiuntur, necesse est reperiri grauitatem & leuitatem, duriciem & molliciem, quod tamen hi autores negauerunt: quia huiusmodi qualitates illas primum consequentur, ut in omnibus rebus naturalibus comprehendimus, quæ calida sunt aut

frigida, ea etiam grauia aut leuia, dura aut mollia esse, & lib. 2. differetur de qualitatibus secundis, quæ ex primarum cōmīstione oriuntur. Quarta ratio est. Si ex atomis aliæ sint calidores & grauiores, aliæ minus calidæ, necesse est à seipsis vicissim pati, cum minus calidum à calidore semper patiatur, donec euadat omnino simile: sed primum ex sententia Democriti colligitur, (concedebat enim quædam corpuscula, maiora esse, & idcirco grauiora, quare, si globosa corpora, quæ constituebat calida, maiora es- sent, oporteret etiam calidiora asserere: crescēt enim mole si cres- cit grauitas, cur etiam non crescat calor? quare si maiora sint calidio- ra, sint oportet minora, minus calida) concedere igitur tenebitur De- mocritus secundum atomos à se pati, nēpē minores à maioribus, id est, remisse calidas à calidioribus.

Text. 67.

**P**réterea si durum est, etiā molle erit: at molle id cir- co dicitur, quod aliquid patiatur. Quod enim cedere po- test, id molle dicitur.

**Q**uinta ratio, si durum atomis conuenit etiam eisdem pas- sio: sed primum concedit Demo- critus: non est igitur cur neget se- cundum, constituens atomos impa- tibiles: propositio sic deducitur. Si enim atomis durum conuenit, con- ueniet etiam molle: quia si vnum contrarium est in rerum natura, oportet etiam alterum esse, cum sint in eodem genere, &c. Si autē est molle, erit etiam in atomis pas- sio, quia molle est quod cedit præ-

menti, ut constabit libro 2. Cede- re autē est pati aliquid: quare si du- rum est in atomis, sit etiam opor- tet passio.

**S**ed & illud absurdū est, prg Text. 68. **T**er solā figuram nihil quic- quam conuenire, & si conue- niat, vnum dumtaxat, veluti hoc quidem durum, illud au- tem calidum. Non enim vna quædam fuerit ipsorum natura.

**Explicatio.**

**S**exta ratio, atomis conuenit quarta species qualitatis figu- ra, ergo conuenient priores, quod tamen negat Democ. cui enim po- sterius inest, cōsentaneū est & prio- ra conuenire, pr̄sertim principiis quæ volunt esse atomos. Quod si di- cas, concedi etiam ab illis priores species, quia concedunt hi autores durum & calidum atomis inesse. oc- currit Arist. concedi quidem alte- rum ex duobus contrariis, & tamē oportuisset utriusque concedi, alio- quin non fuerit vna atomorum na- tura, ut illi asserunt: quæ enim can- dem naturam habēt & materiam, utriusque cōtrarij susceptiua sunt. Vnde asserimus, alterius rationis esse cælestem materiam ab inferio- rum materia. Quoniam hæc, mul- ta potest contraria excipere, quo- rum materia cælestis susceptiua non est.

**S**ed perinde fieri non po- test, vt plura vni insint: cū enim sit individuum, affectio- nes

nes in eodem habebit. Quare si patiatur, vt si refrigeretur, eadem parte & ratione, aliud quidem efficiet, aut etiam patietur. Eadem autem ratio in aliis affectionibus erit. Idem enim vsu venit iis qui solida, & qui plana indiuidua ponuntur: neq; enim rariora aut densiora fieri possunt, cū indiuiduis vacuum non insit.

### Explicatio.

**S**eptima ratio cōcludit, neque plures affectiones, vt duo contraria eidem atomo Democritum concedere posse, quo tamen præcedenti proxima ratione concedere cogebatur: quare improbabilis omnino ostēditur Democriti sentētia, quæ neque vnam, neque plures affectiones eisdem atomis tribuere possit, vnam tantum concedere nō posse, præcedentibus rationibus conclusum est, nūc vero neque plures concluditur. Argumentatio est: si plures eidem atomo affectiones inessent, eidē indiuiduo inessent: cum atomus sit indiuidua, quod si indiuiduo, eadem plane ratione & facultate, cūm indiuiduo non possit esse distinctio facultatis: si verò eadē ratione, efficietur, vt per eandem facultatem per vnam qualitatem patiatur, vt refrigeretur, & eadem facultate & ratione, per aliā qualitatē efficiat, vt calfaciet, aut etiam patietur eadem ratione, vt refrigerabitur, humectabitur etiā & exiccatur: quæ omnia cum fieri non possint, neq; illud ex quo cō-

cluduntur, fieri poterit, neimpē plures affectiones contrarias eidē atomo inesse: in eadē autē absurdā incidit Plato ponens superficies indiuiduas. oportēbit enim statim cōcedere, per eandē facultatē easdē agere & pati. Quod si atomi diuiduē essent, & vna ex parte rariores essent, ex altera densiores, rariore parte verbi gratia, calorem dēsōre frigus exciperent, & non secundū eandem partem & facultatem. cū autem idneque Leucippus posset asserere, quia inquit rarius esse quod plus vacui obtinet, densius vero, quod minus, & in atomis vacuū non esse: neque Plato, quia superficiebus neque raritatem, neque dēsitatē tribuit, necessē est vtrunque eodem illo absurdo implicari, eadem ratione & facultate, idem indiuiduum plura simul efficere, & plura pati, atque ea contraria.

**P**ræterea, illud quoque ab Text. 70. surdū, parua quidem esse indiuidua, non autem magna: nunc enim meritō maiora magis franguntur quam parua: quia illa dissoluuntur faciliter, cumin multis offendant: indiuidua autē omnino esse, cur paruis potius, quā magnis cōuenit? Præterea vtrum omnium illorum solidorum vna natura est, an alia ab aliis differunt. Si enim vna omnium natura, quid fuit secernē vel quam ob causam se se tangentia non fiunt vnum: vt cum aqua aquam tetigerit.

G 5 rit.

- Text. 72. rit. Nihil enim differt posterius à priore: sin alia est eorum natura, qualia erunt, ac perspicuum est, hæc potius ponenda esse principia, & causas eorum, quæ eueniunt, quā
- Text. 73. figuræ. Præterea si diffent natura, se mutuo tangētia, efficient & patientur.

Text. 74. Præterea quod nam mouens est: si enim diuersum, patibilia erunt: sin vnumquodque seipsum: vel diuidum erit, alia quidem parte mouens, alia motum, vel in eodem quia idem contraria inerunt: & materiam non solum numero vna erit, sed etiam facultate.

eiudem naturæ naturaliter manet coniuncta, vt aqua aquæ coniungitur, quid igitur ea discrevit & unde rerum tanta varietas, quantam cernimus in universo. Altera pars assumptionis probatur, quia si atomi differunt, qualitatibus different: quod tamen tueri non potest Democri. primo, quia rationi magis consentaneum est atomos esse rerum initia ratione qualitatum, cum ab his sit efficientia, quam ratione figurarum, vt ille asserit, à quibus nulla efficientia est. Secundo quia si differunt atomi, cū se tangunt, vicissim agent & patienter, atque ideo non erunt impatibilia, vt vult Democr. quæ enim subiecto sunt vnum, & qualitatibus diuersa, accommodatissima sunt ad actionem & passionem, cum se tetigerint.

Decima ratio est ad refellendū quod asserit Democr. corpuscula illa assidue moueri per inane. Si enim mouentur, aut est diuersum mouens, aut atomus seipsum mouebit eadem parte: vtrunque autem fieri nequit. Si enim mouens est diuersum, atomus mouebitur, & patientur, quam tamen vult Democr. impatiibilem: si vero seipsum moueat, aut vna parte mouebit, altera mouebitur, & non erit indiuidua & uniformis, vt Democrito placet, vel in eodem opposita: si eadem parte moueat & moueatur, quod est omnino absurdum, & demonstratum octauo physico, id quod seipsum mouet, necessario distingui in partem mouentem, & partem motam, ne secundum idē dicatur habere duo opposita mouere & moueri, quod est secundum idem simul esse potentia & actus & materia prima quæ opposita recipit,

### Explicatio.

**O**ctava ratio refellit, corpora indiuidua esse parua, quod Democr. asserit. Cur enim potius parua sint indiuidua, quam magna, nulla ratione probabili confirmat: atque ideo commentitia videtur esse opinio, & non ex rerum natura deducta. Nos enim rogati, cur magna faciliter frangantur, quam parua, rationi congruenter respondemus, quia magna in multa offendunt, id est in multa diuidentia incurruunt, parua autem facile effugiunt.

Nona ratio sic disponitur: vel atomorum est vna, vel diuersa natura: sed neque vna, neque diuersa, non sunt igitur atomi. assumptionis prima pars ostenditur, quia quæ sunt

pit, licet sit vna numero, est tamen ratione & facultate multiplex, & vicissim non simul recipit opposita, quod si secundum idem possit idem mouere & moueri, posset etiam eadem ratione eadem esse materia oppositorum numero & facultate. hactenus contra Demo- critum.

**T**ext. 75. **Q** Vicunq; igitur per motum, qui fit in meatibus, inquit existere affectiones, si quidē opletis etiā meatibus, superuacanei erūt meatus. Nam sita omne patitur, etiam si meatibus caret, sitque continuum, eodem patietur modo. Præterea visio quo pacto fieri poterit, eodem modo quo isti dicunt? neque enim licet tactibus perspicua transmeare, neque meatus, si vnuſquisque oppletus est. Quid enim differt ab eo quod meatibus caret? omne enim simili- ter plenum erit. Sin autē meatus isti inanes fuerint, necessario autem in ipsis corpora contineantur, idem rursus sequetur. Quod si tantuli sint, ut nullum capere corpus pos- sint, ridiculum sanè est putare, paruum inane esse, non autem magnum, quantumcunque sit, vel censere inane aliud esse quam regionem & locum corporis, ut intelliga-

tur omni corpori par magnitudine futurum inane. Omnis autem meatus inducere superuacaneum est. Nam si nihil efficit tactu, neque permeatus transiens efficiet: quod si tactu, quamuis meatus non ad sint, hæc tamen patientur, illa efficient, quæ ita inter se mutuò apta fuerint. Ex his igitur satis constat, meatus eo modo quo à nonnullis afferuntur, aut falso, aut frustra afferri: quod si corpora sint omnino diuidua, ridiculum est poros inducere, qua enim diuidua, separari possunt.

### Explicatio.

**C**ontra Empedoc. sunt tres rationes, prima sit ad refellendos poros, per quos ingrediente vi efficientis, dicebat fieri passionē, & exoriri patibiles qualitates, & concludatur hoc modo: vel huiusmodi pori repleti sunt aliquo corpore, vel inanes: sed utrumque fieri non potest: non sunt igitur pori. Assumptionis prima pars ostenditur: quia si repleti sunt, nullus erit aditus efficientibus, & idem erit omne quod patitur esse continuum, atque poris distinctum: atque etiam falso affereret Empedoc. per huiusmodi poros visionem fieri, quia fieri non posset, ut tactibus corporis replentis meatū, & ipsius corporis, cuius est meatus, id est

## Liber primus

id est cum illa se se contingerent, res videnda posset transmeare, & perspicua, per quæ fit visio, & ipsos meatus & poros repletos. Altera pars assumptionis, poros non esse inanes, sic concluditur, vel enim sunt omnino in anes & magni, vel parui, primum non concedebat Emped. quia sensu constat omnem locum esse plenum: concebat tamen secundum, & inducet exiguos poros, qui ob exiguitatem viderinon possent. Si igitur pori parui sunt, aut repleti multis partibus, licet non omnibus, aut adeò exiguui, ut nullum corpus possint excipere: si primum, quatenus repleti sunt, superuacanei erunt, vt modo collegimus, & similiter, si nullum possent corpus excipere, idem enim esset, atque corpus poris carere: ponere autē exiguos meatus ridiculum est, cum regio corpus excipiens, qua regio est & interuallum, non magis paruitatem quam magnitudinem requirit, & facilius permeabit efficiens & res videnda meatum amplum, quam exiguum & contractum. Secunda ratio est: si tactus corporum, cum cætera ad sint, satis est ad actionem & passionem, pori superuacanei sunt ad passionem & actionem, cum sine illis tactus possit esse, ut cum manus ignem tangit: sed primum, secundum igitur: vnde licet pori sint, si non sit tactus, non erit actio. Tertio tandem concluditur, si corpus omni ex parte diuiduum est, vt e. physico.demonstratum est, frustra sint pori ad actionem: (poterit enim efficiens cum tangit patiens, illud diuidendo, sibi parare aditum & meatus, quo altius suam efficien-

tiam promouere possit: vt cōstat, cum ignis cutem attingit.) non igitur pori, vt ab his asseruntur, necessarij sunt ad actionē, inquit Aristot. alia enim ratione necessarij sunt, sed non inanes, sed pleti corpore vt aëre, quod facile pellatur, & cedat locum corpori ingrediēti. Sic habet entis meatus, ad excernendum sudorem, & totum corpus animalis ad trahendum sanguinem quo alitur ex venis, lib. 2. de generat. anim. cap. 4. & sect. 11. prob. q. 61. asseritur nos audire per rectos & obliquos meatus, videre per rectos. Lana etiam, & pannum lineum per meatus imbibit humorē. medici exhibent medicamenta ad laxandos & constringendos meatus. Quæ verò Philop. adducit contra hæc, Philosopho digna non sunt, vt autem diuidi excretionē sudoris, quasi hæc solutio cōtinui, sine dolore esse posset, &c. Refellit igitur Aristot. meatus & poros, non omnino, sed vt asserebātur ab Empedoc. vt in quibus eset tota ratio actionis & passionis, quam Arist. in innata corporum potentia & actu constituit, vt statim constabit.

## C A P. I X.

Vomodo autē rebus cōueniat generare, efficere & pati, dicamus nos, initium illud sàpè à nobis repetitum sumentes. Nā si hoc quidem potestate est, illud autem actu tale, aptum est au-

Text. 77.

**Text. 78.** est autem ut patiatur, non  
hac quidem parte, illa au-  
tem non. Sed omni ex par-  
te qua tale est: magis ta-  
men ac minus, quam magis &  
minus tale est, & hoc sanè mo-  
do rectius quis meatus indu-  
xerit, vt in metalli fodinis,  
eius quod patibile est, venæ  
continuae protenduntur. Con-  
sum igitur vnumquodque,  
& vnum si sit impatibile, itē-  
que illa quę non tangunt, ne-  
que perse ipsa, neque per  
alia, quę ad efficiendum &  
patiendum sint accommoda-  
ta, ignis verbi gratia, non so-  
lum tangens calfacit, verum  
etiam si longe absuerit: ignis  
enim aerē calefacit, aer verò  
corpus, quia idoneus est ad ef-  
ficiēdum & patiēdum. Quod  
autem pertinet ad illud, pati  
corpora parte sui, parte alia  
non pati, idem quod princi-  
pio diximus, repetēdum est:  
nisi enim magnitudo sit omni  
quaque diuidua, sed sit cor-  
pus vel latitudo indiuidua, ni-  
hil fuerit omniquaque patibi-  
le, neque cōtinuum. Sin hoc  
falsum est, & omne corpus di-  
uiduum, nihil sanè refert, sint  
ne diuisa at se tangant, an di-  
uidua sint. Nam si per tactus  
disiungi possunt, vt nonnulli  
inquiunt, quamuis diuisum  
adhuc non sit, tamen diui-

sum erit: potest enim esse di-  
uisum. nullum enim sequi-  
tur impossibile: sed omnino  
ad hunc modum fieri fissis  
corporibus, absurdum est.  
Tollit enim hæc omnino al-  
terationem. Cernimus enim  
idem corpus manens conti-  
nuum, interdum quidem hu-  
midum, interdum autem con-  
gelare, non diuisione aut cō-  
positione, non conuersione  
aut diuerso tactu, vt tradit  
Democ. id patiens, non enim  
transpositum, aut mutata na-  
tura ex humido congelatur,  
neque nunc adsunt indiuidua  
humida quę congelarunt, sed  
totum iam humidum est, iam  
siccum & congelatum. **Text. 81.**  
**Text. 80.** Præ-  
tereà neque accretio aut de-  
cretio erit, quia non quod-  
cunque erit maius factum, si  
quidem additio erit, necto-  
tum erit mutatum vel admi-  
sto aliquo, vt alimento, vel  
per se mutato. Quid igitur  
sit generare & efficere, gig-  
ni & pati à se vicissim, & quo-  
modo fieri, & quo, vt quidā  
afferunt, non possit, ha-  
tenus sit ita de-  
finitum.

## ¶ Capitis noni explicatio.



Ententiis veterum, de modo agendi & patiendi, explicatis & refutatis, propriā sentētiā Aristot. cap. 9. constituit, atque ideo inquit se dicturum de generationis, actionis & passionis modo: vt intelligatur actione & passione, quæ proprie ad qualitates pertinet, modum etiam generationis explicari, quia alteratione qualitatum præparatio fit ad substantiæ generationem, vel generatio usurpatur generaliter, pro omni effectione, vt in fine capit. Sententia est, passio fit, cum alterum est potestate vndiquaque, alterū actu, magis autē aut minus patitur aliquid, quatenus magis aut minus potestate est: atq; etiā agens & patiens ne sint continua, neque admodum disiuncta, sed contingant sese, vel proximè & immediate, vel intercedente aliquo corpore, quod ab agenti pati, & in proximum corpus agere aptum sit. Tres sunt partes huius sententiae, quarum prima est aliarum firmamentum, vt patiens sit potentia accommodatum, ad recipiendam agentis impressionem. Hæc enim actus & potentia distinctio, principium est omnis mutationis principio physico. Sæpe alias repetitum, quia omne quod patitur & mouetur, de potentia in actum, ab eo quod actu est deducitur, 4. cap. 8. physici. patitur autem aliquid vndeque, si vndiquaque potentia est, ne aliquid impatibile cum veteribus constituamus. Altera pars ea dicit magis pati, quæ magis potentia sunt, vt lignum ab igne quā

lapidem. Ut enim se habet simpliciter, ad simpliciter, ita magis ad magis, & maxime ad maxime, vt si calidum calfacit, magis calidū magis calfaciēt: & calidissimum, maximè. Tertia pars tangentia esse agens & patiens asserit, vel immediate & proximè, vel intercedente corpore, quod sit aptum vt à principali agente patiatur, & passionem deferat ad ultimum patiens. Sic ignis aëre intercedente manum calfacit, quia & calefieri, & calefacere accommodatus est: at intercedente lapide non calefaceret, quia ad utrumque accommodatus non est. Quod si tactu intercedente passio fit, continuum, aut valde disiunctum, neque à seipso, neque à remoto patietur agenti: quia tangentia neque continua sunt, cum extrema non sint unum, sed simul, neque disiuncta, quia simul extremitatibus coniuncta. Ex quibus infert Aristot. 1. ratione meatus affirmari possint ad passionem necessarij, nempè si quod magis est in potentia, dicimus meatum esse, quo facilius vis agentis excipitur, vt in metallis venæ protensa continentि ductu, patibiliores sunt, vt metallum sincerum euadat. Secundo infert, posito individuo, vel corpore, vt placuit Democrito, vel latitudine & superficie, vt Platoni non posse constitui patibile vndiquaque, vt positum est potestatis ratione. Illa enim individua, concretum corpus constituentia non possunt pati omni ex parte, sed in meatis, vel ea parte quæ se tangunt, vt ex illorum sententia, cap. 8. dictum est. Quin etiam neque continuum, ex illis individuis confici potest, quia

quia sequeretur, diuidi individuum, cum omni ex parte continuum diuidatur, & ex consequenti individuum diuidi oporteret: quare cum hæc sententia sit falsa, & continuū corpus omni ex parte diuidatur, nihil refert, si diuisa hæc, & se tangant, vt illi dixerunt, vel diuidua sint, & actu non diuisa: quia ut diuisa se tangant agens & patiens, ita nos asseremus, licet corpusante efficientis aduentum diuisum non sit, tamē cum efficiens aduenirit, diuisum iri quacunque ex parte, cum diuiduum, actu diuidi, impossibile non sit. Itaq; vult Aristot. agens & patiens diuisa se tangere, sed patiens omni ex parte diuidi posse, vt omni ex parte sit patibile: quod illi veteres tueri non poterant, individuas magnitudines asserentes. Tertio infert, sic fisis corporibus, id est individuis se tangentibus & non continuatis, vt voluit Democ. impossibile esse fieri alterationem, aut accretionem. Ratio prima est, quia manens continuum, nulla compositione, situ aut ordine variato, qualitatibus mutatur, vt cum aqua humida, id est, diffluens congelatur, neque dici potest recessisse individua efficientia molliciem, & remansisse efficientia duritiem, quia sensus ostendit, totam aquam prius diffluentem congelari. Ratio secundi est, quia accretio fit omni ex parte, vt supra, cap. 5. at illa individua cum sint imparibilia, maiora euadere non possent, ex quibus tamen illi omne corpus componunt, quare ratione illorum non esset omni ex parte accretio: eadē est ratio decretionis, cum fiat similiter omni ex parte, eodem cap.

An individuum  
Pati possit, &  
utrum agens  
& patiens cō  
tinua esse pos  
sint, in fine di  
sputacionis  
que sequitur.

5. sed neque conuersio in maiorem quantitatem secundum totum, vt cum ex aqua fit aer, quia illa individua maiora euadere non possent. Sequitur Epilogus, in quo generare est efficere generaliter, & gigni est pati, de aliis in eo cōprehensis supra cap. 7. in fine.

*Disputatio ad Cap. sextū, &  
consequentia ad decimum,  
de actione & passione, &  
intensione.*

**A**ctionis & passionis natum explicandam asseruit Aristot. idem in seipsum, aut in omnino simile agere non posse, in dissimile omnino, aut quadam ex parte omnino agere, vt calidum in frigidum, calidius in minus calidū: & agentia hæc agendo contra pati, quæ est mutua actio & passio, scholasticis dicta reactio, & quæ ingenia acutissimorum philosophorum, valde execravit. quare ad huius doctrinæ exactiorem intelligentiam assequendam, hæc sunt à nobis differenda, an idem in se ipsum agere possit, an simile, an intensio fiat eiusdem formæ, an agens contra patiatur: ad eas vero quæstiones, sint hæ rationes dubitandi.

Rationes dubitandi.

Prima, an idem in seipsum agere possit.

vicio

# Liber primus

visio, intellectio: viuentis igitur actio erit in se ipsum: ut nutritio, accretio, sensio, intellectio. Præterea aqua calida se ipsam ad natuā frigiditatem reuocat: & aestate à calore circundata, suammet frigiditatem intendit & auger: idem igitur agit in se ipsum. Secunda, intensior qualitas agit in remissam, ut calidius in minus calidum: ergo simile agit in simile, cum similia sint, quæ qualitate conueniunt. Lucidum etiā corpus aerem illustratum illustrio rem reddit, cum tamen utrumque lucidum esse constet. Itaque duo lumina in aere se vicissim intendunt, cuius signum est, quod aer à duobus magis quam ab uno illuminatur, & duæ phialæ omnino eæquales & similes, si mutuò collidantur, franguntur, ergo simile agit insimile. & medici asserunt ex lib. 3. ex termino Galeni de Temperam. re media esse, similia in gradu, morbo, ut ipsum superent. Tertia si forma aliqua interdi possit, rei specifica essentia, & definitio explicans essentiam, suscipiet magis & minus, quia hoc est intendi & remitti: consequens autem falsum est, quoniam species sint sicut numeri, quibus nulla fieri potest additio, quin species mutetur: falsum igitur & primum, quod sit formæ aliqua intensio. Quarta, si agens agendo repateretur, idem secundum eundem motum esset agens & patiens, ut quidem patiens immutat, esset agens

Secunda, an simile.

Tertia, an sit formarum in tensio.

Quarta, an agens dū agit repatriatur.

Variæ rationes dubitan-  
di, quæ om-  
nes conclu-  
dunt, idem si-  
mul eodem  
motu actu &  
potentia esse  
non posse.

est, per actum vero agit, per potentiam patitur, ut constat ex 1. cap. 9. principio: quare si agendo patitur, simul esset in potentia & actu ad eandem formam, ut si calidum ageret in frigidum, actu esset in calore, per quem agit, & simul esset in potentia, ratione caloris, quia in calore pateretur & immutaretur ad fridus, si calefaciendo reputatur à frido, in quod agit. Secundo, vel agēs & patiēs habent eæquales vel inæquales vires, si eæquales neutrū agit in alterum, quia actio non prouenit nisi ex victoria mouentis supra mobile, 4. physic. text. 71. & lib. de motu anim. & à proportione maioris inæqualitatis, ut collegimus ex 5. cap. 7. physici: si vero inæquales validius agit in debilius, & minimè vicissim patiētur: vincet enim debilius, quare multo magis se ipsum conseruabit, cū facilius sit se ipsum tueri, quam alterum vincere. Tertio, si esset huiusmodi mutua effectio & perpef-  
fio, sequeretur in eodem subiecto, eodem tempore, contraria inten-  
di, verbi gratia, simul calorem &  
frigus augeri, quod tamen rerum  
natura non fert, cum semper videamus  
intenso uno contrario in ali-  
quo subiecto, alterum contrarium  
remitti: non est igitur mutua effec-  
tio & perpef-  
fio, ut simul aliquid  
agendo contrà patiatur. Assumptio  
ostenditur hoc exemplo, sit agens  
calidum, quod ad patiens frigidum  
quadruplicè proportionem habeat,  
ipsum autem patiens frigidum nō  
agit nisi in partem unam aut gradū  
ipsius agentis calidi, (nihil enim re-  
fert huiusmodi proportionem agē-  
tis & patientis constitui, ut possint  
aliæ multæ designari.) pars igitur  
agentis

1.

2.

3.

4.

agentis, qua patitur à frigido, refrigeratur ab eo : & ab aliis partibus calidi, eidem parti patienti coniunctis, calefit : ( ager enim calidum prius in coniunctam sibi partem, quæ proinde calefiet, quam in remotum & distans patientis: ) & quia continua est & ut se conseruet: simul igitur illa pars calefit, & refrigeratur. idem potest confirmari & concludi ex interiecto medio inter agens & patientis. si enim ignis & aqua in se vicissim agant per medium aërem, vt constitut fieri posse ex altero principio capitis 9. profecto aëri huiusmodi simul ab igne calefiet, & ab à qua refrigerabitur: si quidem vtrumvis per interiectum aërem agit in alterum: vnum quidem refrigerando, alterum verò calefaciendo: quod nihil est, quam simul contrariis motibus agitari. Denique est etiam contra hanc sententiam & illud argumentum difficile. si efficiens dū efficit, vicissim patitur, nunquam reddet patientis sibi omnino simile: verbi gratia, nunquam ignis ex aqua, aut aëre, sincerum ignem, qualis ipse est efficiet: atque nunquam agens suum in agendo finem, vt sibi omnino simile efficiat, consequetur. in fine enim actionis, ob mutuam perpessionem, necesse est multum virtutis & roboris amississe, vt non sit amplius sincerus ignis: & cum nihil agat ultra proprium gradum, sincerum ignem non generabit. hęc sunt difficultiora argumenta ad refellendam mutuam actionem & perpessionem, quæ ex multis Pomponiatius collegit, dicato, huic argumento de reactione, proprio opere.

Ad explicandum has controvierias, & diluendum obiectiones, præsertim, quæ ad priores quæstiones pertinent, præter illa principia Aristotelis, quæ cap. 9. explicauimus, agens esse actu, patientis potentia & vtrumque se tangere, vel immediatè, vel mediataè, accipienda est & repetenda actionis distinctio ex lib. 9. metaphys. cap. 9. in immanentem, quæ manet in eo, à quo fit, & transeuntē, quæ in altero recipitur, & ab alio fit: actio sensus & mentis est immanens: actiones elementorum, item artium vt ædificatio, transeuntes sunt. quamvis autem hęc disputatio propriè suscepta sit de actione transiente, quia disseritur de actione, quæ antecedit elementorum, & eorum, quæ ex his elementis concreta sunt, generationem, horum verò actio transiens est: quid tamen sentiendum sit de actionibus immanentibus in propositis quæstionibus simul etiā explicabitur. sumenda est etiam agentis distinctio. Quoddam enim est vniuocum, hoc est eiusdem rationis & materiae cum eo, quod efficit, vt generans & genitum elementum, planta & animal. dico autem, agens & generans principale, quia instrumentarium, eiusdem rationis esse non oportet, quia non agit propria, sed principalis agentis participata quadam virtute, vt semen inani natum est, id autem quod fit illius actione instrumentaria, animatum est. Äquiuocum agens est diuersæ rationis cum eo, quod efficit, vt sol & alia corpora cælestia, quæ aliquid in his inferiōibus efficiunt. illud autem de vniuersis agentibus vrum:

H est,

## Liber primus

est, illa actu esse quatenus agunt, cum actus agendi principium sit: sed is actus, aliquando est idem formaliter in agenti & patienti, ut in vniuocis, aliquando est diuersus formaliter, ut in sole & his inferioribus: est tamen idem superiori & eminentiori quadam ratione: ut in sole est forma & vis quædam, ad immutandum & mouendum hæc inferiora, quæ ab illorum formis omnino distincta est formaliter, sed habet eminentem naturam, qua potest, verbi gratia calefacere, quamvis calore formaliter affecta non sit. hæc igitur disputatio de agentibus vniuocis præcipue suscipitur: proportione & similitudine quadam de æquiuocis.

2.  
Auer. lib. 12. metap. com.  
12.

Præterea accipiendū est, ex disputatione Aristotelis contra veteres physicos, generationem non esse rerum latentium patesfactionem, vt Anaxagoræ placuit: non congregationem vt Empedocli & Democrito: apud quos generatione nihil aliud esse videtur, quam latio quædam eorum, quæ congregantur, aut segregantur: non creationem, id est effectionem rerum ex nihilo, sed perfectionem quædam illius, quod erat inchoatum & in potentia: atque ideo in omni generatione naturali, necessario requiri materiam, & efficiens, quod in illa sit formarum inchoatio, quæ tenus eas potestate continet: vi autem efficientis præparantis materiam erumpit in actum, quod erat in potentia. quod non solum in substantiis, sed etiam in accidentibus intelligendum est, & eodem modo calorem & lumen fieri in aëre, & alias species, quas spirituales vocant. itaque cum dici-

mus calidum agere in frigidum, & contrafrigidum pati, significamus calidi efficientiam, ex materia, quæ nunc frigori subiecta est, educere formam sibi similem, calorem. Hoc fundamentum ex disputationibus Aristotelis contra veteres physicos primo physico, & primo de generatione & inter. sic deducitur. fuerunt de generatione tres opiniones, duæ extremæ, una media. ex duabus extremis, una defendit generationem & alios motus posita formarum latitatem: altera confirmat omnium formarum creationem. Anaxagoras 4.e. i. phys. prioris sententiae autor est, & defendit. assertit enim quodvis esse in quoniam, & agens educere & distinguere res latentes, cum generantur, alterantur: vel apponere extrinsecus quædam, cum augentur. itaque in hac schola Anaxagoræ, generatio & alteratio, est latentis formæ eductio, & distinctione. sed contra istam sententiam sunt multa, quæ Aristoteles obiecit, & nulla esset actio agentis in præparanda & disponenda materia, & idem simul multis formis substantialibus constitutum esset. Altera sententia, quæ generationem naturalem, creationem ex nihilo affirmat, à philosophis quibusdam Arabibus videtur esse inducta, assertentibus Deum omnia immediate efficere, absque actionibus ad ministris corporum inferiorum, ut eorum sententia, corpus naturale non agat in corpus, nō igitur calefaciat, non moveat animal: sed omnia Deus efficiat immediate, illis quidem corporibus præstibus, sed nihil agentibus. quæ sententia planè stulta est, tollens agen-

4.e. i. phys.  
7.c. i. de ge-  
ner. 3. & 7.c.  
i. metaph.

Auer. lib. 12.  
metap. com.  
18. & lib. 9.  
com. 7.

4.phys. text.  
34.

tium

D.Thom. 2.  
sent.d.r:

tium naturalium vites, distinctionem ad proprias actiones, & rerum denique naturalium ex propria forma distinctionem. quare licet concedamus secundum rectam fidem, primam rerum effectionem ex nihilo, & animae rationalis semper esse creationem, quia ex potentia materiae educi non potest: negamus tamen omnes formas naturaliter sic produci: sed esse in materia potestatem susceptiuam formae, esse in agentibus vim ad materiam de potestate in actum educendam. hanc sententiam omnes peripatetici amplectuntur: sed non uno modo ab omnibus explicatur. Aviceccenna enim asserit formas substantiales creari a datore formarum, quam vocat intelligentiam calchodæam, & cum res generatur, easdem formas creatas, in materia collocare. eius hæc sunt

9.lib. sua pri  
ma philo-  
phæ. c.4. &  
Auer. 7. lib.  
metap. com.  
31.

Afferit Aue.  
ab agente na  
turali præpa  
rari materiæ  
accidētibus:  
sed formam  
substantialem  
ab intelligenti  
a illa, sepa  
rata, creatam  
prius, in præ  
paratam ma  
teriam collo  
cari.

argumenta. Primum, quia quod est in potentia, non educitur in actum, nisi ab aliquo eiusdem speciei, aut generis actuо: formæ autem substantiales, neque actiue sunt, neque passiue, sed tantum primæ elementorum qualitates, quæ non sunt formæ substantiales: non est igitur aliquid agens naturale, a quo produci possit forma substantialis, cum omne agens naturale per formam, quæ sit agendi principium, agere debeat, & nulla sit forma substantialis actiua: erit igitur dator formarum substantialium, quia est forma actu, & anima, ad procreandas formas & animas. Secundum, aut forma substantialis ex seipso fit, vel ab externo efficienti: non a seipso: quia nihil ipsum generare po-

test, ne concludatur, idem esse & non esse actu: si ab externo, aut est individuum eiusdem speciei, aut generis, aut forma separata: sed non est eiusdem generis, aut speciei, vt constat in genitis ex putrefactione, neque eiusdem speciei, vt in his, quæ ex semine sunt, cum semen sit in animatum, erit igitur forma separata, quæ formas producit, & in materiam inducit. Alpharabius videtur suisse eiusdem sententiae, quamvis dubitet in his, quæ ab agenti uniuoco sunt, vt obseruavit Averr. 7. lib. metaphys. comment. 31. & lib. 12. comment. 18. Themistius apud eundem Averr. eiusdem fuit sententiae, in his, quæ ex putre matteria sunt. & ideo in his, in sufficientem esse argumentationem Aristotelis contra formas separatas Platonis, quia in putrefactione sunt formæ viuentis: quare a similibus formis viuentibus, quæ sunt illæ separatae, & ideo Platonem asseruisse animam separatam fieri a diis minoribus, qui sunt intelligentiae, sed Aristoteles in putrem materiam induci formas a sole & Zodiaco.

Sed Aristotelis vera sententia, generationem naturalem simplificem tuetur & defendit, posita potestate materiae ad omnem actum & formam substantialem immediatè, quæ potestas, in actum, vi & efficacia agentis præparantis & transmutantis materiam, deducatur: eam autem vim, ad materiam, in animalibus perfectis, semine vt instrumento deferri, in quo insit admirabilis efficiencia ex calore naturali, & spiritu

Contra Aue:  
cenam ostendunt Theolo  
gini nihil crea  
ri posse nisi a  
Deo, & ideo  
illa intellige  
tia nihil po  
test creare, &  
tolleretur re  
runa natura  
lii efficacia  
ad sibi simi  
lia efficienda.

## Liber primus

generantis impresso: quem etiam calorem, virtute solis, putrefactae materiae communicatum, idem efficere in animalis procreatione, quod semen in aliis animalibus perfectis. itaque generatio naturalis est substantialis mutatio, qua actu fit forma in materia, quæ prius potentia inerat, ut composita substantia simpliciter & propriè fieri dicatur, quia per se primo terminatur generatio naturalis, non ad materiam, aut formam per se, sed ad formam in materia, quæ est substantialia composita. de hac vero educatione formæ ex potentia materiæ latius dictum est à nobis primo physico. idem de generatione accidentis.

Ex his constat discrimin sententiae Aristotelis, à sententia veterum physicorum. his enim generatio simplex, vel est congregatio, vel est alteratio, vel rei latentis eductio: Aristoteli est de potentia in actum, qui non erat, mutatione, aliis vero fuit ex nihilo productio: Aristoteli nihil naturaliter fit ex nihilo, sed ex subiecta materiæ potentia. Videntur autem omnes veteres hanc potentia & actus distinctionem, quæ est firmamentum sententiae Aristotelis, attigisse quodam modo, sed non perfectè, neque verè explicauisse. Sic igitur fieri aliquid, actione & passione intelligendum est, ut ex Aristotelis sententia deduximus. Denique ad hanc disputationem accipendum est, quid sit resistere. id vero ex hac distinctione explicatur. resistere in animalibus, est nixus & connatus, qui fit intentione nerborum & mus-

culorum, & ideo pertinet ad agenti categoriam: in rebus autem sensu carentibus, est potentia, aut impotentia ad patiendum, & ideo pertinet ad secundam speciem qualitatis. sic ferrum igni resistit, quia difficulter ab eo patitur, palea non resistit, quia facile patitur. ita quod resistit, non statim admittit agentis contrarij impositionem: quod vero non resistit, admittrit. haec autem resistentia à materia secundum se prouenire non potest, cum sit purissima quedam ad recipientum omnes formas ex aequo facultas: sed à qualitatum temperie, quam unaquaque forma exigit, per quam temperie ex contrariis constantem, forma quasi armat materiam, ut non facile alteri se præbeat feriendam & formandam. itaque quod res patientur habent à materia, quod magis, aut minus resistant, id est difficilior, vel facilior patientur, habent à forma & qualitatum temperatione: ut elementa à materia habent, quod moueantur, quod vero ad superum, vel inferum locum, à gravitate, aut levitate: unde, quia forma his qualitatibus ut instrumentis, ut contrarium in suæ possessionem materiæ non admittat, vritur ea ratione resistere, ut est à forma, actionem contrarij expellente, est agere: ut autem temperatio qualitatum est in materia, ut maneat sub ea forma, est potentia, vel impotentia materiæ in secunda specie qualitatis. ex hac resistentia necesse est debilitari & frangi vim contrarij efficientis, fracta autem illius vi facilior est resistentia.

His

3.  
Resistere quo  
modo sit age  
re & pati?

His positis sit prima conclusio, nihil seipsum mouere, aut in se ipsum agere, secundum idem, aut eadem rationem potest. distinximus mouere & agere in prima & secunda parte conclusionis ex doctrina Aristotelis, qui latius patere vult motum, quam actionem, ut supra explicauimus. Ratio primæ partis proposita est cap. 4. 8. physici, vbi in mouente seipsum, duæ partes distinguntur, vna mouens anima, altera mota corpus: non igitur secundum idem & eandem partem animatum mouet seipsum. Ratio secundæ partis in actione propria, quæ est inter primas qualitates, cum abiectione contrariae qualitatis constat: quia quod sic ageret in seipsum per se, seipsum per se & ex naturæ instituto, ( sic enim conueniunt, quæ per se dicuntur ) alterando corrumperet, quatenus expelleret contrariam qualitatem, qua ad propriam formam materia preparata est: quod tamen constat falsum esse, quia vnumquodque seipsum conseruat, & auget, non tamen seipsum per se interimit, sed ex accidenti, vt cum calor naturalis defectu alimenti animalis corpus extenuat, quatenus per se seipsum fouet & nutrit: sed consumpto subiecto corpore, ipsum etiam calorem interire necesse est, cum sit accidens in subiecto. cum vero auget seipsum animatum, agit forma & calore naturali, sed patitur alimentum, quia convertitur & apponitur, vt possit nutrire & augere, vt cap. 5. ostensum est. Ratio secundæ partis in actione impropria & immanentia, vt sen-

sus & intellectus, ex his colligitur. in sensione & intellectione perficienda primo obiectum efficit, quatenus speciem & similitudinem sui in potentiam immittit: in recipiendo speciem, potentia patitur: sed recepta specie est actuum principium cognitionis obiecti, quam cognitionem, ut immanenter actionem idem subiectum recipit: ex quibus constat, vel aliud esse quod agit, aliud quod patitur, vel non secundum eandem rationem, neque simul. quamvis autem Aristoteles propriè hic disputeret de actione & perpessione, quæ ad mutationem naturæ dicit, & de ea vicissimè dictum sit, nihil in seipsum agere posse per se, quia seipsum per se interimeret, & nihil esset immortale & immobile: non autem valeat eadem ratio in actione immanentia, quanatura non mutatur: sed potius perficitur, vt cum homo ex ignorantia sit sciens, ex non intelligenti intelligens, ex non sentiente sentiens: similitudine tamen quadam, oportet illam sententiam, nihil agere in seipsum, veram esse de actione immanentia, saltem secundum idem, aut eandem rationem, quia efficeretur, idem esse simul, & secundum idem, & eandem rationem, actu & potentia, cum agere sit actus, pati sit potentia: & illa distinctio actus & potentia, cum sit metaphysica entis quatenus ens est, omnium communis est, & in omnibus valere debet.

Secunda conclusio, in omni actione, siue transiunti, siue immanentia, est aliqua dissimilitudo in principio actionis, & in fine similitu-

## Liber primus

do & consensio, sed propriè in actione transeunti. Ratio est, quia actio transiens est inter contraria, quæ de possessione subiecti decertant: quare necesse est principio actionis esse dissimilitudinem, quia contrarietas est: & in fine actionis, quia alterum contrarium vi agentiis interiit, esse similitudinem: quia materia subiecta prius contrario, eo interempto similem formam agenti recipiat, est necesse: cum hic sit agendi finis, reddere quod erat contrarium, simile & idem secundum speciem. in actione vero immanenti, necesse est ipsam potentiam à priuatione, ad habitum & perfectionem deduci: habitus vero siue actus, & priuationis, quædam contrarietas dicitur esse 7. cap. decimi metaphysici: quare cum ea contrarietas sit principio actionis immanentis, & in fine nulla sit, erit sane quædam dissimilitudo in principio, ut est etiam contrarietas, & in fine erit similitudo: cum obiectum, quod principio agere diximus in potentiam, sit eidem dissimile nondum specie impressa: ea vero recepta, sit similitudo quædam, cum species sit naturalis similitudo obiecti. itaque potentia, cum recepit obiecti caloris speciem, quasi calore eodem affecta, similis quodam modo obiecto dici potest. eadem similitudo & dissimilitudo in actione intensi in remissum repetitur, in rebus enim mixtis non dicuntur magis & minus, nisi ex maiori, aut minori participatione qualitatis contrariae, ut minus calidum, in quo plus est frigoris: & quia ratione huius contrarietatis, intensum agit in remissum, erit

necessario principio actionis dissimilitudo, quia contrarietas, & in fine similitudo, quia contrarium abiectum est. Vnde D. Thomas i. 2. quæst. 52. artic. 2. ad 3. id, inquit, quod nondum est album, est in potentia ad formam ipsam, tanquam nōdum habens formam, & ideo agens causat nouam formam in subiecto: sed id quod est minus calidum, aut album, non est in potentia ad formam, cum iam actu formam habeat, sed est in potentia ad perfectū participationis modum, & hoc consequitur per actionem agentis.

Tertia conclusio, omne agens actione propria & transeunti à patienti contra patitur, quod vocant repatri & reagere, vnde repassio & reactio, vel mutuam esse effectionem, & perpassionem: ab eo tamen quod maius est, & superat, dicitur alterum agens, quia minus patitur: alterum dicitur patientis, quia minus agit. explicatur conclusio. primo enim de actione propria intelligitur, quæ sit principis qualitatibus, non de actione immanentib: quia passio est mutua, inter contraria possitiva & realia: in actione vero immanentib: non sunt huiusmodi contraria, sed quodam modo, ut priatio & habitus: priatio vero, cum non sit ens reale, neque agere poterit, neque pati, sed propriè dicitur perfici: quare in actione immanentib: actio mutua & perpassio esse non potest, cum neque actio, neque passio ratione priuationis color etiam agit in visum, à quo non patitur, & idem de aliis obiectis, ut obiecta sunt potentiarum, quare neque huiusmodi repassio in his erit, quæ materia

materia eiusdem rationis non conueniunt, ut cælum nihil ab inferioribus, in quæ agit, patitur: neque sol cùm aerem illuminat: quia cælo nihil est contrarium, à quo lædi & affici possit. secundo intelligitur conclusio de his agentibus, & patientibus, in quibus sit aliqua proportio, ut patiens aliquandiu resistat, licet agens vincat, & superret. nam si alterum maximum esset, maximeq; viribus excellens, alterum autem perpusillum ac tenuissimis viribus, vix hoc dicereatur resistere, aut pati physicè: quandoquidem physica consideratione exiguum nihili instar obtinet, inter ens autem & nihil nulla est proporcio, qua sublata, reciproca actio & passio esse non poterit. voco tertio ad explicationem conclusionis, repati, frangi & debilitari virtutem, & vires agentis, ratione resistentiae patientis. resistere enim, cum sit à contrariis qualitatibus repellentibus contrariarum qualitatum impressionem, est agere aliquid & producere contrarium, alioquin esset actio sine aliquius termini productione, vel resistere non esset agere, neque à forma, quæ est agendi principium: qua actione necesse est agentis vires imminui, propter contrarij admissionem. qua vero ratione, cum omnes primæ qualitates agere possint, quædam sint actiuae, quædam passiuae, lib. 2. commodius explicabitur. vnde, quod res patientur, habent à materia, quæ est commune contrariorum subiectū, quòd magis, aut minus resistant, hoc est minus, aut magis contrarium in se admittant: habent à forma & qualitatum propriè tempe-

riè, quibus qualitatibus, licet vincentur, aliquid tamen in contrarium agunt, vnde sequitur agentis repassio sed non semper eadem motus, aut mutationis specie, vel actionis, ut generans non regeneratur, sed debilitatur, augens cibis non augetur, sed alteratur, quamvis anima cum auget, augeatur, qua ratione explicauit ad caput 5. explicata conclusio probatur primo testimonio Aristotelesi 4. lib. de generat. anim. cap. 3. vbi afferit se explicare, quæ dixerat de ratione agendi & patiendi, nempè, quæ hoc libro docuerat. inquit igitur, omne agens patitur etiam à patienti: ut quod fecat habetur ab eo, quod secatur: quod calefacit refrigeratur, à calecente: denique quodcunque mouet, excepto primo, mutuò mouetur aliquo motu, verbi gratia, quod pellit, pellitur quodā modo: quod primit, reprimitur: interdum etiā ita fit, ut quod agit magis patiatur, quam agat, & refrigeretur, quod calefacit: calefacit quod frigefacit, cum aut nihil fecerit, aut minus, quam ipsum affectum est. dixi de his cum de ratione agendi patientiæ docerem. afferit autem Aristoteles aliquando agens magis pati, quam agat, loquens vulgi more, & de agentibus ex electione & secundum propositum, actiua passiuis accommodantibus, ut cum aquam plerunque volumus caleficere igne, ignis tamen ab aqua magis patitur, & extinguitur, si vincatur à frigore aquæ: simpli- citer enim & propriè quod vincit & superat, cum semper oporteat esse victoriam supra motum, & supra patiens, dicitur agere, cum

Vel dicitur  
agens quam-  
uis inferius,  
quod habet  
qualitatem  
actiua, pa-  
tiens quod  
passiua.

## Liber primus

sit actio à proportione maioris in  
æqualitatis. sunt qui affirment, mu-  
tuam actionem & perpessionem,  
inter æqualia locum non habere,  
quibusdam autem videtur habere:  
quia licet vnum non possit alterum  
vincere, quæ actio ad victoriam,  
prouenit à proportione maioris in  
æqualitatis, mutuò tamen refran-  
guntur & debilitantur, & ita verè  
dicitur inter illos mutua esse actio  
& passio. æqualia autem, per mate-  
riam, patiuntur, performam agunt.  
asserit etiam Arist. cum huiusmodi  
agens vincitur, nihil efficere, non  
quia nihil resistendo producat, sed  
quia non vincit, neq; trahit ad suam  
naturam ipsum patiens, quod est sim-  
pliciter & propriè agere & effice-  
re. prius enim afferuit, & id quod  
calefacit, refrigerari. Secundo pro-  
batur experimētis conclusio. aqua  
enim, extinguis ignitum ferrum,  
aut lignum, calescit: nix, aut gelu,  
in vola manus liquecens eandem  
volam refrigerat. Tertio confirma-  
tur hac ratione, agens naturale vin-  
cit patiens, quod tamen aliquando  
resistit, donec superetur: resistit au-  
tem agendo, vt probatum est, & cū  
omnis actio propria sit inter con-  
traria, & contrarium patienti sit  
agens, necesse est ipsum patiens re-  
agere, & ex consequenti agens re-  
patietur: quia reactionem necessa-  
riò repassio consequetur, cum vna  
ab altera separari non possit: quare  
in agentibus & patientibus, erit mu-  
tuam actio & passio, sed alterum di-  
citur agens simpliciter, & quodam  
modo patiens: alterum simpliciter  
patientis, & quodam modo agens.  
Reliquum est dissoluamus rationes  
dubitandi, quas principio disputa-  
tionis conclusimus.

Ad primam responderetur expri-  
ma conclusione, idem non mouere  
seipsum secundum idem, & eandē  
partem, sed anima mouere, corpo-  
re moueri, in actione etiam imma-  
nenti ostendimus, non secundum  
eandem rationem, aut simul esse  
idem agens & patiens, quamvis cō-  
clusio propriè intelligatur de actio-  
ne transiunti. aqua verò, cum ad fri-  
giditatem seipsum reuocat, exuens  
calorem extrinsecus impressum,  
in se ipsam agit, sed secundum di-  
uersa. aqua enim ex vi propriè for-  
mæ, & insiti frigoris ut instrumenti,  
expellit calorē remoto calefacien-  
ti, à quo foueri poterat. sunt enim  
quædā qualitates altius infixæ sub-  
iecto & plenè dominantes mate-  
riæ, ut elementorum propriè quali-  
tates: aliq; verò sunt leuiter impres-  
sæ: & hac ratione diuersitatis, quæ  
est altius infixæ potest alteram ex-  
pellere, itaq; negamus aquam ami-  
ssissimæ cum calfacta est, pristinum fri-  
gus, cum sine eo & humore nullo  
pacto sit aqua, & ideo insito frigo-  
re externum calorem expellit. con-  
stat autem non oportere hac ratio-  
ne, hanc caloris expulsionem gene-  
ranti tribuere immediate, cum sa-  
tis sit propria forma, cum natuæ  
qualitate. hæc qualitatū distinctio  
est simpl. 7. phys. com. 11. itaq; non  
solum heterogenea seipsa alterat  
secundum diuersas partes, ut cere-  
brum refrigerat cor, & cor calfactit  
cerebrum: sed etiam homogenea  
ad expellendam qualitatem extrin-  
secus, & non altè infixam. Nihil ve-  
rò seipsum alterare secundum idē,  
inquit Arist. alteratione, quæ indu-  
cit naturæ mutationem, non autem  
ea, quæ tuerit & conservat naturā.  
potest verò hanc reductionē aquæ  
calidæ

calidę in suam frigiditatem, extēnum ambiens adiuuare, sed non o-  
mniū immediate efficere. de aqua  
autem potei, aut fontis, quæ aestate  
videtur scip̄am frigidiorē redde-  
re & hieme calidam, quamvis va-  
rię causę assignatur, ab Hipp. libro  
de natura foetus, Lucretio & Gale-  
no, de simpl. medicam. facult. c. 7.  
mihi tamen magis probatur ratio  
Aristotelis 1. lib. meteor. c. de ro-  
re, ex antiperistasi. est enim calor  
quidam in visceribus terræ, qui ob  
densitatem, à frigore in hieme in-  
ductam, minus perspirans, aquam  
calefacit, & ab ambienti frigore  
compulsus ad interiora, amplius ro-  
boratur: aestate autem ab ambienti  
calore, ob naturę affinitatem, euo-  
catur ac diffunditur, & ex conse-  
quenti aqua frigidior, aut calidior  
redditur à calore ambienti, qui vel  
intus compellitur, vel exterius eua-  
poratur, contrariorum enim idem  
potest esse causa, alterius per se, al-  
terius ex accidēti, vt gubernator sa-  
lutis & submersionis nauis, quate-  
nus præsens est, aut absens.

Ad secundum, intelligendū est,  
simile in omnino simile agere non  
posse, posse autem si qua ex parte  
dissimile sit. sunt autem omnino si-  
milia, quæ paria sunt & eadem, for-  
ma gradu formæ, quantitate, & ac-  
cidentibus actionem adiuuantibus.  
sic intensum agit in remissum, qua-  
tenus gradu dissimilia sunt, quia in  
ea dissimilitudine, est alterius con-  
trarij participatio, ad cuius expul-  
sionem agit, donec omnino similia  
euadant. crescente etiam mole &  
quantitate, si cætera paria sint, cres-  
cit facultas agendi, quicquid cōtra  
asserat Philop. 1. lib. meteor. non  
longè à principio densum etiam ve-

hementis agere, quam rarum, expe-  
rimentum ferri cā dentis ostendit,  
cum vehementius adurat, quā aliud  
aequè calidum, sed rarum. Ad obie-  
ctionē de duobus luminibus respō-  
deo, vnum ab altero non intēdi, aut  
pati, sed ex vtroq; fieri perfectius  
illuminans, quod ideo amplius aē-  
rem illustrat, quam vnum tantum.  
vno verò remoto, necesse est lumē  
aēris illuminati imminui, quia lu-  
men aēris pendet ab illuminantis  
präsentia, & maius à maiori illumi-  
nante, minus à minori. an vero sint  
duo lumina ex duobus illuminanti  
bus, numero distincta, vel vnum nu-  
mero tantum, nihil refert ad huius  
obiectionis refutationem, & expli-  
cabitur lib. 2. de anim. c. 7. in dispu-  
tatione de lumine. ad obiectionem  
de phialis mutuo se collidentibus  
respondeo, vel totam phialam in  
alterius partem agere, & ideo vi-  
cissim se frangere, vna parte fracta:  
vel plus roboris habet impetus rei  
solidæ ad frangendum, quam mate-  
riæ ad resistendū, atq; ideo ex aequa  
li impetu, ambæ franguntur. ad il-  
lud denique de medicamentis gra-  
du similibus, quibus morbi vincun-  
tur & superantur, respondeo, ideo  
ab his morbos vinci, quia in morbo  
est qualitas excedens, in qua tamē  
continetur etiam qualitas natura-  
lis & moderata, vt in febri est ca-  
lor naturalis, in igneum accensus. si  
autem hæc accessio caloris extra-  
nei auferatur, remanebit calor na-  
turalis & moderatus, quamvis autē  
gradu similia, propriè agere in se  
vicissim non possint, possunt tamen  
se se vicissim remittere. remissa ve-  
rò qualitate excedenti, quæ mor-  
bum faciebat, remanet naturalis &  
moderata qualitas, & morbus vi-

## Liber primus

Etus est. ut enim morbus vincere-  
tur, non totam auferri qualitatem,  
sed excessum, oportebat. quare pro-  
babile est etiam vinci posse mor-  
bum, si imbecillus remedium ad-  
hibetur, modò sàpius repetatur:  
quia huiusmodi remedium potest  
remittere vim excedentis qualita-  
tis, & ita paulatim vincitur mor-  
bus.

Ad tertiam respondeo, qualita-  
tem, quæ intendi & remitti potest,  
vel secundum differentiam specifi-  
cam & essentialem cōsiderari pos-  
se, vel secundum in hærentia'n &  
participationē subiecti: primo mo-  
do intendi non potest, ut hæc tertia  
ratio dubitandi probat, altero verò  
modo potest, vt statim in quæstio-  
ne altera de intēsione explicabitur.

Ad quartam distinguere opor-  
tet agens, & patiens, aliud enim est  
simpliciter & absolute, aliud quo-  
dam modo & ex parte: agens sim-  
pliciter est, quod vincit patiens, &  
ad suam seducit naturam: quodam  
modo verò, quod non ex victoria,  
sed ex resistencia agere dicitur. pa-  
tiens simpliciter, quod in agentis  
naturam mutatur: quodam modo  
verò, quod ratione resistiæ quo-  
dam modo afficitur. idē igitur esse  
simpliciter agens, & simpliciter pa-  
tiens fieri non potest, quia effice-  
retur, ratione eiusdem, simul es-  
se potentia & actu, esse superius &  
inferius, fortius & debilius: fieri au-  
tem potest, ut quod est simpliciter  
agens, sit quodam modo patiens,  
& simpliciter patiens, sit quodam  
modo agens, quia agenti resistit pa-  
tiens contrarium, quod efficit, ut  
agens simpliciter sit patiens quodam  
modo. cum verò hæc actio simpli-  
citer, sit superioris secundum pro-

portionem maioris materiae quali-  
tatis, de hac intelligitur propriè  
Arist. de actione sententia. cum ve-  
rò agens & patiens viribus omni-  
no æqualia essent, licet alterum nō  
vinceret, mutuò tamen se fangeret  
& remitterent, vt qui æqualibus vi-  
ribus in singulati certamine cōgre-  
diuntur: & ideo vt sunt æqualia viri  
bus, sic vicissim erit æqualis actio  
& passio, & illis corruptis, si in agē-  
do perseverent, aliud tertium gene-  
rabitur.

Sed ex hac respōsione in surgūt  
aliæ difficiliores obiectiones: una,  
de particula, qua agens simpliciter  
repatitur: altera, de medio per  
quod agens simpliciter agit, & quò  
dam modo patitur, vtrumq; enim,  
cum sit vnum & idem, videtur si-  
mul contrariis motibus moueri, &  
contrariis qualitatibus intendi, vt  
conclusum est in confirmationibus  
assumptionis quartæ rationis dubi-  
tandi. quidam, in quibus etiam sunt  
doctissimi quidam recentiores, di-  
stingunt qualitates in reales & spi-  
rituales, illasq; esse sensuum obie-  
cta, has species, quibus illæ à sensi-  
bus percipiuntur, illas contrarias  
simul non posse intendi, neq; simul  
esse intensas ex æquo in eodē subic-  
eto, has autem etiam contrarias si-  
mul esse, vt speciem candoris & ni-  
groris in eodem aere, per quem vi-  
demus, simul etiam esse duas quali-  
tates contrarias, alteram realē,  
alteram spiritualem, vt calorē realē,  
& frigus spirituale. illud autē  
esse proprium primarum qualita-  
tū, vt à spiritualibus possint in reales  
transire, si diutius in eodē subic-  
eto permaneant: esse quidem spi-  
rituales vt aduenas & hospites, nō  
penitus materiae infixas: reales au-  
tem

tē penitus in sedere, & ideo ab illis non denominari subiectum, in quo sunt, vt aet non dicitur candidus, à specie candoris ad visum transmissa, neque unquam posse denominari ab ea specie, quia semper est spiritualis qualitas, non verò realis & physica, quae existit in materia sensibili: sed à spirituali prima qualitate diutius permanente, denominari, quia transit in realem & physicā qualitatem, vt à specie caloris tandem aerem incalescere. primas denique qualitates, à spiritualibus transire in reales, quod aptæ sint in eodem subiecto esse: reliquas non transire, quia non sunt aptæ infigi in eodem subiecto, sed semper sunt in eo vt hospites: sicut species candoris & nigroris sunt in aere spirituales, nunquam reales. vnde, efficiens quod validius est, pati assūt non nihil ab imbecilliori: verum si longè excellat agens, pati potius spiritualiter, id est quasi in superficie & leviter, quam realiter & altè. respondent igitur, in illa parte & medio recipi simul duo contraria calorem & frigus, sed quandiu sunt spirituales qualitates, & vt hospites in aliena materia: cum verò iā euadunt in qualitates reales & physicas, tunc contraria sunt vera, & inter se pugnant, neq; integrain eodem manere queū: sed necessariō, aut unū manet altero interempto, aut ambo remittuntur, si æqualis sit efficientia & resistētia alterutrius. in hac responsione qualitatum distinctione in reales, vel physicas, & spirituales mihi sanè probatur, si spirituales sint species, & naturales obiectorum similitudines, non autem si spirituales sint, quæ dicuntur occultæ de quibus lib. 2. c. 3. q. 1. de-

qualitatibus: spirituales pertinere ad actionem, atq; in reales permittari posse, nulla ratione probari potest: tamen, quia ad tensionem qualitates tantum spirituales necessariae sunt: tum etiam, quia inauditū est in philosophia, quod est unius naturæ & speciei, in alteram transire nisi per mutationem & interitum: hæc autem sententia affirmat, qualitates illas spirituales rādem evadere in reales, vt ex sola permanenta, altius infixæ subiecto, quæ erant spirituales sint & habeantur reales. quare concedo ad obiectiones propositas, eandem partem agētis, qua repatitur, & medijs eādem partem, simul affici cōtrariis qualitatibus, sed altera intensa, altera remissa, quandiu durat mutua actio & persistēt: ne dicamus ullam esse actio nē sine proprij termini productio ne: cum alterum autem vicerit, remissam qualitatē statim interire, quod habeat coniunctum validius contrarium, & à nullo extrinsecus adiuvetur, quemadmodum dura te actione & passione, adiuvatur. ex his constat responsio ad tres priores confirmationes assumptionis quartæ rationis dubitandi. Ad quar tam verò, qua queritur an simile gradu produci possit, si ex repassione agens aliquem gradum admittit, respondetur produci omnino gradu similia ab agētibus, vt ab igne sincerum ignem, licet agendo agens ignis contrā patiatur: quia cum agens ex repassione aliquem gradum amiserit, simul patiens vivit, præparando ad formam inducēdam accommodatis qualitatibus, sed citra summum gradum, quo inducenda forma conseruatur: inducētam verò formā consequitur sum mus

## Liber primus

mus ille gradus, quē forma ad sui conseruationem exigit: atq; ita licet agens ex re passione amittat aliquem gradum, quia tamen amitto præparat patiens, & vincit, retinens semper proportionem maioris in æqualitatis, cùm amissio gradu, corruperit qualitatem contrariaam patiens, & induitam formam cōsequitur gradus formæ proprius, & omnino æqualis agenti, ante amissum gradum ex re passione, sit necessario, ut similia gradu qualitatis producantur. verbi gratia cum lignum ab igne præparatur, licet ipsis repatiendo, gradum unum caloris amiserit, tamen expulit frigus & humorem contrarium, qualitatibus ignis, quae est præparatio calore & siccitate nō attingētibus summum gradum, quia hic tantum est cum forma ignis, sed hac inducta in materiam ignis, cōsequitur summus caloris & siccitatis gradus, quem exigit forma ignis: & idcirco genitus ignis, generanti igni, est omnino gradibus qualitatum similis etiam ante amissum gradum ex re passione. Sed quia afferit Aristot. c.8. indiuiduum pati non posse, & c.9. agens & patiens sese contingere, & continuata esse non posse, dubitationes quædam de his duobus dissoluendæ sunt. quamuis enim indiuiduum pati non posse constet, quia passio est cum motu, id autem tantum mouetur, quod diuiduū est ex 6. physico: mens tamen indiuidua pati dicitur, & superficies, latitudine indiuidua, coloratur, & in puncto, si ab eo, ut centro radij solidis à cauo speculo reflectantur, sit corporis incensio, ut centrum videatur incensionem sustinere, quod est pati, atq; id optici docent & edem o-

strant. definiri præterea solet corpus dissimiliter calidum, cuius nullum punctum est æqualis caloris cum alio. sed hæc facile dissolues. passio enim mentis metaphorica est & translata, quasi receptio, ut constabit lib.2. de anim. c.5. indiuiduum autem per se non patitur, sed rei diuiduæ coniunctum, & huius per se primo passione, patitur ut est illius. ita punctum & superficies colorantur, calificant & refrigerantur: accenditur etiam corpus ex radiis reflexis, non in verè indiuiduo puncto, sed in magnitudine quadā exigua, quæ ideo punctum dicitur. quo etiam modo intelligitur definitio corporis dissimiliter calidi, cuius nullum punctum, id est pars sub sensu cadens, est æqualis caloris cū alia, secus si intelligatur, non physica erit, sed sophistica definitio. Hæc de primò. An verò agēs patiēti cōtinuatum esse possit, quod erat secundum. sic disputant, magna aquæ molles, cum calefit, prius calorem accipit im proximis igni partibus, dein de in remotis, ergo proximæ agunt in remotas, licet continuatæ sint. Item aqua calfacta, remoto calefacienti, se ipsam in pristinum frigus reuocat. Respōdeo ex distinctione. continuum enim & mathematicè, & physicè accipitur, primo modo dicuntur cōtinua, quæ termino cōmuni copulātur: secundo modo, quæ forma & qualitate conueniunt. quare primo modo calida pars aquæ, frigidæ continuatur, non autem altero modo. deniq; aqua calfacta nō recuperat pristinum frigus, quia illud non amiserat, cum retineat qualitates proprias frigus & humorē, aut aqua non erit: calor autem ille externus, & leviter aquæ inhærens corrum-

corruptitur, quia non habet subiectum bene affectum & preparatum ad sustinendum calorem: quo vetere agente calor corruptatur, supra in hac questione explicavi.

*Questio de intensione formarum, an fiat additione gradus, vel subiecti participatione?*

**Q**uoniam Arist. asseruit cap. 8. contra Democratum, calidius agere in minus calidum, ratione qualitatis contrariae, cuius maior, aut minor participatio in mixtis constituit intensum, aut remissum, & idcirco calidius in minus calidum, quatenus participat frigus: actio autem semper est inter contraria & dissimilia, ut evadant similia, non erit huius loci aliena de modo, quo sit intensio, disputatio. in qua, cum sint dissidentes & repugnantes sententiae, nullae rationes dubitandi principio concludentur, sed cuique sententiae positis principiis communibus & firmissimis, propria argumenta accommodabimus, ut apertior sit disputatio. sunt autem tres questiones via & ratione differendae, an sit intensio, quibus formis competit, quomodo fiat. Primum igitur accipiamus, intensione omnibus dici motum quandam ab esse imperfecto ad esse perfectum alicuius formae, remissionem contra omnibus enim constat, caloris perfectius esse haberi in calidiori, quam in minus calido, quacumque ex causa & modo illud proueniat: hoc enim postrius examinabitur, & est in controversia positum, hoc autem primū,

omnibus probatum est. Secundo accipiamus originem & radicem intensione esse indifferentiam & indeterminationem formae intra suam latitudinem ad diuersa esse, alterum imperfectum, alterum perfectum, est autem formae accidentariæ triplex indeterminatio: prima ad inherendum diuersis substantiis, quæ constituit accidens communem: sicuti opposita determinatio, accidens proprium. altera indeterminatio est ad inesse, vel abesse: & ea constituit accidens separabile: ut apposita determinatio accidens inseparabile. Tertia indeterminatio est ad imperfectum & perfectum inesse: & hanc indeterminationem asserimus primam causam, & originem esse intensione, & remissionis. ex hac enim formae natura, qua est indeterminata ad imperfectum, vel perfectum esse, prouenit intensio, cum sit motus ab imperfecto ad perfectum in esse. vnde etiam necessario efficitur in huiusmodi formis, quæ intenduntur, esse latitudinem quādam, quę duo extrema continent, alterum minimum, alterum maximum intensione: & quod inter haec extrema est interiectum, est via & progressio intensione, quæ illis extremis, quibus naturalia deficiuntur, clauditur necessario: cum nihil in natura, nec citra minimum, nec ultra maximum consistere possit. quare recte huiusmodi latitudo dicitur scholasticis intensiva, quia per eam fit intensio, & perfectionis, quia sit progressio ab esse imperfecto ad esse perfectum eiusdem formae in eodem subiecto: est autem latitudinis nomen translatum à quantitate, ad qualitatem, propriè enim latitudo dicitur dimensio superficie,

## Liber primus

ciei secūdum lineas extremas, quibus continetur, impropriè & translatè, in qualitatibus progressionem ad esse perfectū: vt quæ magis ad hoc esse accedit, intensa dicatur, que re cedit, remissa. sed animaduertendū est, in quibusdam qualitatibus, quæ intenduntur, non tantum reperiri hanc similitudinem quantitatis cōtinuæ, vt superficie, sed etiam discretæ, vt numeri. habitus enim & dispositiones, vt scientia & sanitas, & dicuntur intēdi quatenus ad plura, vel pauciora se extendunt, verbi gratia, ad plures actiones & valentiores corporis, sanitas: ad plures conclusiones, scientia: & præterea intenduntur progrediendo ab esse imperfecto, ad esse perfectū. vt cū quis expeditius exercet eandem actionem, vt deambulationem, vel cum evidentius & firmius, alicui conclusioni assentitur, dicitur esse sanitas & scientia intensior. priori modo, est similitudo cum quantitate discreta, quia sit intensio ad plura, vel pauciora numero: posteriori modo, cum latitudine superficiei, vt prius explicauit. sic colligitur ex D. Thom. 1.2.q.5 2.art.1. & 2. His positis ad explicationē primæ questionis, sit prima conclusio. In quibusdam formis revera est intēsio, argumentum ex illa generali intentione notione aperte colligitur hoc modo. in quibusdam formis, interdum experimur esse imperfectum, interdum progressionem & motum ad esse perfectum, vt cum ex calido fit calidius, ex candido candidius: ergo in quibusdam formis est intensio. hoc est enim intendi, moueri ab esse imperfecto ad esse perfectum. vnde Arist. in categoria qualitatis, inquit qualitatem

suscipere magis & minus, quia aliud est album, aliud magis albū, aliud est iustum, aliud magis iustū. Hæc conclusio & ratio omnibus probari debet, etiam si de modo intēsionis dissentiant: vt omnes fateātur, hanc ab esse imperfecto ad perfectum eiusdem formæ in eodem subiecto progressionem, intensiōnem esse.

Ad explicationem secundę questionis, sit secunda conclusio: neque essentia rei, neque differentia constitutiva speciei, neque forma substantialis, neque quantitas, neque figura consequens quantitatem, intendi potest & remitti, sed qualitates tantum intenduntur, in quibus propriè est actio & passio. singulæ partes conclusionis propriis rationibus concludendæ sunt, primum quidem de essentia formæ, à qua est species, & integra illius essentia. illud enim à quo est species, oportet esse stans, fixum & individuum, quia secundum accessum ad illud, vel recessum, quædam eiusdem speciei, quædam diuersæ esse dicuntur: sed ex essentia formæ, est species, quia illa essentiæ definitionem complet: essentia igitur variari nō potest, & ex consequenti nec intendi, nec remitti, cum per intensionem sit esse ipsius essentiæ tantum, variatio, nō autem ipsius essentiæ. hinc Aristot. 8. metaph. text. 10. species inquit sunt sicut numeri, quibus nempè nihil addi, aut detrahi potest, quin varietur species. Intelligo autem, formæ essentiam variari non posse, nec remitti, aut intendi, si secundum eā per se sumatur species, quales formæ sunt, quæ non dicunt ordinē ad aliud externum (hīc enim non agitur de ordine, qui sit relatio, sed qui entis

entis alicuius est internus ex sua natura.) sunt autem quædā formæ, quæ non includunt huiusmodi ordinem, ut calor, albedo: aliæ verò sunt, quæ ex huiusmodi ordine suam differētiam vendicant, ut motus, potentiæ, habitus, ex termino, & obiectis. in quibus, licet illud, externum sit indiuisibile, & ideo neq; intendi, neq; remitti possit, tamen in accessu & recessu ad illud, intēsio & remissio potest esse. sic motus calefactionis est altero intensior, manente tamen immutata eadem specie motus. huius verò ratio est, quia per illū accessum, in forma motus est ab imperfecto esse, ad perfectum progressio: in qua est ratio intensionis posita. itaq; licet omnis res habeat suam differentiam essentialem speciei constitutiā, propriam & indiuisibilem. tamen id quod est proprium & internum in quibusdam, determinatur per aliquod externū, ut motus per terminum. illud vero externum, ex se quidem, ut est specie determinatiū, est aliquod indiuisibile, sed habet accessus ad illud, vel recessus latitudinem, & ex consequenti intensionem & remissionem.

Altera pars conclusionis secundæ, formam substantialem non intendi, aut remitti, sic confirmari potest: forma substantialis immediatè coniuncta materiæ tribuit esse simpliciter, sine aliqua contrarij resistentia, quin antecedat præparatio & dispositio materiæ, donec immediate forma materiæ coniungatur, ut explicatum est in disputacione capituli quarti: ergo forma substantialis non potest intendi, in tribuendo esse simpliciter, nec remitti: cum enim in illa materiæ coniū-

ctione, non impediatur, tribuit totum esse, quod potest, & ideo neque esse quod tribuit intendi, neque remitti potest. Itaque, vel tribuit totum esse simpliciter, quod potest, cum materiam informat, vel nullum, quia non est medium, vel latitudo aliqua, non erit igitur aliqua intensio, aut remissio, quam ex principiis positis constat, sine hac latitudine esse nō posse. eadem via probatur de quantitate, & de figura, quæ est quantitatis terminus. quantitas enim immediatè consequitur formam substantialem in materia, & sine vlla resistentia simul cū forma substantiali recipitur, quamvis hæc sit prior natura. Vnde duobus modis fit, vt forma non participetur magis, aut minus, quod est intendi, aut remitti: primo si habeat ex se ipsa speciem, & non respiciat ali quod externum, secundo si indiuisibilitas sit de ratione formæ, & ita debet participari indiuisibiliter, quod est sine latitudine, & ex consequenti, sine intensione, aut remissione: ratione primi forma substantialis non intenditur, quia totum esse simpliciter, cum primum informat, tribuit, & ideo non potest esse aliqua, vel ad perfectius esse, vel ad imperfectius, progressio, quod est neque intendi, neque remitti. Ratione secundi, numerus & continua, quæ secundum numerum sumuntur, ut bicubitum, tricubitum, non possunt intendi, aut remitti, neque etiam relatio, aut figura. sic Aristoteles cap. de qualitate in categor. asseruit omnes circulos æqualiter participare rationem circuli, & ideo non recipere magis, aut minus. Reliquum est ad probandum, illas qualitates intendi

## Liber primus

intendi & remitti in quibus est actio & passio, quod hac ratione concluditur: huiusmodi qualitates secundum subiecti præparationem, & dispositionem recipiuntur in subiecto, sive ea præparatio sit à natura, vel à consuetudine: ergo qualitates ipsæ recipiunt magis, aut minus. Ratio consecutionis est, quia maiorem præparationem, quæ sit expulsa maiori repugnantia, & contrarietate subiecti, sequitur perfectius esse qualitatis in subiecto, quod est intendi: & minorem præparationem, imperfectius esse, quod est remitti. dixi autem præparationem esse à natura, propter sanitatem, & alias qualitates, quarum subiecta sunt secundum naturalem compositionem magis, aut minus apta, ad excipiendas qualitates. dixi à consuetudine, propter habitus & virtutes, quarum intensio & augmentum habet suam dispositiōnem ex consuetudine & exercitatione similium actuum, de quibus omnibus. D. Thom. 1. 2. quæst. 52. art. 2. ex his constat, esse specificum non intendi, quia hoc immediate à forma deriuatur, formam autem non intendi, supra ostensum est. quomodo autem esse individualē intendatur, in tertia, quæ sequitur quæstione, explicabitur.

Est autem tertia quæstio, quomodo fiat intensio, de hoc enim fuerunt plures & diuersæ sententiæ veterum, quas recenset Simplic. ad categoriam qualitatis, & ex eo D. Thom. 1. 2. quæst. 52. artic. 1. & 2. sed recentiorum duæ tantum, una probatur Scoto, altera D. Thomæ, & eorum sectatoribus. Scotus igitur & Andreas discipulus. 8. meta-

phys. quæst. 6. cum intelligerent formum esse illud principium, in his tantum formis esse intensionem, in quibus esset latitudo, inter imperfetum, & perfectum esse, formam distinguunt, ut specificam, nō intendi, vt individualē quidem intendi: & hactenus cum D. Tho. conueniunt. addunt tamen, huius individualē formæ intensionem fieri, additione partis ad partem, vel gradus ad gradū, vt illi loquuntur. Sed eam sententiam, qui sunt eius scholæ sectatores non eodem modo intelligunt. quidam enim censuit, in intensione qualitatem addi, & apponi qualitatī præexistenti, vt in accretione quantitati: & ita prodire quandam formam intensam & perfectam. alij formam additam intelligunt, non huiusmodi, quæ per se posset subiectum informare, aut sine altera, cui additur intelligi, sed quæ sit cum altera ad efficiendam intensionem: vt in calefactione quasi concalor, qui sine præexistenti calore, neque possit esse, neque intelligi, vt additum sine eo cui additur, nequit esse, aut intelligi. quare omnes, qui sunt in hac sententia, in eo consentiunt, quod intensionem efficiunt, addendo formam formæ præexistenti. corum firmiora argumenta duo sunt. Primum, quia motus realis terminatur ad aliquod reale, à quo denominatur & specificatur: sed intensionis terminus est forma, quæ intenditur: ergo est aliquid reale, quod præexistenti formæ additum facit intensionem. aut enim terminus intensionis est præexistens forma, vel alia quæ additur: non præexistens, cum idem bis naturaliter produci non possit: est igitur alia forma addita præexistenti, alioquin

alioquin agens nihil ageret, & motu nihil produceretur, vel mobile moueretur ad id, quod habet, & ideo frustra. Alterum argumentum est, quia forma eadē numero prius revera non erat intensa, postea per motum verè intenditur: ergo aliquo reali, addito præ existenti formæ. Altera sententia est D. Thomæ, quæ non formæ additione, sed præ existentis maiori subiecti participatione, quam vocant radicationem & actuationem, afferit fieri intensionem, quæ nobis magis probatur: explicabitur autem accommodatè ex his principiis. Primum, forma substantialis & accidentaria partim conueniunt, partim differunt: conueniunt, quia utraque suo modo est actus, & determinatio subiecti, & ideo constituit subiectū in actu. Sed differunt primo, quia substantialis subiectum constituit in actu simpliciter, & hoc subiectum tantum estens in potentia ex se, quia materia prima: forma autem accidentaria non constituit esse simpliciter, sed quodam modo & tale, hoc est subiectum, quod est ens simpliciter, quodam modo se habere vel affici. Sic ex forma rationali, dicitur homo simpliciter, sed ex calore, nō simpliciter homo, sed homo calidus. Secundo differunt, potest enim forma substantialis terminus esse generationis, & materiae: cum materia sit propter formam, ut explicatur 1. lib. de partib. anim. cap. 1. forma autem accidentaria huiusmodi terminus esse non potest, sed ipsa potius est propter subiecti usum & utilitatem, cū ad hanc necesse sit, omnia subiecti accidentia accommodari, ut forma conuenienter suis actionibus

& propensionibus materiam informet. Alterum principium est, in omniforma consideratur ipsa essentia, & ipsum esse vel existere per tantam formam, simpliciter quidem, si sit substantialis: quodammodo autem, si accidentaria. Sed hoc ipsum esse formæ accidentariae, vel consideratur ut specificum, vel ut individuale, & subiecto inexistens, ut esse calidum, vel quia constituit in specie calidorum, vel quia constituit subiectum, in quo est calidum, perfectum, vel imperfectum. Afferimus igitur, fieri intensionem qualitatis actiuae, aut passiuae, ex maiori participatione subiecti, non in esse specifico, sed in esse individuali, quatenus plenius à subiecto participatur, & perfectius inherendo, magis materiae dominatur. Tertiū sit, forma quæ intenditur, vel sumitur secundum differentiam specificam, vel secundum inesse subiecto, hoc est, vel quatenus est in specie determinata, vel quatenus est actus subiectum informans: alij dicunt, secundum gradus specificos & essentiales, vel secundū modales. Vt rūque autem est de essentia huius formæ, quia differentia quæ constituit speciem & naturam, est pars essentiae, & hæc desumitur ab eo, quod inest subiecto secundum aptitudinem essentialiter, quia accidentis esse est inesse, & ideo qui afferunt, ipsum in esse huius accidentis intendi, & non essentiam propriam, inquit D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 4. vocē ignorant, sed censet ipse, non intendi, ut est in specie, sed ut inest subiecto. Vnde nō repugnat sibi D. Tho, afferens, essentiam formæ intendi, ut 1. p. q. 42. art. 1. ad 1. & art. citato, ex 2. 2. ad 3. & q. vnicā de virtuti

## Liber primus

bus in communi art. 11. & rursus asserens non intendi. 1. 2. quæst. 52. artic. 1. & 2. illud enim vere dicitur, quatenus est in specie, hoc vero quatenus subiecto inest, quod est magis participare, & magis actuale subiectum. Atq; ita accipio sententiam D. Thomæ, consentientem Caietani ead. quæst. 52. ar. 1. & aliorum sectatorum D. Thom. quia forma intensa tribuit esse perfectius, id vero prouenit ex maiori victoria supra subiectum, quæ requirit maiorem virtutem, haec vero est à perfectiori essentia: quare si virtus intenditur, & ipsa essentia, vt inest subiecto, intenditur. Præterea si esse est intimum essentiae effectum, & illud intenditur, hanc quoque intendi est necesse, vt effectum cause proportione respondeat, his positis sit nostra opinio, hac conclusione, secundum D. Thomam, comprehensa: forma, additione partis aut gradus intendi non potest, sed tantum participatione & actuatione subiecti: prima pars huius conclusionis contra Scotum sic ostenditur, vel illa additio formæ, secundum quam fit intensio, est ipsius formæ specificæ, quæ dicitur intendi, vel ipsius subiecti, quatenus aliqua illius pars incipit habere formam, quam prius non habuit, vt qui frigebat vna parte, dicatur intensius frigere, quia pluribus partibus frigeat, vel quia pars parti addatur, vt calidum calido, vt cum fit maior ignis, vel album albo: sed nullo modo ex his intensio esse potest: non fit igitur additione partis intensio, assumptio confirmatur refutatis singulatim omnibus illis modis. Primum quidem, essentiae pars alteri parti eiusdem formæ addi-

non potest, quin species varietur: vt in numeris inquit Aristot. nec esset simplex ratio essentiae, si huius modi additionem recipere posset: in intensione autem oportet manere eandem, non solum specie, sed etiam numero formam: quare fieri non potest additione partis aut gradus, quia variaretur essentia, & ex consequenti species. Reliquis autem duobus modis, apertū est fieri non posse intensionem, quia neutro modo dicetur aliquid magis, vt intensione magis calidum, sed maius calidum: cùm accrescente quantitate per appositionem, fiat illis modis aliquid maius, sed non magis. Sunt quidem aliqua quæ additione alicuius dicuntur intendi, sed impropriè, vt latio ratione temporis, in quo fit, vel spacijs, per quod, dividitur maior, & intensior, & sciētia quæ plures conclusiones demonstratas comprähendit: sed hec propriè nō est intensio, cuius modum inquirimus, sed eiusdem numero formæ in eodem numero subiecto, vel circa idem numero obiectum, vt eandem conclusionē unus altero apertius & exactius percipit, & ideo intensius. oportet enim illud principiū, quod in hac q. primum posuimus, firmū omnino manere, eandem formam ideo intendi, quia eadē numero manens, ab imperfecto esse, ad perfectū esse progressa est: hoc autē tollit, qui additione alicuius externi formam intendit, & non secundum illam progressionem: hoc autē accurate considerandum est ei, qui verā rationem intensionis tueri velit. Altera pars conclusionis, quæ est D. Thom. sententia sic ostenditur primo, secundum id fieri necesse est intensionē, ad quod subiectum est

in po-

in potentia: sed subiectū respectu formæ accidentariæ, quā habet, tantū est in potentia ad maiorem actuationem eiusdem formæ in subiecto, ut plenius illi dominetur: ergo intensio tantum sit secundum huiusmodi actuationem, quam radicationē volunt. maior probatur, quia cū respectu eius, quo subiectū est in actu, non possit intensio esse, quia hæc est motus alterationis, & motus est actus eius, quod est in potentia, quatenus in potentia est, necesse est intensio esse respectu eius, ad quod subiectū est in potentia. minor etiā probatur, quia ad formam illā actu inhærentem subiecto non potest subiectū esse in potentia, cum actu ab ea informetur, nec ad ipsum esse specificum, cū hoc immediatè formam inhærentem consequatur, alioquin haberet aliquid calorem, & non esset calidū reliquū est igitur, ut tantum sit in potentia subiectū huiusmodi ad perfectius inesse: quia potest perfectius & amplius disponi expulsione contrarij, & ex consequenti, perfectius inesse, ut calidum expulsis contrariis frigoris affectionibus, calidius sit: sit igitur intensio secundum perfectius inesse eidem subiecto, quod est secundum maiorem subiecti actuationem, & radicationem. Secundo confir. eadem p. conclusionis, quia explosis aliis modis intensiois veterū physicorū, quos diximus à Simplicio & D. Thom. explosos fuisse, reliqui sunt duo probabiles, unus additione gradus, alter actuatione subiecti perfectiori: sed ostensum est in ratione, i. p. intensioem additione non fieri: conficitur ergo fieri maiori subiecti actuatione, & radicatione. Tertio, si intensio, ut po-

situm est, nihil aliud est quam progressio eiusdem numero formæ, ab esse imperfecto, ad esse perfectū: & hoc esse non potest esse specificum & essentiale, ut ostensum est, erit necessario individualē: cum hæc duo tantum sint, id vero esse individualē, nihil est aliud quā inesse perfectius, ac magis à subiecto participari: hoc igitur modo sit intensio. Itaque secundum hanc sententiam intensio sit hoc modo. primum in subiectum preparatū inducit qualitas, quæ amplius & perfectius subiectū disponens, vel viribus propriis, vel adiuuante aliquo externo agente, plenius ac magis actuat idē subiectum, & ideo intenditur. sic docent sectatores D. Thom. fieri, per omnes formarum, quæ intenduntur species, ut toto tempore intensiois una numero forma permaneat, sed ab imperfecto esse, ad esse perfectum progrediens: alioquin non esset intensio, sed nouæ formæ productio, & idem numero suppositum haberet plura numero esse, secundum diuersas formas eiusdem speciei, vel subiectum seipsum intendendo, corrumperet, quia ab ii. ceret formam priorē, ut iidem autores concludunt. An verò hæc intensio sit continuus motus, explicatū est à nobis lib. 6. physic. in disputatione ad c. 4. Vnde ex his definiri potest intensio, præexistentis qualitatis progressiva alteratio, ab inesse imperfecto ad inesse perfectū. Sic enim accommodatè ab omni mutatione & motu distinguetur. a mutatione quidē, quia hæc est ad substantiam, intensio ad qualitatis perfectiorē participationē. præterea mutationis immediatum subiectū est materia prima, intensiois sub-

Soncl. 8. lib. 2.  
metap. q. 22.

Eod. lib. 6. q. 22.

## Liber primus

stantia composita, quia intensio est accidentis, cuius subiectum immediatum est substantia composita: ut disputauimus ad cap. 4. huius libri: eadem ratione termini ad quem, licet non subiecti, ab aliis motibus distinguitur: quia accretionis terminus est quantitas, lationis ubi, quamvis omnium horum motuum subiectum sit substantia composita, sed viuens accretionis, & progressionis: alterationis & aliarum lationum non viuens, & in animata, differt etiam intensio à rarefactione, quia in hac partes mutant situm, in intensione forma manens in eodem situ, perfectius inhæret, & participatur à subiecto. Superest dissoluere duo argumenta Scoti, utriusque enim eadem est solutio apud D. Thom. 1. 2. quæst. 52. art. 2. 3. ex distinctione: duobus modis potest esse ad qualitatem alteratio, quia subiectum duobus modis est in potentia ad qualitatem, & motus est actus entis in potentia, primo modo ad qualitatem quam nondum habet, immo vero contrariam cum habeat, ad oppositā mouetur: altero modo, ad perfectum inesse eiusdem qualitatis, & utriusque alterationis, ut constat, terminus est realis, sed prioris, qualitatis forma, quæ alteratione producitur, posterioris vero, præexistentis qualitatis perfectius inesse, quod nondum habet, sed intensione acquirit. Atque idcirco, utriusque alterationis proprius terminus eadē alteratione fit, & per ipsam, quam primo terminat, habet esse: verbi gratia, quod nondum est album, sed nigro vel medio calore affectū, est in potentia ad albedinem, tanquam nondum eam habens, & ideo agēs

producit nouam formam in subiecto: quod vero album est, non est in potentia ad albedinem, cum eam actu habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modū: & hoc consequitur per actionē agētis, cum intenditur. Vnde si exacte & propriè loquendum est, non dicimus albedinem in abstracto augeri & intendi, neque albedinem esse magis aut minus, quia significaretur in essentia intensio, cum abstractum nomen denotet accidentis ad modum substantiæ & essentiæ: propriè tamen dicimus album intendi, quia sic includitur subiectū, cuius maior participatio facit intensionem. Hos modos perfectioris participationis gradus aliquando vocat sectatores D. Thomæ, ut quo perfectius forma per intensionem participatur, eo perfectius insit, & plures gradus habere dicatur. Sed qui Scotum sequuntur, gradus vocant partes eiusdem formæ essentiales, quibus additis fieri existimat intensionem, quod supra refutauimus. Hactenus de intensione physica formarum.

## C A P. X.

**S**uperest, ut de missione eadem via & ratione differamus: hoc enim tertium est, de his quæ initio proposuimus. Considerandum autem est, quid sit mistio, quid miscibile, & quibus conueniat, & quomodo. Præterea sit ne mistio,

mistio, an falsò esse dicatur, quidam namque fieri posse negant, ut diuersum aliquid cum diuerso misceatur. Nam si ad huc sint, quæ mista fuerūt & inalterata, nihilo magis nunc mista esse inquiunt, quā prius essent, sed eodem modo se habere: alterutro autem corrupto, non fuisse mista, sed hoc esse, illud non esse: mistionem autem his conuenire, quæ eodem modo se habeant. Similiter autē si ambo bus coniunctis, vtrumque eorum, quæ miscentur, corrū patitur: neque enim mista sunt, quæ omnino non sunt.

**Text. 83.** Quæstio igitur hæc, illud postulare videtur, ut constitua-  
mus, quid mistio à generatio-  
ne & interitu differat: & quid  
illud, quod misceri potest, ab  
eo quod potest generari &  
interire: constat enim ne-  
cessariò differre, siquidem  
sunt. Quare cum hæc perspi-  
cua erunt, quæ dubitationem iniiciebant, facile dissoluendu-  
tur: minimè igitur materiam  
igni mistam esse dicimus, ne-  
que dum comburitur, neque  
ipsammet suis particulis, ne-  
que igni, sed ipsum ignem ge-  
nerari, illam interire, sicut ne-  
que corpori alimentum, ne-  
que figuram cære mistam, fi-  
gurare molem, neque album

corpori, neque omnino affe-  
ctiones & habitus rebus mis-  
ceri, salua enim videntur: sed  
neque album & scientia mis-  
ceri possunt, neq; aliud quic-  
quam ex his, quæ separari ne-  
queunt. Hoc verò non rectè  
dicunt illi, qui omnia inter-  
dum simul esse aiunt, & mi-  
sta esse.

Non enim quodcumque  
cuicunque misceri potest, sed  
vtrumque eorum, quæ mista  
sunt, seorsum cōstiterit oportet.  
affectionum autem nulla,  
seorsum esse potest.

Sed quoniā ex entibus que-  
dam sunt potentia, quædam  
actu, fit ut quæ mista sunt, par-  
tim sint, partim non sint.  
Nam quod ex his factum est,  
actu diuersum existit, poten-  
tia autem aliquid vtriusque  
illorum, quæ erant ante quam  
essent mista, & non deleta:  
huc enim allata superiore ser-  
mone dubitatio, spectabat.  
Quæ verò miscentur, ea ex dis-  
tinctis coniungi videntur, &  
apta esse quæ rursus separen-  
tur: non manēt igitur actu, ut  
corpus & album, neque inte-  
rit alterum, neque vtrūque:  
manet enim salua potentia  
illorum. quare hæc  
quidem dimit-  
tantur.

I 3 Capi-

## Liber primus

### T Capitis decimi explicatio.

**D**E tribus necessariis ad explicandam generationem elementorum, quæ cap. 6. proposita sunt, explicatis duobus, nempè tactu, actione & passione, superest tertium mistio. & hæc est ratio ordinis principio capitinis proposita, quam sequitur methodus differendi: & pro primo eorum, quæ differenda sunt, methodus inquit eadem erit, quæ fuit in præcedentibus: methodus est Peripateticorum propria ut disputatio ne in utramque partem proposita, eadem quæstiones differantur, quæ de aliis rebus scientifice differunt, an sit mistio, quid sit, quibus & quomodo cōueniat, explicatis omnium causis, ut intelligatur forma & essentia mistionis, subiectum & modus. Proponit autem differenda hæc, quæ diximus, sed alio ordine singula persequitur, quam sint proposita, quod est in Aristotele frequentissimum: hæc omnia ad argumentum capitinis pertinēt. Eius partes ex numero principalium quæstionum tres distingui possunt, an sit mistio in prima, quæ nam misceant & quomodo in secunda, quid sit mistio in tertia. Primi partis, quæ compræhendit text. 84. à principio capitisi, hæc est ratio dubitandi, si aliqua miscentur, (quæ saltem duo aut plura esse oportet, cum idem sibi ipsi non misceatur:) aut cum mista sunt, manent eadem & non alterata, sicuti ante mistionem: vel cum miscentur, utrumque aut alterum tantum corruptitur: sed neutrum istorum verè affirari potest: non igitur mistio est, neq;

Mistio hæc  
est tempera-  
mentum, vel  
temperatio:  
alias etiam  
permanentium  
compositio,  
mistio im-  
propriæ dici-  
tur.

aliqua misceri possunt. Propositio imperfecta diuisione cōstat, assumptio nis singulæ partes ostenduntur: primum enim, quæ miscentur eadē & inalterata permanere non possunt, quia miscitio, sine aliqua miscibiliū mutatione, ne intelligere quidem possumus: quæ vero mutantur, aliter se habere nunc quā prius sèpè dictum est 6. physico. quare si mista eodem omnino modo se habent, atq; ante mistionē, mistio eorum esse non potest. Alterā assumptionis partem, alterū scilicet miscibile non corrupti ideo concludit, cum id, quod nō est, neq; mistū esse possit: & ex communi intelligentia constat, miscibiliū alterū ab altero aliquid accipere, & aliquid illi conferre, quod retineri nō potest, si alterum corruptatur. Deinde ens & non ens quomodo misceri possint, ne intelligi quidē potest. Tertia pars assumptionis, utrumque miscibile corrupti, facile ostendit, cum ea, quæ non sunt, neque mista esse possint: in hac verò argum entatione inalterata dicuntur, quæ omnino ullo modo mutata nō sint: quasi dicat nullā subierint mutationem, aut motum, neque alterationem quidem.

Deinde, eadem ratio dubitandi dissoluitur, duobus explicatis, primum discrimine mistionis à generatione & interitu. præterea, modo explicato quo miscibilia sint in misto. Illud autem discriminē, ut aperi tius sit, proponit in miscilibus, quia concreta notiora sunt, ut si constiterit hæc differre ab his, quæ generari & interire possunt, constet etiam à generatione & interitu mistionem differre. Sententia discriminis est in generatione unum in alterum

alterum mutatur, & ideo genera-  
tio vnius est alterius interitus, vt c.  
4. explicatum est, sicut etiam in ac-  
cretione alimentum conuertitur in  
naturam eius, quod accrescit, supra  
cap. 5. in mistione nullius est muta-  
tio, sed potius miscibilium confu-  
sio, vt cum ignis ex lignis accendi-  
tur, neque ligna inter se, neque igni  
miscentur, sed ligna in ignem con-  
uertuntur: quare constat, mistione  
non esse generationem aut interi-  
tum, cum nullius sit mutatio, atque  
ea quae miscentur, in columia ma-  
nere: quae verò non manent, ad mi-  
stionem inepta sunt. Sed neq; om-  
nino in columia manere oportet,  
quia mutuò attemperantur: nō  
enim verè diceretur, figuram ini-  
pressam certæ, eidē permisceri, sed  
eā informare: & vniuersaliter, nulla  
affectione aut habitus, idest accidens  
corporis aut animæ, (affectione enim  
dici potest forma & figura ex Ale-  
xand. 9. metaphysic. cap. 5,) suo sub-  
iecto verè dicitur misceri, neque  
accidentia inter se, vt album & sci-  
cia: tum quia miscibilia oportet  
per se ante mistionem consistere  
posse: tum etiam oportet cum mis-  
centur, non omnino in columia &  
inuiolata remanere, sed refracta &  
attemperata, vt cum vinū aquæ mis-  
cetur: accidens autem sine subie-  
cto constare non potest, & in subie-  
cto incolume manet & omnino  
saluum, & plura accidentia eiusdem  
subiecti inter se similiter manent,  
vt candor & scientia. Ex his omni-  
bus dedit Aristot. hoc consecre-  
rium: non rectè Anaxagoras asse-  
ruit, omnia misceri: vt dictum est  
4. cap. 1. Physici, quia ostensum est  
neque subiectis qualitates per mis-  
ceri, neque inter se. Peripatetici au-

tem præterea colligunt, miscibilia  
esse substantias corporeas, contra-  
riis affectiones qualitatibus, vt, quia  
substantiae sunt, per se existere pos-  
sint: & quia contrariae qualitates pri-  
mæ, vel ex eis ortæ, mutuo refran-  
gantur & attemperantur. & idcir-  
co permaneant in mistione substâ-  
tiæ in columnæ, sed non omnino,  
quia refractæ viribus & qualitati-  
bus. Ab aliis autem motibus, vt la-  
tione, alteratione, mistionis distin-  
ctio non est proposita ab Aristot.  
quod sit per se manifesta: quamvis  
misto sine alteratione, quæ interce-  
dit in qualitatum attemperatione,  
perfici non possit, vt postea consta-  
bit. Hactenus ergo de discrimine  
mistionis à generatione & interi-  
tu, atque ab accretione. sequitur  
explicatio modi, quo miscibilia  
sunt in misto: ea colligitur ex illo  
principio omnis Philosophiæ, sèpè  
repetito ab Aristot. ad inuestigatio-  
nem præsertim principiorū & cau-  
farum, vt explicatum est, 8. cap. 1.  
physic. si enim hoc constituantur, ens  
aliud actu esse, aliud potentia, sta-  
tim constabit quo modo sint mis-  
cibilia in misto, partim itaque esse,  
quia potentia sunt, partim nō esse,  
quia actu non sunt: sunt autem po-  
tentia, quia retinent suam potesta-  
tem, vt separata à mistione per se  
possint existere, sicut erat ante mi-  
stionem separata, & non deleta.  
Atque ita constat id, quod in ratio-  
ne dubitandi quærebatur, quæ mi-  
sta sunt non corrumphi, neque alte-  
rum, neque vtrumque: sed manere  
potestate & virtute, vt fusius in q.  
explicabitur: sed non manere actu  
neque esse miscibilia in mistione,  
atque ideo nō omnino in columia,  
& inuiolata manere, vt ante mistio-

nem ex eo concludit, quia si essent actu, quod ex ipsis mistum euadit, non existeret actu diuersum, (cum ex pluribus actu existentibus non verè aut propriè fiat vnum actu diuersum, sed impropriè & ex accidenti, ut aceruuus ex granis tritici.) mistum autem constat, actu diuersum existere à miscilibus, ut vinum aqua mistū differt ab aqua & vino: miscibia igitur non manent actu in mistione, ut corpus & cādor manent actu, nō quia candor per se naturaliter possit esse, cum accidentis esse naturale sit inesse: sed quia neutrum in coniunctione remittitur, aut refrangitur, ut miscibia in mistione, sed potius accidens per subiectum viger, & subiectum accidenti exornatur.

Text. 85.

**P**roxima autem his dubitatio diuidenda est, vtrū mistio sit aliquid ad sensum. Cum enim quæ miscentur, in adeò minutis partis diuisa fuerint, & eo pacto inter se collocata, vt vnumquodque sensum lateat, tunc demum vtrum miscentur, an non? sed mistorum quilibet pars cuilibet apponitur. Illud autem perinde est, ac si dicas, ordeum esse tritico mistum, cum quodus iuxta quodus collocatum est. At si omne corpus diuiduum est, & corpus cum corpore misceri potest, similare quodlibet, appositu cuilibet sit oportet. Quoniam autem in minima diui-

Text. 86.

sum esse, nequaquam licet, neque idem compositio & mistio, sed diuersum, constat minime dicendum esse, quæ miscentur, exiguis illis partibus incolumibus mista esse: compositio enim erit, non a temperatio, aut mistio: dicimus autem si quidpiam oporteat mistum esse, mistū ipsum esse similare, & sicut pars aquæ aqua, sic etiame eius quod temperatum est. quod si ipsa mistio sit compositio perparua, nihil horum conueniet, sed ad sensum tantum mista, atque idem huic quidem, qui acute perspiciat, mistum erit, non autem lynceo. nec diuisione, nec apposizione partis, cuilibet parti, cum hoc modo diuidi non possit. aut igitur mistio non est, aut quomodo fieri possit, rursus dicendum est.

### Explicatio.

**A**ltera pars huius capitatis, quæ deinceps sequitur, ostendit quænam miscentur, & quomodo. initium autem sumit à dubitacione precedentibus valde coniuncta, & quæ ad refellendas aliorum de hac re sententias est maximè accommodata, & ideo inquit eam primo diuidendam, id est, distinguendam

dam & explicandam esse. explicatio enim & dubitandi ratio ex divisione hoc modo sumitur: mistionis natura, vel sensu dijudicanda est, vel alio quodam modo: si sensu, vera erit Democriti opinio, qui, referente Alexand. in libro de mistione, asserebat mistionem fieri, cum ea, quae miscentur, in minutis partes diuisa, sic inter se collata confunduntur, ut vnumquodque sensum effugiat, & minimè distinctum ab aliis appareat. Si autem alio modo fiat mistio, forte erit eorum opinio vera, quos postea Epicurus secutus est, qui censuerunt elementa, ut miscentur, primum in quedam in dividua dissolui, & iis confusis veram mistionem perfici. Differt autem hæc opinio secunda à prima: quod in hac, quæ miscentur propriam formam retinent: in illa non retinent: dissoluit enim elementa secunda opinio in dividua, quæ deinde permiscet, ut si Theatrum & domus primum dissoluantur in lapides, qui deinde coniungantur. Præterea prima opinio mistionem ad sensum & non revera efficit, ut si miscibilia per se videri non possint, mistum sit effectum: secunda vero opinio, re ipsa efficit mistionem, quia diuidit miscibilia in verè minima & dividua corpuscula, quæ permiscentur. Itaque secundum primā sententiam, nō oportebat verè minima permisceri, sed quæ visu non distinguerentur: secundum autem alteram sententiam, verè minimè partes cuiusque elementi permiscentur. Vnde exemplum illud de granis ordei cum granis tritici permistis, priori sententiæ magis accommoda-

tum est: cum huiusmodi grana non sint verè minima & dividua, videri tamen possint permista, cum visu non omnino distinguntur, quo sensu mistionem dijudicavit prior sententia. Concludamus igitur rationem dubitandi, & refutationem utriusque sententiæ eadem argumentatione hoc modo: mistio vel sensu visus, vel alio modo dijudicatur, ut veteres asseruere, sed vtrouis modo vera mistio esse non potest, est igitur alia ratio confiendiæ mistionis, quæ à nobis explicanda est. Propositio text. 85. compræhenditur, assumptio probatur, text. 86. hac argumentario-ne connexa: si omne corpus est dividuum, & corpus cum altero corpore verè miscetur, necesse est partem quamlibet misti, & totum ipsum similare esse, ut totius & singularium partium, idem nomen, & eadem ratio sit: sed antecedens est verum: erit igitur & consequens. Quod si verum est consequens, & totum mistum similare est, asserendum non est, miscibilium singulas partes incolumes manere & per se, siue visu non discernantur, siue minima quedam sint in misto: quia vniuersusque esset proprium nomen & propria ratio, si per se consistit vnaquæque, & idcirco non essent cum toto misto similares. Cōuenit autem utraque opinio in illa sententia, quod illæ partes, quarum dicitur esse mistio, maneat in misto saluæ & incolumes: Aristoteles autem non expressit consequens argumentationis, sed quod ex consequenti illatum est, & ita refutauit utramque sententiam, refutato eo, in quo conueniunt. Sed probat singulas partes antecedētis

Refutatur  
primo utraq;  
sententia ea-  
dem ratione.  
deinde vna-  
quæque senten-  
tia ratione  
propria;

## Liber primus

connexæ argumentationis, & pri-  
mum non esse illa minima corpus-  
cula , quibus nititur secunda opi-  
nio, copiosè disputatum est contra  
Democritū & Leucippum cap. 8.  
deinde esse verè & propriè mistio-  
nem constare, inquit ex communi  
loquendi cōsuetudine, qua mistio-  
nem à compositione distinguimus:  
omnes enim intelligimus lōge dif-  
ferre mistionem à compositione:  
cum mistum omne similare sit , vt  
sicut pars aquæ,dicitur & est aqua,  
sic quælibet pars misti sit mista , &  
retineat nomē & rationem totius:  
verbi gratia,quælibet pars auri est  
aurum , quod in compositione ex  
partibus iuxta positis , nullo modo  
verè dicitur. Hactenus fuit commu-  
nis refutatio vtriusque sententiae,  
sed propria est illa primæ senten-  
tiæ, si mistio sensu visus dijudice-  
tur,idem interdū erit mistum , in-  
terdum nō erit,nam hebeti sensui,  
& minutæ partes non discernenti,  
videbitur aliquid mistum , quod vi-  
sui acutissimovt lyncei, nō videbi-  
tur. Eodem arguento & exem-  
plo ad eandem sententiam confit-  
mandam, Galenus vtitur 1. lib. de  
Tempera. Alterius sententiae, quæ  
minimorum iuxtapositione mi-  
stionem efficit, illa est propria re-  
futatio: quod neque esse possint hu-  
ijsmodi minima individua , & si  
sint , illorum coniunctio non po-  
test perfectè mistum constituere:  
quia illa minima per se existentia  
& iuxtaposita , nulli alteri mista  
intelligi possunt , cum iuxtaposi-  
tio non sit temperatio , sed com-  
positio quædam , & ipsa diuisio, ad  
minima,quæ omnino non sint,per-  
uenire non potest: quare quod di-  
uisum non fuerit , neque mistum

erit, cum diuisione in minima se-  
cundum hanc sententiam mistio  
perfici debeat. Hactenus fuit dubia-  
tio , vt refutarentur veterum sen-  
tentiae de modo mistionis , & de  
his quæ miscentur. proximè sequi-  
tur de eisdem rebus propria Aristoteli-  
cis sententia, duabus conclusioni-  
bus compræhensa.

Text. 87.

**E**ntia igitur alia sunt effi-  
cientia , alia ab his pati-  
bilia, ac illa quidem recipro-  
cantur , quorumcunque ea-  
dem materia est, suntque vi-  
cissim agentia & patibilia: il-  
la autem im patibilia cum sint,  
efficiunt, quorumcunque nō  
est eadem materia. His igitur  
non conuenit mistio : quam-  
obrem neque medicina effi-  
cit sanitatem , neque sanitas  
mista corporibus: ex efficien-  
tibus autem & patibilibus,  
quæcumque facile diuidi pos-  
sunt , multa quidem paucis,  
& magna exiguis coniuncta,  
mistionem non efficiunt: sed  
eius, quod excellit accretio-  
nem : mutatur enim alterum  
in id, quod excellit, vt vini gut-  
ta mille cōgiis aquæ non mis-  
cetur: soluitur enim species  
& mutatur in vniuer-  
sam aquam.

Text. 88.

Explicatio

*Explicatio.*

**P**rima ergo conclusio est, quæ vicissim agunt & patiuntur, & materia eiusdem rationis communicat, viribus ferè æqualia, facile diuina, & humida non lenta, ad mistionem sunt accomodata. Tres præcipue partes huius conclusionis distinguuntur, quæ singulatim explicandæ & probandæ sunt. Prima pars sit, miscibilia comunicant in materia, & vicissim agunt & patiuntur: cum enim constet, entium quædam esse agentia, quædam patibilia, de quibus supra, cap. 7. & 8. & ex his quædam materia conuenire, ut elementa, & ex elementis cōcreta: quædam materia differre, ut cælum & inferiora. illorū est reciproca actio & passio horū autē nō est, sed cælum agit in hæc inferiora, & ab illis pati non potest. illa igitur inquit Aristot. misceri posse, hæc non posse. hæc est huius partis explicatio. Ratio illa esse potest, quod ea, quæ miscentur, mutuis viribus attemperantur & refranguntur: mutua vero attempatio sine reciproca actione & passionē esse non potest: hæc autem reciprocatio cōmūnem materiam & eiusdem rationis in agente & patienti exigit: quare quæ miscentur & materia conueniunt, & mutuò agunt & patiuntur. vnde non satis fuit communē materiam explicuisse, cum possent similia esse, sed oportuit addere mutuam actionem & passionē, ut intelligeretur, miscibilia esse dissimilia & contraria, in quibus est actio & passio vicissim. Exemplum Aristotelis est, medicina efficit sanitatem, sed non miscetur corpori, quod sanatur: quia mate-

ria vtriusque non est eadem, illius anima, huius, quæ dicitur prima vel elementa, cap. 1. libri 2: item sanitas efficit aliquid, nempe operationes sani, sed non miscetur corpori, cum differentia materia & illius sit corpus, huius elementa: nisi sanitas secundoloco posita, quæ est medico finis, intelligatur, & non quæ forma est corporis sani.

Sin æquales quodammodo vires habuerint, tunc mutatur quidem alterum in id, quod excellit ex sua ipsius natura: verū non sit alterum, sed medium & commune. Perspicuum igitur est, illa misceri apta esse, quæcumque efficiuntur habent contrarietatem, quando quidem hæc à se vicissim sunt patibilia.

Altera pars conclusionis, ut miscibilia non sint viribus admodum inæqualia, ut alterum valdè excellat, ex præcedentibus constat. si enim quæ miscentur, ita se habent, vt neque vtrumque, neque alterum corrumpatur, non oportet alterius vires valde excellere, quia corrumpet alterum, & in suam materiam conuertet: vt si gutta vini multis aquæ congiis misceatur, mutatur enim in aquam, & amittit propriā speciem, non autem attempatur. Quare neque multa paucis, neque magna exiguis miscentur, sed eius, quod excellit, fit accretio impropria, quæ est in maiorem mollem amplificatio. quod si miscibilium vires ferè sint æquales, ut alterum non possit ab altero permutari, non erit alterius interitus, sed vtriusque attempatio & mistio.

Ac sanè parua paruis apposita, miscentur magis, facilius enim & citius

## Liber primus

& citius vicissim mutantur: multū  
verò à multo tardius mutatur: quā  
obrem quæcunque ex diuiduis &  
patibilibus benè terminari pos-  
sunt, apta sunt admiscendum, hæc  
enim facile in parua diuiduntur,  
in quo consistit natura eius, quod  
benè terminari potest. Sic ex cor-  
poribus, humida maximè sunt ap-  
ta admiscendum. Nam inter diui-  
dua, humidū omnium commodissi-  
mè terminari potest, nisi lentum  
sit. hæc enim maiorem, atque am-  
pliorem molem reddunt.

Reliqua est 3.p. conclusionis, ut  
miscibilia facile diuidi possint, sunt  
humida & non lenta, in qua etiam  
parte modus ipse perficiendi mi-  
stionem significatur. Primo igitur  
ostenditur, miscibilia in partes di-  
uiduntur, faciliter permiscentur:  
non quod mistio sit illa in minu-  
tas partes diuisio, neque diuisarum  
partium iuxta positio aut collatio,  
ut veteres afferuerunt: sed quod ea  
diuisio sit omnino necessaria, ut  
attemperatio & mistio perficiatur.  
Ratio est quia mistio sit per mu-  
tuam actionem & passionem mis-  
cibilium: actio & passio sit per ta-  
ctum, pusillæ partes, alias pusillas  
facilius tangunt & commodius: et  
go inter eas facilior erit actio &  
passio, & ex consequenti mistio &  
temperatio. magnæ autem partes  
difficilius & tardius partiuntur, cū  
ad intimas partes tardius virtus  
agentis perueniat. Vnde constat fa-  
ciliter permisceri humida & non  
lenta, ut hæc argumentatio grada-  
tione contexta sic concludit. Hu-  
mida & non lenta benè & facile ter-  
minantur alieno termino, ut con-  
statib. 2. cap. 3. quæ bene termi-

natur, facile in parua diuiduntur,  
hæc autem faciliter inter se se agunt  
& patiuntur: hæc denique ad mi-  
stionem aptissima sunt: humida igi-  
tur & non lenta ad mistionem aptissi-  
ma sunt. Quæ autem sunt humida  
lenta ut oleum & pix, si iuxtapo-  
nuntur, ampliorem molē reddunt,  
verum non se se commode pene-  
trant, neque ob lentorem facile in  
exiguas partes diuiduntur, & ex cō-  
sequenti non sunt ad mistionē val-  
dē accommodata.

Cum autem alterum, vel tan-  
tum patibile, vel vehementer, alte-  
rum autem vix, quod ex ambobus  
mistū est, aut nihilo, aut paulo am-  
plius est. Quod in stanno & ære v̄su  
venit: sunt enim nōnulla blæsa quo-  
dam modo inter se, atque ancipitis  
naturæ. Videntur namque leniter  
miscibilia, & tanquam alterum  
susceptuum, alterum autem spe-  
cies, quod & in his contingit. Stan-  
num enim tamquam affectio quæ-  
dam sit æris sine materia, penè eua-  
nescit, & cum miscetur perit, colo-  
rans dumtaxat. hoc idem aliis etiā  
v̄su venit.

Altera conclusio de sententia  
Aristotelis est, si ex duobus ad mi-  
stionem destinatis, alterum tan-  
tum sit patibile, vel vehementer:  
alterum autem vix) imperfecta &  
ancipitis naturæ mistio fit. expli-  
catur conclusio ex hac diuisione.  
inter agentia & patibilia, sunt quæ-  
dam, quæ ita se habent, ut vnum  
valde excellat, & ideo tantum fe-  
re agat, & nihil ferè patiatur, nisi  
quod ex repassione prouenit ex-  
igua, & hæc ad generationē & in-  
teritum apta sunt, ad mistionem ine-  
pta, ut in priori conclusione expli-  
cauimus. Alia sunt paribus ferè vi-  
ribus:

ribus prædicta, & ad terminandum facilia, & ea mistioni aptissima sunt. postremo nonnulla sunt mediæ & ancipitis cuiusdam naturæ inter illa duo, ut neque omnino dispare, neq; satis pares vires habeat, quæ nunc asserit Aristot. imperfetam mistionem efficere: & ideo voluntur blæsa, ex similitudine. Ut enim blæsi & balbi homines, loquuntur quidem, sed non expressè & articulatè, ita res huiusmodi neque omnino alienæ sunt mistione, neque perfectè miscentur. Ratio est, quia quæ perfectè miscentur, de quibus in priori conclusione, sic se habent, ut vtrumque agat & patiatur, ut attemperentur. hæc autem de quibus in hac conclusione, non sic se habent, sed alterum valde patibile est, ut materia, alterum valde actuum, ut species & forma, non igitur perfectè miscentur, sed imperfectè. Confirmatur hæc ratio, quia in perfectè mistis, euadit perfecta mistione, incrementum molis, pro quantitate & magnitudine miscibiliū, in his autem imperfectè mistis, exiguum est incrementum molis: plurimū enim ex patienti amittitur, cū permiscetur, quia valde patibile est. Exemplum est in mistione stanni & æris. Stanni enim exigua portio, si simul cū magna æris copia coquatur, quasi propriā mollem nō habeat, sed sit quædam æris affectio penè evanescit, & dum per cocturā miscetur æri, dissipatur, ferè solum colorans. (sit enim exigua quædā molis accessio æri.) itaque, quatenus evanescit & colorat æs, non miscetur stannum, quatenus verò exigua illius portio remanet, blæsa & tenuiter miscetur.

Ex his igitur, quæ diximus, con-

stat esse mistionem, & quid sit, & quæ ex causa, & quæ nam misceri apta sint: siquidem nonnulla sunt, quæ à se mutuò pati possunt, & facile terminari, & diuidi. Hæc enim, neq; cum miscentur, ut corruptantur est necesse, neque ut eadem simpliciter sint, neque ipsorum mistionem esse compositionem, neque ad sensum. Sed miscibile est quod facile terminari potest, atq; patibile & efficiens erit, atq; hoc ipso aptū ad miscendū: miscibile enim ad homonymū dicitur: mistio verò est miscibilium & alteratorum unio.

Reliqua est tertia capitinis pars, in qua est præcedentium epilogus, & mistionis definitio. Epilogi sententia est, explicaui mistionem esse, refutatis argumentis, quæ illam tolle re videbantur: & quid sit, quatenus ex præcedentibus definitio mistionis colligi potest, ut statim colligatur: explicaui etiam causam mistionis, communem scilicet materiā, reciprocā actionem & passionē, ex viribus quodā modo æqualibus: explicaui denique, quæ essent ad mistionem apta, ea nempè quæ mutuò pati possunt, & facile terminantur ac diuiduntur, sic enim neq; miscibilia corruptuntur, neq; omnino ea dē, & idcirco seruatur à nobis communis notio & intelligentia mistionis, ut neque miscibilia corruptantur, neque omnino sincera maneat, sicuti ante mistionē: sed per mutuā actionē & passionē, nō nihil proprij amittant, nō nihil alieni acquirāt. neq; asseremus, mistionem esse compositionē, neq; ad sensum quæ in veterum sententiis refutata sunt: sed verè erit mistio, quia nullam exigua pars sit, quæ non aliquid accipiat, & aliquid det alteri. Ex his

Liber primus

his concludit Aristot. miscibile dici ad homonymum vel equiuocū, vt quidam interpretantur, sed melius est hoc loco homonymum retinere, quia non est vna illius intelligentia. Philopon. enim positum assentit pro synonimo, quod etiā sub homonymo aliquando contineri Alexan. afferit, 7. metap. com. 39. atque ita sensus erit, miscibile esse vniuocum, quia retinet idem nomen, & eandem rationem cum toto misto, vt supra explicauimus: vel quia simul & vicissim est efficiens & patiens, terminat & terminatur, & ita quod verē miscibile est, idem nomen & rationem agentis & patientis, terminantis & terminati habet cū altero miscibili, cum vicissim hæc omnia omnibus miscibilibus insint. Aliis videtur, homonymum pro æquiuoco propriè usurpari, vt sensus sit, quia dictum est, quædam mista dici à quibusdam secundū compositionem, quædam secundum sensum, & ipsi Aristoteli quædam perfectè, quædam imperfectè & blēse misceri, dicitur miscibile æquiuocè de his, cū tantum sit simpliciter miscibile, quod vicissim agit & patitur, & facile terminatur: cætera imperfectè, & impropriè. Mihi magis probatur lectio D. Tho. vt non legatur ad homonymū, sed ad homiomerum, id est similare, & consentit cum expositione Philoponi: sed retinet non minis proprietatē, quam non retinet in homonymo Philop. cū illud usurpet prosynonimo, quod tamen illi opponitur, vt constat ex principio categor. Hæc est Epilogi sententia. definitio misionis tandem proponitur, miscibilium alteratorū vno, quia est vera miscibiliū

cōfusio, quæ manent alterata & viribus refracta, non tamen corrupta, vt in præcedentibus explicabimus: cū id quod non est, ne misceri quidem possit, & ostensum fit, misionem non esse generationem aut interitum.

Disputatio de misione.

*Quæstio princeps, utrum in misto maneant elementa miscibilia formaluer?*

**S**N hac disputatione de misione erit nobis eadem ratio disserendi, quæ fuit Aristotelis, vt primū firma quædam de misione principia ponantur: deinde quæ sunt in controversia in utraque partem prius susceptata, definitur. Principiò igitur mision distingueda est, vt intelligatur quæ nā sit ea, de qua disputatio suscipitur. Ea distinctione proponitur ab Alexan. in lib. de misione, Philop. 1. lib. de generat. com. 24. & 129. & 1. lib. de anim. vbi differunt anima cōstet harmonicis numeris: & vt breuius contrahamus illorū distinctiones, dico misionem & generaliter, & specialiter ac propriè usurpari: generaliter mision est rerū diuersarū in eodem subiecto coniunctio, & ita cōprehendit omnem compositionē, quæ sit, tum plurimum rerum tactu, illorū natura minimè mutata, tum eā, quæ vinculorum quorundam opera perficitur, & eā etiam, quæ propriè mision dicitur, & tēperies in qua, quæ miscētur, mutua actione & passione refrāgantur, & ad quandam mediocritatem reuocantur: & idecirco huiusmodi propriam misionē, semper ante-

antecedit actio & passio : conuenient tamen omnia, quae propriè aut impropriè misceri dicuntur, quod in eorum compositione ut aliquo modo dicatur verè mistio, debet esse dissimiliū quædam coniunctio: nā similiū aceruu, ut tritici granorū, compositio tantum est, non mistio: dissimilium autē ut tritici & farus, non solū cōpositio, sed mistio quædam esse dicitur. Reiecta igitur illa impropria & generali mistione, de propria nobis differendum est, quæ ab Arist. μίξις καὶ κράτος, mistio & temperamentū distincta à compositione hoc cap. 10. dicitur: à posterioribus physicis & medicis frequentius temperamentum siue cōplexio, ut constat ex Alexand. lib. de mistione, & Galeno tribus lib. de Temperam. huius exempla sunt omnes res naturales ex quatuor elementis concretæ, cum sit vera mistio naturæ proprium opus, non artis tantum aut humanæ industrie ut postea constabit: sed ex iis, quæ à nobis fiunt, valde accommodatum est exemplum permistæ aquæ cū vino, quo Aristot. vtitur, 1. lib. de generat. anim. cap. 18. & 2. libro, cap. 6. idque Philopon. ex communi hominum intelligentia deducit com. 132. cum omnes affirment, aquam vino attemperari, si proportione quadam virium ferè æqualium per misceantur: defectu autem proportionis asseruit Aristot. hoc cap. & Auerr. in paraphrasi, paucum vinū multa aqua proprie non misceri, quia mutuo non attemperantur, & alterum vertitur in naturam alterius. Sic etiam alimentum cum membro in nutritione non miscetur, sed ex illo prodeuntia elemēta euadunt materia membra, &

ad illius temperamentum reuocantur.

Deinde principia ponenda sunt, omnibus recepta & probata demissione, vt ex notissimis & primis, quod docuit 1. lib. de demonstratione Aristoteles, omnis deinde con trouersia examinetur: quem mōrē disputandi semper retinet Arist. ut constat, 2. phys. cap. 1. ad inuestigandam naturæ definitionem, & lib. 4. cap. 4. ad definiendum locū, & lib. 1. Metap. cap. 2. ad sapientiæ notionem constituendam. De mistione igitur duo sunt recepta principia, primum, ea quæ miscentur actu esse & per se ante mistionem, & in ipsa mistione nō interire: quoniam ea quæ nō sunt, ne misceri quidem possunt, & mistio nō est interitus, aut utriusque miscibilis, aut alterius, ut aperte conclusum est ex Aristotelis sententia. Alterum principium est, omne mistum & partibus & toto similare esse, vt qualibet pars misti sit mista, atq; inter se omnes partes & cū toto idem non men, & eandem rationē retineant, alioquin non esset totius misti eadem temperies, sed miscibilium quædam compositio. Vnde constat aliter esse miscilia ante mistionem, quam in mistione: prius enim singula suas qualitates syneras, & minime refractas retinebāt, vt ignis calorem & siccitatem: posterius verò in mistione, mutuò refranguntur attemperantur, vt ignis calor & siccitas, frigore & humore aliorum elementorum: atque ideo nulla pars misti erit calida & siccata, vt prius erat ignis, sed omnium erit idem temperamentum, cum toto, vt partium carnis, cum tota carne.

Ex

## Liber primus

Ex omnibus his principiis colligatur, quæ nam sint propriæ misericordia, ne mēpē substantiæ corporeæ, contrariis affectæ qualitatibus, ut clementia. corporeæ substantiæ, ut per se possint existere separatae ante mistionem, cuius defectu afferuit Aristot. & ostendit, neque qualitates inter se, neque cum substantia propriæ misceri. (contrariis affectæ qualitatibus) quia causarum ratione, est actio reciproca & passio, ex quibus prouenit mutua attemperatio ut substantiæ misceantur: sed ratione qualitatū, per quas substantiæ attemperantur, suæ naturæ congruenter & accommodatè, ad proprias operationes exercendas. Quare meritò reprehenduntur Stoici ab Alexand. in lib. de mistione, quod afferuerint, qualitates & habitus cum substantiis, & lumen cum aëre misceri, nisi de mistione impropria loquantur. Galenus vero, cum lib. i. de elemēt. cap. 9. & in lib. de natura hom. text. 2. & libro de naturali facult. subst. & alibi sāpē afferuit stoicis misceris substantias, Peripateticis qualitates, fortassis voluit significare, secundum Peripateticos fieri mistionem & temperamentum ratione qualitatum, quod verissimum est: at miscibilia esse qualitates, & nō potius substantias contrariis qualitatibus affectas, Peripateticorum dogmanon est, ut in explicatione capitil apertissimè ex Aristotele deduximus. His positis, de miscibiliis grauis est & acerba philosophorum inter ipsos contentio, vtrū maneant in mixto formaliter? hoc est, an quemadmodū manet in mixto qualitatum temperies, cuius ratione diximus esse omne mixtū

similare, ita maneant ipsorum miscibilium saluæ & incolumes formæ substanciales, & nullius substantia interierit. De hac controversia, quatuor sunt sententiae omnino dissidentes, ut in re diffcili solet esse. Una est Stoicorum referente Alexandria in lib. de mistione, ut elementa in mistione formis & qualitatibus integra & inviolata maneant, penetrant tamē scipsa, ut anima totum corpus & ignis ferrum. Sed hæc sententia iam pridem ab omnibus Peripateticis exploia est: tū quia per miscet qualitates & habitus cum substantiis, tū etiam quia corporum penetrationem inducit: Peripateticis autem, ut supra ostendimus, miscentur quidem substantiæ, sed ratione qualitatum. Altera sententia est Auicenæ, & omnium ferè recentium & veterum medicorum, elementa manere in mixto integræ & perfectæ formis substancialibus, qualitatibus tamen attemperatis, & ad quandam temperamenti mediocritatem redactis. Ex qualitatum enim mutua attemperatio & refractione prodire temperiem, quæ sit mistionis terminus: & idcirco elementa manere in mixto potestate ratione qualitatum, quatenus separata, proprias qualitates sinceras & excellentes recuperabunt, per formas substanciales quas actu retinent, quas tamen qualitates in mixto habent attemperatas: vnde ratione qualitatū partim sunt actu, quia constituunt temperamentum, partim potentia, quia nō sunt sincerae, sed fractæ & attemperatae. Hanc sententiam volunt esse Hippocratis, & Galeni, i. libro de elementis, vbi sāpē affirmat, in mixto manere elementa integræ.

Sed

sed tribuitur hæc sententia Auicenna ab Auerroe multis locis , sed præsertim 3. lib. de cælo comment. 67. & à D. Thom. lect. ultima primi libri de generat. & inter. & 1. part. quæst. 76. artic. 4. ad 4. eius argumenta hæc sunt. Primum mistio est miscibilium alteratorum vnio : si alteratorum, non ergo corruptorum. hac enim ratione distinxit Aristoteles mistionem à generatione & interitu. Secundum , si mistio est vnio , ergo erit entium permanentium : corrupta enim non vniuntur. Tertiū, mixtum mouetur secundum dominas simplex. 3. lib. de cælo. text. 7. & 8. adeò ergo in misto simplex elementum, & corruptum non est: vbi enim est effectum, idest motus simplex , ibi etiam erit causa , idest, corpus simplex. Confirmatur, quia qualitas elementi non est sine elementi substantia, cù qualitas nō separetur : quare si in misto sunt qualitates, oportet esse elementa , aut commigrare dicendum est easdem numero qualitates , à substantiis elementorum, cum corrumpuntur, ad substantiam misti. Quartum argumentum sit , quia ex libro de morte & vita , duplex est in rebus caducis interitus , alter ab externo principio , quæ dicitur extinctio : alter ab interno , quæ dicitur tabes , aut putredo : non potest autem esse internus interitus , vbi non sunt diuersæ substantiae , vna efficiens , altera patiens : quia idem à seipso minimè patitur : erunt ergo in misto elementorum substantiae , vt possit habere internam causam interitus. Præterea , elementum ex 3. lib. de cælo , & 5. metaphysico , est id ex quo manente ali-

quid fit: si ergo elementa non manent in misto , necesse est ea non habere rationem elementi: quod fieri non potest , cum ab omnibus ut elementa ponantur. Postremò , si elementorum substantiae non manent in misto , non erit ordo inter formas , sed materia æqui proximè accipiet formam misti , atque formam simplicium : cum tamen formæ sint sicut numeri, in quibus est ordo 8. metaphys. text. 10. Tertia sententia est Auerr. quam plerique existimant esse omnium Græcorum interprætum .is affirmat sic fieri mistionem : dividuntur elementa, cum ad mistionem accedunt in minutæ partes , vt elementum elemento facilius applicari possit, ita vt partes vnius elementi non penetrant partes alterius vicissim , sed suo loco manentes ex propinquis partibus aliorum elementorum formam sibi similem , & qualitatem illius comitem , educunt: atque interim vicissim accipiunt formam & qualitatem illorum formæ & qualitati per similem , & accipiendo alienam , non nihil de sua amittunt. itaque substantiales formæ manent omnino inviolatae , non qualitates: sed cum per mutuam actionem & passionem ad ratam quādam proportionem pertinentem est, vnum quiddam ex illis fit, & plures materiæ vna quodam modo misti fiunt , & omnes similiter portiones caloris & aliarum qualitatum fiunt vñus calor , vñus frigus , vñus humor & vña siccitas: sed dominatur semper , & aliquantis per excedit vna ex formis elementorum , ob eas causas, quas Auerr. refert primo de cælo text. 7. & 10. metaphys. text. 23. quod

K etiam

Liber primus

etiam hoc cap. significauit Aristoteles, cum asserit aperte aequales non omnino, sed quodammodo esse vires eorum, quae miscentur. ad ostendendum, in ea aequalitate esse quendam alicuius qualitatis excessum: vnde varia esse temperatrorum genera Aristoteles significabit lib. 2. cap. 7. & infraius ex Galeno explicabitur. Hoc modo sit mistum vere homogeneum & similare. eodem videtur pertinere mistionis definitio apud Alexand. libro de mistione. cum inquit, mistio est corporum iuxta se positionum intercedente actione & passione uno, cum alteratione, sine interitu. addit etiam elementa separata a misto facile ad suam naturam redire, quoniam egent accessione quadam perfectionis, non integra generatione. Simplic. multis locis idem videtur sentire, sed præsertim secundo phys. comment. 29. ubi cum Themistio asserit, elementa esse mistorum materias, partim per compositionem, quatenus remanet, partim quatenus aliquid de suanatura amittitur. Philoponus etiam aperte eandem sententiam expressit libro hoc primo comment. 131. & latius lib. 2. comment. 33. accipiens enim pro formis elementorum ignotis, qualitates notas, affirmat, excellentium qualitatum, quae in singulis sunt elementis, sinceritatem in mistione non manere, quia attemperantur & castigantur a contrariis: manere tamen elementorum substantias viribus refractas, atque ideo esse in misto elementa in potentia, non sicut in materia prima: quia ex se, cu n sit tantum potentia, nihil habet actu de elementis: neque ut qui habet ha-

bitum, dicitur esse potentia, cum non operatur ex habitu, quia in mixto non est aliquod elementum syncerum vt ignis, qui appositam materiam possit cōburere, vt ignis syncerus, sicuti is, qui habet habitum, in subiectam materiam operari potest. sed concludit, elementa esse in mixto ea potentia, qua dicitur esse dominus, cum sit, nondum tamen est omnino perfecta, quae est potentia media inter puram potentiam & actum perfectum: sic enim in mixto est ignis, qui separatus a mixto, erit in actu perfectissimo secundum qualitates synceras, summe calidus & summe siccus: sed in mixto est idem secundum substantiam, sed qualitates habet in actu imperfecto, nempe attemperatos contrariis aliorum elementorum qualitatibus. Quod si si aliquis dicat, non esse ignem, qui non habeat synceras qualitates, quae in mixto actu ignem esse non posse, cum neque synceras habeat qualitates. Respondeendum erit ex permissione contrariarum qualitatum refrangi & attemperari, sed ignis & cuiusque elementi ex se synceras esse: & cum mixtum non efficiat nisi vt mixtum, nullum elementum ex quo constat, potest operari vt syncerum, licet ex se sit in sua natura integrum, sed ex permissione qualitatum impeditum, ne efficiat vt syncerum. Neque oportet quemquā existimare, Philoponum, aut alium ex Græcis, existimare elementorum substantias interire, quia dicunt elementa singula, vt ignem aërem, in mixto corrupti: accipiunt enim Græci elementa singula ex se, vt sunt synceras & summis qualitatibus affecta, & hoc modo, quia non manent in mixto, dicunt ea corruptum.

In mixto elementa secundum Græcos, & formas substantiales, & qualitates rationes. sed ex permissione non synceras ad operandum.

pi,

pi, id est non retinere synceras qualitates: quoniam licet retineat suas & proprias qualitates, tamen, quia ex permissione attemperatas, ideo non habet in mixto synceras, quibus possint operari, cum prohibeantur à contraria permista, sed re ipsa habent. ut rhabarbarum in composite medicamento, suas re ipsa qualitates habet, sed impeditas ad operandum, ut per se operari possent, quia refractas ex aliarum qualitatibus contrariarum permissione. & qui pollet viribus, si congregatur cum altero in singulari certamine, ex se retinet easdem vites, sed impeditas ad efficiendum, quod per se posset efficere, nisi ab altero impediretur: nempe ut infirmorem se vincat & prosternat, quem nisi impeditetur posset prosternere. Huius sententiae volunt hi autores Aristotelem esse, cum asserit in mistione, nihil eorum, quae miscerentur corrumphi, & ideo mistionem neque esse generationem neque interitum: & cū præterea affirmat, miscibilia à mixto separari posse, ut iterum per se consistant secundum proprios actus qualitatibus etiam syncera. & lib. 2. de generat. & inter. cum inquit, ea quae miscerentur esse attemperata, ut quod est summe calidum, reddatur frigidum & contra, & corruptant excessus mutuos, neque sola materia eorum in mixto maneat, neque aliquod contrarium simpliciter, sed ex his medium. His enim verbis primo significat re frangi qualitates elementorum, quae miscerentur, quia attemperantur: deinde, non interire elementorum substantiales formas, quia maneret sola materia, ad quam tandem fit incorruptione resolutio. ipse vero, ad hoc refellendū, asserit non manere

re solā materiā, sed ipsa denique elementa qualitatibus attemperata, medium quoddam temperatum, in quo non sit aliqua qualitas syncera, constitutere.

Ex hac Anerrois sententia, quam ostendi eandem esse Græcorū omniū interpretū, colligunt, eum asseruisse elementorum formas, quibus ratione primarū qualitatum mixtio conuenit, quia non est sine alteratione, esse ex formis substancialibus imperfectissimas: ideoque accedere ad naturā substancialē, ut medium quoddam inter substancialē & accidentis, cum more accidentiū refrangantur, & attemperentur, & rursus intendantur & perfectiores evadant. unde manere quidem has formas elementorum in mixto secundū substancialē, sed refractas & remissas. non sic autem intelligunt huius sententiae patroni, formas substanciales elementorum esse medium cuiusdam naturę inter substancialē & accidentis, ut utriusque naturā participant: sed quia sint utriusque personales: accidenti, quia possint intendi & remitti à suis contrariis: substancialē, quia cōferunt esse specificū & substancialē. quod licet ea ratione sit positū in inuisibili quadam ratione, tamen illud in mixto intenditur & remittitur, ex contrariorum varia per mistione. sic explicatam sententiam Auerr. sequitur Cardinalis Contarenus lib. 3. de elementis. sed melius est, qualitates elementorum asserere, pro formis substancialibus usurpari à Græcis & Auerroe, sicuti ab Aristotele, & eas quatenus non manent synceræ in mixto, remitti & attemperari. rursus intendi quatenus separatis elementis à mixto, iterum evadunt synceræ & excellentes.

K 2 Neque;

Neq; tamen in misto cum dicuntur attēperatae, corrupti omnino, sed quantū ad efficientiam, quia ex per mitione contrariorū impediūtur, ne efficiant ut sincere, sed tota efficiētia sit misti attēperati, ut supra explicauimus. sed quia illa prior explicatio Auerrois, de formis elemētorū mediis inter substantiam & accidens, cōmūnior est, & eo sensu à multis reprehensa, si quid contra eā deinceps disputabitur, cōtra hunc sensum disputatū esse intelligatur: quāuis ille prior sit Gr̄ecorū interpretū, ex quibus ille hanc sententiam colligit, ut & alia multa.

Quarta sentētia est D. Tho. assertis in mitione manere elemēta salua & incorrupta, in misto autem perfecto corrūpi, & vnam tantum formā misti substancialē, & propriā illius temperie cōstitui. hēc sentētia primū explicāda est à nobis, deinde confirmāda. explicatio primū ducit ex hac distinctione. mistio, vel est ipsa miscibiliū, per alterationem, cōiunctio, per quā preparatur materia ad formam, quæ inducēda est accōmodatè: vel ipsa mistio perfecta cū iam facta materiē preparatiōne, actione & alteratione qualitatū, aliquid gignitur: illa fiens mistio, hēc facta atq; perfecta, appellari potest. de prima videtur egisse Arist. tū quia ad eam c. 6. dixit esse necessariā actionem & passionem, atq; alterationē, tum etiā, quia mitionē definiuit, ex miscibilibus alteratis, & non corruptis, ut distingueretur à generatione & interitu. Vnde in priori mitione, plura corpora miscibilia, quæ vim habēt agēdi & patiēdi, quia cōueniunt in materia eiusdē rationis, ita se habēt, ut nullū in alterius naturam vertatur,

propter virium quandā ferē equalitatem, per quam mutua actione & passione eo usq; progrediūtur, donec abiecta contrariorū excellētia, vna ex omnibus qualitas prodeat: quae est tēperamenti propria. qua ratione hēc mistio à generatiōne & interitu distinguitur, cū in his alterū conuertatur in naturam alterius. ad hanc mitionē plurimū conducit miscibilium in minutissimas partes diuīsio: quamuis hēc diuīsio non sit formaliter mistio, ut contra veteres physicos Arist. cōclusit: est tamen prēparatio admitionē. ipsa enim diuīsio efficit, ut facilius miscibiliū alteratio interiora penetra-re possit: & idcirco efficitur mistū, omni ex parte equali ratione tēperatum, quod est esse omnino simila-re, id est eiusdem rationis in toto & partibus, ut ad textū adnotauimus. quare poterit apertius hēc mistio definiri, vno corporum, quæ in plures partes diuīsa, intercedēte actiōne & passione, ita tēperantur in cōmuni quadā materia, ut nullius facta sit mutatio & interitus. vnde vērē dicitur in hac mitione, miscibilia manere actu secundum formas substancialēs, & esse tantū potētia secundum excellētiam qualitatū, quæ attemperatæ manent: & ideo nō actu, donec separata à mitione elementa, iterū suas qualitates excellentes & sinceras consequātur, ut supra ex Gr̄ecorū interpretū, & Auerrois sententia, explicauimus.

De hac igitur D. Thomæ sentētia, ut confirmetur, & aliæ refuten-tur, sit prima conclusio. elementorū formē substancialēs, & qualitates non manent actu in misto perfecto. est cōtra Auic. & Auer. quorū sentētiae quāuis diuersæ sint, in hoc tamē conue-

conueniunt ; elementorum formas substantiales actu manere in mixto , cum elementa sint salua & non corrupta. argumenta conclusionis quatuor sunt, tria communia contra omnes asserentes in mixto manere elementa incorrupta formis substantialibus. tertium contra Auerroem. Primum argumentum sit res naturalis unica tantum forma substantiali constare potest, ut ostensum est in disputatione ad cap. 4. sed mixtū perfectum est res naturalis: cum omnia naturalia, vel sint mixta perfecta, vel imperfecta: constat igitur unica forma substantiali, & non quatuor, neque elementa in mixto retinent suas formas substantiales. Secundum, si elementa manent formaliter in mixto , eius forma substantialis esset accidentis: (quia adueniret entibus in actu, nē p̄ quatuor elementis actu existentibus per formas substantiales, quibus res omnis in actu constituitur necessariō:) consequens autem falsum est, quia rationes substantiae & accidentis sunt omnino repugnantes, & primò diuersae: falsum igitur & antecedens, elementa formaliter manere in mixto. Tertium, quia sequeretur in eodem numero supposito, esse plura supposita, & plura esse, & idem individuum pertinet ad plures species : quia unaquæque forma substantialis cum sua materia proprium suppositum & individuum substantiae constitueret, secundum proprium esse, & propriam speciem, cum hæc omnia formam substantialē necessariō consequatur: quæ omnia constat valde absurda esse. Quod si quis respondeat, secundum autores huius sententiae nihil horum sequi , quia permixtio-

non fiat substantiarum , sed qualitatum attemperatione . dicam sane, mixtum , aut rem naturalē non esse , aut esse in eo propriam formam substantialē, quæ suo quasi complexu retineret quatuor elementa , & proinde eorum formas substantiales : quare essent singula elementa secundum proprium esse in sua specie, & præterea mixtum in propria: sed falsum est etiam elementorum formas, quia imperfectæ sint, esse materiam quandam formæ mixti, quia ab illa perficiuntur: ut asserunt ij , qui plures animas in eodem homine constituunt de vegetatiua & sensitiua, quarum perfectio sit rationalis. quoniam supra in disputatione ad c. 4. ostendimus nulla ratione fieri posse , ut aliquo modo in eadem re naturali sint plures formæ substantiales, etiam si priores sint imperfectæ, & ultima generatione, sit perfectior. Præterea si elementa manent in mixto formaliter, non video , quomodo non sit mixtio compositio quædam, & secundum substantiam & propriam quantitatem situ tantum elementa distinguantur, & mixtum non sit omnino similare, ut vult Aristoteles: si quidem quod retinet propriam formam substantialē, necesse est etiam retineat proprias qualitates, quæ formam substantialē necessariō consequuntur: aut illæ, si ad huc mixtum sit similare, ab uno subiecto & elemēto, in aliud cōmigrant, quod valdè absurdum est: quod si alię producūtur qualitates , per quas fiat temperamentum ex omnibus , necesse fuerit asserere elementorum proprias qualitates sinceras permanere in mixto, ut manent formæ substantiales,

## Liber primus

D.Th. i. p q.  
76.artic.4.4.  
Socin. lib.  
10.metap. q.  
vit. Chisolt.  
lib.8.q.4.

Ies, neq; illas qualitates attempera-  
ri, aut redigi ad temperamenti me-  
diocritatem. Quartum argumen-  
tum est contra sententiam Auerr.  
qui videtur quibusdam afferuisse  
formas elementorum substantiales,  
esse mediae cuiusdam naturae inter  
substantia & accidens: statim enim  
concluditur ex hac sententia, me-  
diam quandam naturam, inter ex-  
rema, substantiam & accidens co-  
stitui posse: quasi verò inter contra-  
dientia esse possit aliquod mediū:  
rationes autem substantiae &  
accidentis, nempè esse per se, & non es-  
se per se sed in alio, omnino contra-  
dicunt. qualitates autem elemēto-  
rum, non esse veras elementorum  
formas substantiales, vt qui sunt in  
hac sententia Auerrois afferere vi-  
dentur, illa ratio aperte concludit:  
quod vni accidens est, alteri sub-  
stantia esse non potest, cum eorum  
rationes sint omnino repugnantes:  
illæ autem qualitates primæ mistis  
accidunt: nō possunt igitur esse ele-  
mentorum formæ substantiales. vn-  
de est illa sententia Aristotelis ab  
omnibus recepta primo phys. c. 3.  
quod vni accidit, alterius substātia  
esse non potest.

Secunda conclusio ex sententia  
D. Thomæ, elementa in mistione  
imperfecta formaliter manent, sed  
in misto perfecto potentia tantum  
& virtute. primam partem probant  
omnino illa argumenta, quæ suprà  
conclusimus pro Auicena, primum  
inquam & secundum, ex definitio-  
ne mistionis deduceta: quod sit mis-  
cibilem alteratorum & nō corru-  
ptorum: quod sit vno permanen-  
tium & non corruptorum. Quod  
si aliquando apud antiquos & gra-  
ves autores, in misto salua manere

elementa scriptum sit, id de mistio-  
ne fienti & imperfecta debet intel-  
ligi, quandiu sit materiae præpara-  
tio ad formam misti inducendam:  
qua inducta, omnes elementorum  
formas interire, supra ostēsum est.  
ipsum autem mistum retinet natu-  
ram elementorum, ex quibus com-  
positum est, secundum temperiem  
propriam & qualitates: & ideo à  
qualitatibus dominantis elementi  
denominatur misti temperamen-  
tum, & mouetur mistum, vt dispo-  
sitiones, quæ consequuntur formam  
substātialem, sunt eiusdem speciei  
cum præcedentibus, sed numero  
& re omnino diuersæ, vt in disputa-  
tione ad c. 4. ostensum est.

Altera pars conclusionis, nempè  
elementa esse in misto, potentia &  
virtute, primum explicanda, dein  
de confirmanda est. explicatio de-  
ducitur ex hac distinctione. duobus  
modis aliquid est in potentia alte-  
rius, vel potentia actiua, vel passiua  
& materiæ: vt mensa est in poten-  
tia artificis primo modo, & in lig-  
no est altero modo, quia potest in  
mēsam formari. est autem aliquid  
in potentia actiua, vel quia superior  
causa est & equiuoca, vt in sole sunt  
effecta naturalia, vt plantæ, &  
metalla, si materia accommodatè præ-  
paretur: vel quia potest actionem  
alterius producere, & aliam præte-  
re nobiliorem. sic posterior & per-  
fectior anima dicitur continere  
priorē & imperfectiorem, vt sen-  
sitiua vegetatiuā, & rationalis vtrā-  
que, quia potest illarum operatio-  
nes perficere, & insuper intellige-  
re. multis etiam modis dicitur  
aliquid esse in potentia passiua, vel  
remota, vt omnis forma in poten-  
tia materiæ primæ, cum possit ad  
quamvis

quāvis formam couenienter præparati, vel propinqua, vt forma ad quā est materia præparata dicitur tantū esse in potentia illius. elementa igitur sunt in mixto potentia, nō actua, quia nihil seipsum generat, & ex mixto generantur elementa, cum ipsum corruptitur, sed in potentia passiva, non quidē remota, quia esset mixtū materia prima, sed potentia propinqua & coniuncta, ratione temperamenti, siue illud contineat formaliter extremas qualitates, ex quibus temperatū est, siue sit vna tā tum qualitas, quae virtute & operatione extremas contineat, quod improbabilius videtur, sicut molle continet humorem & siccitatē, quatenus ea efficit, quod extremerē tēperatā efficerent. Cū igitur hēc qualitas tēperamenti elementorū sinceras qualitates virtute & potentia contineat, est veluti præparatio quædā ad elementorū generationē, & ideo si mixtū ex elemētis, intereat, prodeunt quatuor elementa, quae prius erant virtute & potentia tantū proxima. Vnde constat differre elementi corruptionē, quatenus ex eo generatur aliud elementum, & corruptionē & dissolutionem mixti in quatuor elementa: quod enim fit elementū ex altero, tantū erat in eo ratione materię primā, quae est potentia remota ad omnes formas, quibus cōuenienter præparari potest: elementa verò sunt in potentia mixti proxima, non autem remota tantū. Sic explicata secunda parte cōclusionis, probatur: elementa sunt in mixto, quia in illa dissoluitur, & non sunt actu, aut formaliter, ergo virtute & potentia: cū omne quod est, vel actu sit, vel potentia, sed nō sunt potentia productiva, vt ostens-

sum est: erunt igitur potentia passiva, non remota: quia mixtum esset materia prima, quae est huiusmodi potentia remota ad formas substanciales: erunt igitur elementa in mixto potentia proxima passiva, vt explicatum est. Confirmatur, quia mixtum ratione temperamenti, & mediæ qualitatis continet virtute sinceras elementorum qualitates: ergo & ipsa elementa, cum huiusmodi qualitates necessariò committentur elementorum substantias.

Neq; verò existimandum est mixtum non componi elementis, quia hæc non manent in illo formaliter, quia varia est ratio compositionis, & hic usurpatur pro mixtione: quā principio huius disputationis à propria compositione distinximus. sic enim Arist. lib. 2. de partib. c. 1. idē esse significat cōponi ex elemētis, atque ex qualitatibus elementorū attemperari. itaq; cum primum definiunt esse elementa & intereunt, incipit esse forma substantialis mixti, quam proximè consequitur qualitas media, quae temperamentū est: & idcirco, quamvis vno elemētorum in mixtione fienti, & imperfēcta sit fundamētum vniōnis, quę est relatio realis, vt in re naturali vno materię & formę: ( constat enim aliud esse vniōnem, vel coniunctiōnem aliquorum, quae vnitio dici potest, aliud vniōnem consequentem, que est relatio:) tamē in mixto perfecto ex propria forma, vno conse- quens, non est realis relatio, sed rationis, quia fundamenta illius, idest, elementa actu & formaliter non manent, sed potentia & virtute, vt ostensum est. esse autem in mixto omnia elementa virtute, & similiter in illa dissolui, de-

## Liber primus

perfectè mistis accipiēdum est, sunt enim imperfecta, in quibus nō sunt omnia elementa: de qua mistorum distinctione. lib. 2. c. 8. & hoc. c. asseruit Arist. esse quandā mistionē ancipitis naturæ, vt animalia zoophyta, sunt insensitiuis. huiusmodi imperfecta sunt meteorologica, quæ Olympiodoro videtur elemen ta alterata: & in cristallo Arist. 2. post. c. 12. omnis calore extinctus est.

Ex his explicabitur accōmodatē definitio mistionis, dicitur enim mistio, vel ipsa actio miscendi, & ita pertinebit ad actionis categoriam: vel id cōsequitur naturam ex pluribus rebus conflatam, & erit relatio quædam fundata in miscibili bus: qua significatur factā esse vñā naturam ex multis alteratis. & quā diu alterantur, & non corrumpuntur miscibilia, quia reipsa manent, fundant relationem realem: cū verò sunt corrupta, & virtute tantum manent relationem rationis: quia secundum rationem dicuntur vñita, quæ re vera non sunt. segregatio autem & directio erit relatio mistionis opposita, eodemq; pacto differet ab interitu, quo mistio à generatione. vnde in hac definitione forma est pro genere, vt in definitione accidentium, relatio autē accidēs est, siue reale, siue rationis, vt dictum est: materia autem est pro differentia, in qua inest vis quædam efficiēs, vt in propriis affectionibus idē est subiectum, & efficiens: quod enim miscibilia sese vicissim alterent, hinc mistio existit: finis autē omittitur, quia in plerisq; idem est cum forma, vt secundo physico explicauimus. quare si misti perfecti noua forma substantialis consideretur, mistio hæc perfecta à genera-

tione ratione tantū differt, quia generatio tantum spectat illud vnum, quod genitum est, & nouam speciem ex mistione resultantem, quasi speciem numeri ex pluribus numeris coniunctam: mistio autem dicit cōiunctionem plurium. si autē mistio fiens, quæ propriè mistionis rationem habet, consideretur, reipsa & non ratione tantum à generatione differt, & est quasi materia, & præparatio quædam ad formę misti generationē. similiter segregatio differet ab interitu, quod in hoc spectatur totius naturæ euersio, in segregatione autem corporum diuulsio, omnes autem, siue nouam formam misti admittant, siue conflationem quandam ex pluribus formis miscibilium, vt pleriq; opinantur, misti nouam speciem debent admittere, altero ex illis duobus modis: quia, vt inquit Arist. lib. 4. Polit. c. 9. hoc est bonæ temperationis indicium, si mistum, vtrunq; eorum, quæ missentur, & neutrum esse videatur; atq; ideo noua misti species concedenda est secundum omnes sententias, etiam dissidentes & repugnantes. quoniam autem in omnibus his naturalibus mistionibus elementa diximus esse miscibilia, id nō semper eodem modo in omnibus mistionibus accipiendum est. interdū enim mista proximè ex elementis fiunt, vt sulphur, argentum viuum, & quæ ex putrefactione: dico autē elementa non sincera, sed impura vt apud nos, quod ostendit lib. 2. interduni verò non proximè, sed in tercedente alio misto: sed ex accidenti ex mistis fit, ex elementis per se, cum fiant mista ex mistis, ratione elementorum. sic animata fiunt ex semine, & sanguis ex alimento. clemento-

lementorum autem duplex est in natura usus, prior ut sunt partes universi, & hac ratione propriis in locis manent, & considerantur in libris de caelo, ut grauia sunt, aut leuia: posterior usus, ut sunt materia ex qua rerum naturalium, quod explicabitur c. i. lib. 2. & ea ratione naturaliter componunt mistum, ut omnis materia cum propria forma naturaliter coniungitur, ut potentia cum actu unde nulla est vis, aut motio contra naturam, si elementa virtute caelesti, quae est prima causa generationis rerum, commota à propriis locis se iungi videantur: is enim motus non debet attendi, ut grauius, aut leuium, qua ratione violentus videbitur, sed ut partiū & materię misti ad compositionem, quā etiam naturaliter, ut materia, spe-

Hac causam nō attigit in hoc c. A. ill. quia est communis & remota & non est huius loci propria: sed lib. de caelo. & meteor. etiam. itaq; in universitatis bonum hac motione feruntur, non vi & contra naturam, & idcirco nulla mistio violenta est. neq; elementa in hac misti compositione, quidpiā ultra suę naturę perfectionē consequuntur, quia licet misti, pr̄sertim animatum illis sit perfectius, ea tamen perfectio ex forma prouenit primo, & ipsa elementa semper manent in misto, ut materia: in quo generare causae naturaliter & per se collocantur.

Reliquum est ex hac disputacione, ut rationes dubitandi principio conclusas dissoluamus. dico autem rationes dubitandi, argumenta pro sententia Auicenæ, ex his enim, de sententia D. Tho. à nobis probata, dubitandi aliqua occasio prouenire potest, cum illa repugnare eidē sententiæ videantur. argumenta vero hæc simul confirmant Auerrois & medicorum sententiā, quod ele-

menta in misto manent formaliter: id autem quod quibusdam propriū esse videtur sententiæ Auerr. in fine primæ conclusionis refutauimus. argumentis igitur adductis pro sententia Auicenæ, nunc respondendū est. Ad primum & secundum, quia illa ex definitione mistionis conclusa sunt, & eam intelligimus de mistione dum fit, & non de misto perfecto, concedimus libenter quod volūt efficere, in huiusmodi mistione manere elementa formaliter, alterata & attemperata tantum, cum nōdum forma misti inducta sit. Ad tertium, quod est de misto perfecto respondet, in misto manere qualitates persimiles & eiusdem speciei cum his, quae fuerūt in simplicibus ex quibus illud concretum est, ut tāta quantitas, æqualis grauitas, aut leuitas, & aliae primæ qualitatis quāuis attemperatae: & ideo virtute, & non actu, & ex consequenti nihil huiusmodi primæ qualitates efficiunt ut synceræ, sed ut attemperatæ. semper tamen vincit ea qualitas, quae etiam in simplicibus fuit superior, ut ex temperamentorum distinctione constabit, & actio eidem respondet, & idcirco videtur respondere elemento permanenti actu & formaliter, sed respondet potius qualitati elementi corrupti, quia in temperato misto superior est. sic mista in quibus vincunt grauia elementa, ita quoq; grauia sunt, & deorsum feruntur, in quibus vincunt leuia elementa, ipsa etiam mista leuia sunt, ut cōstat de lapide & coleo. & aliis multis. itaq;, cum illo effectu actu, est causa actu: sed ea non est substantia elementi, quae nō manet in misto perfecto: sed est substantia misti, quae vtitur qualitate simili-

## Liber primus

qualitatibus, quæ fuerunt in elemēto, vt lapis descendit grauitate, non terræ permanentis, sed substantiæ, quæ vtitur grauitate, in quam grauitas terræ mutata est: & hoc est moueri motu dominantis elementi, nō quidem secundum substantiam & formaliter in misto permanentis, sed secūdum virtutem, & eiusdem speciei qualitatem, quæ sit eiusdem motus specie causa & instrumentum. Ad quartum respondet Scot. qui sententiā D. Thomæ sequitur 2. sent. dist. 15. interitum illum internum esse proprium animantiū, in quibus est variarum partium cōpositio, quarum vna alteram potest alterare & euertere, vt nimium cerebri frigus calorē cordis: aut etiā eadē pars ex seipsa marcescere potest, quia cōtinenter fluit, neque vñquā ita perfectè reparari potest, atque amissa fuerat, ex quo tandem non est aptum subiectum animq; & sequitur interitus. sed ad exactius huius interitus interni causas considerādum, quoniam videtur etiam simplicibus conuenire, vt de igne significauit Aristot. 3. lib. de cælo text. 52. primum adest in omnibus rebus mortalibus facultas materiæ, in qua semper est contrarium potestate, cuius contrarij est insita appetitio & propensio, vt 1. phys. dictum est. & Arist. etiam explicauit lib. de lōgit. & breuit. vitę. quare ratione materiæ primæ omnis interitus naturalis est. præterea adest in elementis propria qualitas, in mistis certum temperamentum, quod vel facilis, vel difficilis ab ambienti perueriti potest: & hęc patiētis dispositio potest etiam, licet sit materiæ, referri ad causam efficiētem, quatenus efficiens princi-

pale, ea ad inducendum suum effectum, rei cuius est dispositio, cōtrarium, abutitur. in mistis etiam perfectis adest præterea calor insitus, cuius nutrimentum & pabulum est humor, qui vel citius, vel tardius ab sumi potest: quod etiam eodē lib. de longit. Arist. considerauit: calor autem absunit internum humidū, non quodd inter ea pugna sit, sed vt seipsum tueatur, qui ob suam tenuitatem facilè evanesceret, & extingueretur, nisi alimento assidue reparetur. & quia in hac reparacione, excrementa gignuntur, quæ sunt reliquiae prioris alimenti, quæ cōuersti non potuerunt, & ab his semper non nihil offenditur: quamuis ob qualitatem humoris minime dissipabilis, & caloris non vrentis, neq; cito consumentis, mistum perseuerare possit, donec humor ille dissipetur. ex his igitur constat, naturalem interitum esse, qui ab internis causis patientis, vel à natura caloris absumentis proficiscitur. neque idcirco oportet elementa formaliter manere in misto, cum satis sit diversas esse partes patientis, vt ex alia possit esse actio, ex alia passio, & tandem interitus. Ad quintū ex definitione elementi collectū, respondet, eam elementi definitiōnem, exactè & propriè, materię tantum primæ conuenire, quæ est sentētia D. Tho. Alberti & Gregorij: elementis vero quatuor, quodā modo & impropriè conuenire, quatenus in misto manent potentia, non actu, vt supra explicatum est. de elementi autem & principij propriis notionibus, diximus plura ad primum caput primi physici: nunc satis sit adnotasse quodd elementum, quod his quatuor vulgatis cōuenit,

sic

sic definit Arist. 3.c. 3. libri de cælo, elementum, vel principium corporum est id, in quod cetera corpora dividuntur, cum potentia insit, vel actu: (hoc enim utrumodo sit, adhuc ambiguum est) ipsum autem in ea, quæ specie differunt, dividit non potest. quæ definitio aperte nostrâ solutionem confirmat. Ad sextū, affirmamus inter formas per se ordinem esse, & ita forma elementi, quia est primum corpus, antecedit formâ misti, quod natura posterius est, quia ex elementis fit: sed ex accidenti contingit non seruari hunc ordinem: quia non semper ex elementis immediatè fit mistum, ut supra ostendimus. tunc autem forma misti, expulsa alterius misti forma, materiam illius immediatè informat, & fit mistum ex elementis non actu, sed potestate: ut etiam plerumq; dissoluitur in ea quæ referunt naturam quatuor elementorum, sed non sunt elementa sincera, ut ignis, & reliqua, quæ per se consistunt. sic animal dissoluitur in cineres, humorem aqueum, calidam & aërem quandam substatiā, quæ quatuor elementorum naturam planè referunt.

### *Altera quæstio, de temperamentorum distinctione.*

**D**isputauimus de natura & essentia mitionis, & miscibilium: sequitur proximè explicanda temperamentorum distinctio: hæc enim mistio, propriè est temperamentum, ut supra ex Arist. & aliis ostendimus, & temperamentorum variæ sunt formæ, quæ hic videntur accommodatè explicari posse; quæ

uis ab Arist. lib. 2.c. 7. alia ratione explicentur etiam accommodatè, & suæ doctrinæ conuenienter.

Mistio igitur, quæ temperatum, & complexio à quibusdam dicitur, est secunda qualitas ex reciproca actione primarum qualitatum, quæ miscilibus insunt, & passione producta. Cum enim alterum elementum viribus superat, & vincit alterum, sit unius generatio, & alterius interitus: cum non vincit, est quedam alteratio, qua vires & qualitates refractæ & castigatæ, ad quandam mediocritatem rediuntur, quam temperamentū dicimus. ea verò manet cum substantiis elementorum, donec forma misti inducatur, qua inducta, consequitur persimile & eiusdem speciei temperamentum: cum affectiones, quæ antecedunt proximè, & quæ immediatè formam substantialem consequuntur, eiusdem sint speciei, unde in priori quæstione probabiliorem iudicauimus. D. Thom. sententiam, quæ huiusmodi temperie censet qualitatem esse simplicem, ex reciproca actione & passione primarum qualitatum profectam: & virtute, non actu, continentem extremas, & idcirco definita est à nobis secunda qualitas, exprimita, explicatis illius causis. sic Arist. lib. 2. cap. 7. inquit, carnes & ossa & alias partes effici, cum id quod calidum est, frigidum, & quod frigidum est, calidum efficitur, & ad medium perueniunt. hic enim neutrum est. hoc medium, temperamentum dicimus.

Eius genera, aut species Aristoteles speciatim non distinxit, sed tantum uniuersaliter cod. c. 7. subiunxit. medium autem multas habet partes,

## Liber primus

partes, nec individuum est. posteriores autem, praesertim Galenus, & qui eum sequuntur, nouem genera distingunt, quorum unumquodque latissimum est, innumerisq; gradus sub se continet. unum, quod est canon & norma, ad quam cetera ex penduntur, Galenus aliquando vocat *νηρατον* aliquando *συμμετρον* bene & aequè temperatum. scholastici *æquale ad pondus, in quo est elementorum, non quidem quantitate, sed qualitate & viribus, equalis portio, & æquales gradibus & efficientia qualitates.* est aliud temperamentum ab hoc diuersum, quod non est omnino æquale, sed ad iustitiam: quia est naturæ cuiusque rei naturalis, & ad proprias operationes oeundas maximè accommodatum: ut ossis & carnis, leonis & hominis, diversa sunt temperamenta: si ex qualitatù mediocritate expendantur, sed cuiusque naturæ & operationibus valde consentanea, & ideo dicuntur æqualia ad iustitiam: quia Deus autor naturæ, ex iustitia quædā & debito, quo vult in omnibus rationem suę sapientię & bonitatis ad impleri, tribuit cuiusque naturæ omnia, quæ illi sunt ad finem & operationes necessaria. ut explicat. D. Thom. i. p. q. 21. art. 1. 3. & artic. 4. hanc vero, ex diuina sapientia, iusta distributionem, philosophi naturæ tribuunt, quoniam est Dei, ut naturæ autor est, & prima causa. sic Hypocrates explicante Galeno lib. 9. de Platonis & Hipp. decretis c. 15. naturam vocat iustum: & huic sententiae conuenienter idem Galenus primo libro de elementis affirmat, ex actionibus & muneribus nos posse cognoscere, an optimè unum quodque se habeat pro sua natura,

ut ex perfectis actionibus optimè se habere, ex depravatis, contraria.

Ex his duobus æqualibus temporementis, primum re ipsa naturaliter consistere non potest: alterū in omnibus rebus naturaliter existit, sed quia naturis variis accommodatum est, varium etiam & multiplex existit. Ratio primi, ex definitione temperamenti proposita, colligitur. in temperamento æquali ad pondus, vel æqualitas attenditur in quantitate & mole elementorum, vel in eorum qualitatibus: sed non primmodo: secundo igitur. In hoc autem, reciproca actio & passio secundum qualitates esse non potest: ergo neque erit illud æquale temperamentum ad pondus. assumptio primæ consequentis, nempe in huiusmodi æquali ad pondus temperamento, elementorum æqualitatem non esse in quantitate & mole, vel elementa, quæ miscetur, mole æqualia sint, ex hac ratione constat. ex elementis duo sunt activa, quæ si quantitate passivis sint æqualia, aer videlicet & ignis, aquæ & terræ, necesse est illa vincere & superare, haec vinci & superari: & ex consequenti, non prodibit temperamentum viribus qualitatum æquale, quale est, quod ad pondus æquale dicitur, sed in æquale, præterea, cum mixta necesse sit constantiam quandam retinere, & ea, nisi quantitate maiora sint aqua & terra, esse non possit, ut significat Arist. lib. 2. de gener. c. 8. constat, nullum mixtum esse posse, ex elementis quantitate æqualibus: sed neque ex elementis, qualitatum gradibus, omnino æqualibus, quæ fuit altera secundæ consequentis assumptio, esse posse temperamentum æquale ad pondus, concluditur

aperte

ex precedētibus: quia omne temporementum ex inutua actione cōtra riarum qualitatum conflatur: si autē qualitates elementorum omnino cōquales sint, vt vñū elementum in alterū compar non habeat proportionē maioris, aut minoris cō qualitatis secundū qualitates, vt agere aut pari possit, nō poterit esse mutua actio, aut passio: quare neq; vñū temperamentū. Præterea etiam calor longè superat frigus in agēdo, in resistendo tamen magnopere superatur: atq; ideo non possunt qualitates elementorū inter se ita cō aquari & librari, vt neutra alteri sit omnino cōqualis. quare huiusmodi tēperamentum ad pondus cogitatione potius cōprehenditur, quā re ipsa subsistat, vt mente etiā idēam demonstrationis perfectissimæ, & oratoris percipimus, qualis fortassis neq; fuit, neq; vñquā futurus sit, vt ad eius perfectionē, de oratoribus iudicare possimus. sic etiam extēperamento ad pondus cōquali, de aliis tēperimentis, ab ea cōqualitate deficiētibus, cōqualibus tamē secundū iustitiā, iudicū ferre possumus.

Temperamenta autē ad iustitiā cōqualia, inēqualia tamen qualitatū viribus, pro ratione vincētis qualitatis, oēto à Galeno in hominem distinguuntur, & pari ratione in omnibus iustisi, prēter hominē, distinguuntur. aut enim vincit vna qualitas, aut vincit duę, quę quatuor elementis respondent, atq; ita oēto huiusmodi tēperamenta prodeunt, calidū, frigidum, humidū, siccum, calidū siccum, calidum humidū, frigidū humidū, frigidum siccum. idē est autē tēperamenta ex humoribus, atq; ex qualitatibus in anima libis diiudicare, quia humoribus,

tēperamenta, in quibus duae qualitates vincit, sicuti & partibus anni respondēt. bili ignis & cestas, sanguini aēr & autumnis, pituitæ aqua & hiems, melancholia, terra & ver, si inquā hæc sibi respōdere aliqua ratione velimus, neque enim omnino respōdent his temperamētis anni partes, neq; diei eiusdem, vt quidā volunt, vt constat ex eruditissima Galeni disputatione 1.lib. de temper. nūc autē formula quadam hæc comprehendisse satis sit. Hæc temperamenta ad iustitiā, plantis, animalibus, & homini, partitè & distinctè à medicis attribuūtur, & in uno quoq; genere temperata dicuntur, quæ ad suas actiones ob eundas, aptissimè constructa sunt: & ideo aliquando dicuntur quasi absolutè ad pondus tēperata, sed in suo quodq; genere intelligendum est. ex omnibus autem animalibus temperatissimum est homo, vt extēperatissimo tactu diiudicatur, sed de his haētenus. Auerroes lib. 2. collect. hæc temperamentorum distinctionem Galeno & medicis probatam, ideo reprehendit, quod impossibile sit in natura, formam sine materia inueniri: humidum autē & siccum sunt veluti materia calidi & frigidi, vt lib. 2.c.3. constabit: quare si calidū in aliquo temperamento excedit, pariter excedere temperē humidam, aut siccā: & si humidum excedit, excedere etiam calidum, aut frigidum. vnde concludit quatuor tantum esse genera temperamentorum in cōqualiū, quia nullū sit simplex, in quo vna tātum qualitas vincere reliquias possit, cuiusmodi assēruimus esse quatuor priora temperamenta inēqualia. Sed responderet Cardinalis Cōtarenus lib. 4. de elementis

## Liber primus

mētis ex hac distinctione, aut enim in illis qualitatibus considerantur gradus caloris & frigoris, aut gradus virtutis & efficacij: primo modo Galenus octo temperamenta in æqualia distinxit: altero modo concludit ratio Auerrois, & id eo nihil contra Galenum concludit. si enim constituamus duo mista æqualia calore & frigore, & humore, inæqualia verò siccitate, si alterum exicetur, idem gradus erit siccitatis in uno quam in altero, quod mutatum non est: vis tamen agendi maior in exiccato, quam in altero misto, & maior, quam in seipso antequam exiccatū esset. quod si efficiatur alterū mistum humidius, minus erit efficax ad agendum, quam alterum mistum, quia humiditas actionē caloris obtundit. non potest ergo simul fieri, vt sit æqualis efficacia & gradus qualitatis in calido & frigido, & sit excessus in sicco & humido: quia semper calidū siccus accrius est: calidū humidius obtusius erit. calidum enim resolutum humidum aquēū, ideoq; maior appetet exiccationis vis in calido, quā in frigido. cōtrā frigidum cogit vaporē in aquam, si fuerit humidū, & ideo humiditas est maioris efficaciae ad humectandum frigori coniuncta, quam calori. calor autem licet coagulata liquefaciat: ex accidenti tandem humectat, per se exiccat, quia tandem resoluto humore aqueo, exiccat.

Quod si quis rādem querat, vrū hæc mistio, & temperamentum definitū, nostra industria perfici pos-

sit, an verò tantum sit naturæ opus, vt asséruit Galen. i. lib. de temper. cum tamen exemplū huius mistionis sit aquæ & vini permistio, quæ à nobis perficitur: respondeo, artem & industriā hominis inchoare mistionem posse, sed naturam solum perficere & consumare. vt medicus diuisa & cōtusa pharmaca iuxta se ponit, illa verò post modum, per naturalem & internam vim efficientia & patientia, mistionem administrant & perficiunt, viribus miscibilium, mutuò ad interiora penetrantibus, donec totum mistū euadat similare. sic autem aqua & vinum miscentur facilius, quia humida, & contrariis ad agendum & patiendū facultatibus predita, quibus mutuo attemperantur. & ideo exemplum vini & aquæ permistæ frequenter repetitum est à Græcis interpretibus, & ab Arist. i. lib. de gener. anim. c. 18. & 2. lib. c. 6. quāvis id Aue rr. in paraphrasi negare videatur, sed intelligit, cum nō seruatur eorum proportio, sed alterū in alterum, quia exiguum est, convertitur, vt Aristot. hoc c. 10. admovit: cum autem seruatur illa mistionis proportio, neq; multo tempore aqua & vinum permista manent, vñ ab altero separari dicunt, quibusdam instrumentis. quorum meminit Philop. quod si multo tempore permaneant mista, inducitur forma misti, pereuntibus formis miscibilium aquæ & vini,

vt supra ostensum est.

A R I S T O.

## ARISTOTELIS LIB. II.

## CAP. I.

Text. i.

**N**isto igitur & tacitus, actio & passio, quo modo iis adsunt, quæ per naturā mutantur, dictum est: de generatione etiam & interitu simplifici, quomodo, cuius sint & quā ob causam. similiter autem & de alteratione dictū est, quid sit alterabile, quodq; sit vnius cuiusq; eorum discriminē. restat ut de vocatis corporū elementis consideremus. generatio enim & interitus, omnibusq; natura constat, substantiis, non sine sensibilibus corporibus, conueniunt.

*Explicatio.*

**A**d explicandā principē quæstionem huius operis, de causis generationis & interitus omnium naturalium, quę mutationes elemētis primo conueniūt, & ratione elemētorum omnibus aliis, haec tenus fuerunt libro priori principia & veluti antecedētes doctrinæ: libro autē posteriori ipsę causę explicatur, nemp̄ materia elemētis subiecta, qualitates pro forma, quia elemēta ut partes vniuersi, quę ad suū locum naturaliter ferūtur, ad libros de cælo pertinent: ut autē generationi & interitui subiecta sunt, qualitatibus

primis afficiuntur, & huius doctrinæ propria sunt. efficiens deniq; causa generationis & interitus cæli conuersio explicatur, & pro fine accipi potest perpetua vniuersitatis cōseruatio, cū vnum elementū ex altero cōtinenter fiat, & mixta ex elemētis, in quę tandem dissoluuntur.

Libri autē huius quatuor partes prēcipuè distingui possunt: prima est de materia qualitatibus & numero elemētorū ad c. 4. Altera de mutua elemētorū generatione & interitu à 4. c. ad 7. Tertia de cōpositione naturaliū ex elemētis, ad 9. c. Quarta ad finē libri de causa efficiēti & fine. Capitis igitur primi tres partes distinguētur accōmodatè, transitio, quę præcedentia sequentibus cōnectit, veterū sententiæ de materia, propria Arist. sentētia. est igitur trāditionis hēc sententia. dictum est priori libro, quid sit generatio & interitus simplex cap. 4. quomodo & quā ob causam cōtinēs sit & perpetua generationis & interitus vicissim tudo c. 3. de alteratione etiā, quodnā sit propriū eius subiectū c. 4. deinceps à c. 5. ad finē libri de accretione, actione & passione, tactu, miscione: horū autem ordinē permūtauit ut plerunq; Arist. solet in episologis, quia ex ipsa tractatione, ordo scīētificę methodo omnino cōseniens, cōstare potest. ergo his explicatis priori libro, deinceps inquit libro posteriori, de elemētis corporeis dicendū est: quoniā generatio & interitus per se primo elemētis corporeis, quę prima sensibilia sunt,

8  
Liber secundus

sunt, cōueniunt, ceteris autē rebus,  
vt ex his elementis concretæ sunt:  
qua ratione lib. i. in quæstione de  
subiecto ostendimus, hæc elemen-  
ta esse proprium & adéquatum hu-  
ius doct̄ inæ subiectum eadē omni-  
no ratio est c. i. 3. libri de cælo, vo-  
cat autem hæc vulgata quatuor ele-  
menta, Aristot. non simpliciter ele-  
menta, sed corporea, vel corporum  
elementa, quia elementum absolu-  
tè & simpliciter est materia prima  
vt colligitur ex. 2. c. 5. metaphysi-  
ci, sed elemēta corporum sunt pri-  
ma corpora sensibilia, primis affe-  
cta qualitatibus, ex quibus elemen-  
tis fieri necesse est, reliqua corpo-  
ra concreta. hæc de transitione.

Text. 2.

**H**orum autem subiectam  
materiam alij vnam esse  
aiunt, vt aërem & ignem, aut  
aliquid horum medium, quod  
sit corpus & separabile. alij  
plura uno ponentes. quidam  
enim partim ignem atq; ter-  
ram, partim & hæc, & tertium  
aerem, quidam & aquā quar-  
tam adiungunt, vt Empedocles:  
ex quorum congrega-  
tione, & ex segregatio-  
ne, aut alteratione, genera-  
tionem & interitum rebus acci-  
dere. Illud autē sit confessum,  
prima quæq; rectè principia  
& elementa vocari, ex quibus  
cōgregatione & segregatio-  
ne, aut alia mutatione muta-  
tis, contingit esse genera-  
tionem, aut interitum: qui autem  
præter hæc quatuor, quæ cō-

Text. 3.

memorauimus, vnam materiā  
faciunt, eamq; corpoream &  
separabilem, errāt. hoc enim  
corpus, cum sit sensibile, ne-  
quit esse absq; contrarietate:  
cū sit necesse hoc infinitum,  
quod quidam principium esse  
aiunt, leue sit, aut graue, frigi-  
dum, vel calidum. vt autem in Text. 4.  
Timæo scriptum est, nihil de-  
finitè explicatū est. Nō enim  
apertè dictum est illud omniū  
receptaculum, vtcū ab ele-  
mentis separatum sit, neque  
illo vtitur, cum tamē dixisset,  
illud vocatis elemētis subie-  
ctum esse, vt aurū aureis ope-  
ribus. quod sanè ad hunc mo-  
dum dictum nō rectè dicitur.  
sed quorum quidem est alte-  
ratio, sic est: quorum autem  
est generatio, aut interitus,  
impossibile est, ea eorum no-  
mine appellari ex quibus ge-  
nita sunt. inquit tamen, longè  
verissimum esse, vnumquod-  
que dicere aurum. verum cū  
elementa sint solida, vsque ad  
plana dissolutionem facit: im-  
possibile autem est materiam  
primam esse plana.

**Explicatio.**

**D**einde recensentur veterum  
de materiali principio senten-  
tiæ, & refutantur. Prima est eorū,  
qui aliquod ex elementis, vel diuer-  
sum ab his, sed inter aërem & ignē  
inter-

interiectum, principium materiale generationis & interitus constitue runt: autores varij sunt, à nobis relati. 4. c. primi physici, & posterioris sententiae unus Anaximāder autor. Altera sentētia est eorum, qui materiam dicunt plura elementa, vt ignem & terram, vel præterea addentes aërem tertium, vel denique omnia quatuor elemēta coniungētes, vt sint vna prima materia rerū omnium, vt Empedoclem & alios asseruisse eod. cap. 4. dictum est, & cap. 1. libri prioris de Generat. Tertia sentētia est Platonis in Timō, qui licet verè distinxerit materiale principiū, ab elementis corporeis, vt Aristot. distinxit i. phys. non tamen rectē explicauit, neque cōsentienter suā sententiae loquitur. De his tribus sententiis, primam & tertiam reprehendit expressē, contra secundam, quę est Emped. est ratio quædam in fine capit. , & plures i. cap. prioris libri. Cōtra primam igitur, non omnium, qui vnum elementum dicunt esse materiam, sed Anaximandri est hæc ratio. quamvis ea, quę prima sunt, principia aut elementa appellare, cōsentaneum sit rationi, vt quatuor elementa Emped. quorum concretione & secretione, vel aliqua mutatione, generatio & interitus consequantur, hoc est, quamvis elementa facere materiale principium omnino falsum sit: tamen rectē, cum existimētur prima, dicūtur esse principia & elementa, quia de ratione principij est, primum esse, & de ratione elementi esse materiam, 5. metaphysi ci, cap. 2. Qui autem constituūt materiale principium, aliquod corpus sensibile primum, quod tamen nullum sit ex quatuor elementis, valde

errant, neque affirmant aliquid rationi consentaneum. quoniā, quod est sensibile corpus, est aliqua contraria qualitate affectum, alioquin sensibile non est: quod autem sic est quale, graue necessario est aut leue, vt inductio docet in omnibus naturalibus: graue autem aut leue est elementum aliquod, si primū est, de quo loquitur Anaximander, ex his quatuor vulgatis: ergo nō potest esse aliud corpus sensibile & primum, medium inter aërem & ignem, altero dēsūs, altero rarius, quod non sit vnum ex illis quatuor elementis vulgatis: quicquid enim est primum corpus, graue aut leue, vel simpliciter vel quodammodo, necesse est, vnum aliquod ex his elementis esse, vt 4. libro de cælo ostēsum est. Platonis sententia de materia prima ab elementis quatuor distincta, quam quia omnia exceptura esset, vocauit περιθέξεις, quasi dicās cuncti excipiunt, non reprehendit deinde quia falsa, sed quia nō exactē explicata. Reprehensionis quatuor rationes sunt, prima, quia non expressē ab elementis eam distinguunt: secunda, quia ad rerum naturalium constitutionem illa materia nō vtitur, sed potius superficiebus. Itaque cum oportet et ex materia illa componere omnia corpora, ex superficiebus tamen componit, vt in lib. de cælo disputatū est. Tertia, quia materiam facit alterationis subiectum, vt aurum operis aurei: cum tamen oportuisset generationis. Ostensum est enim generationis subiectum immediatum esse hanc primam materiam: alterationis autem compositam substātiā, 4. cap. prioris libri, constituit se autem Platonem illam materiā

L pri-

## Liber secundus

primā, alterationis subiectum, ex illo auri exemplo sic deducit Arist. quae enim alterantur, nomen materiæ retinent, ut aureū opus dicitur aurum: quae autem generantur, materiae nomen non retinent, sed forma, ut homogenitus non dicitur esse quatuor elementa, quae attemperata accommodatè sunt proxima illius materia. Deniq; si materia est, in quam ultimo sit diuisio, & resolutio reinaturalis, ut ex definitione illius cōstat ultimo c. primi physici, & explicatum est in disputatione ad 4.c.prioris libri, videtur Plato ipsas superficies materiā primam facere, quia diuidit corpora vsq; ad easdē superficies. Quare ex his cōstat, Platonem non rectè suam de materia prima sententiam explicuisse, neque illi cōgruenter, de corporum resolutione differuisse. Sic Arist. non admittit in Philosophia, vel in explicando improprietatem, vel in vsu principiorum dissentiens aliquid: eò enim tota hæc reprehēsio pertinet. quamvis sententia Platonis suas habet explicationes veras & consentientes, ut ex Philopono & aliis constat.

Text. 6.

**N**Os autem dicimus quādā esse materiam sensibilium corporū, sed hanc non separabilem, verum semper cum oppositione, ex qua sūt vocata elementa. De quibus & si aliis locis exactius disputatum est, tamen quia hoc modo prima corpora ex materia sūnt, de eisdem est etiam nūc differendum. ponētibus principiū ac primum esse materiā

inseparabilem illam quidem, contrariis tamen subiectā: neque enim calidū frigido, neq; hoc illi materia est, sed subiectū vtrique. Itaque primum quidē potentia corpus sensibile, principium: deinde autem contrarietas. Dico autē ut calidas, & frigiditas: tertiu autem simul ignis & aqua, & huiusmodi alia, hæc enim vicissim alterum in alterum mutatur: non vt Empedocles & alij asserūt: neque enim esset alteratio: contrarietas autē non mutantur. Sed nihilominus qualia, & quot sint principia dicendū est. Alij enim his positis vtuntur, sed cur tales & tot sint, non dicunt.

### Explicatio.

**R**efutatis aliorum sententiis, propriā hac propositione cōprehendit: materiale principiū priū est materia inseparabilis à contrarietate, deinde ipsę contrarietas qualitatū, tandem ipsa elementa. Itaq; primum & cōmune subiectū sit materia prima, deinde quatuor elementā cōtrariis affecta qualitatibus sint rerū naturalium proxima & coniuncta materia. Subiectā esse materiā primā illis primis contrariis qualitatibus, hac ratione concludit: contraria eidē subiecto accidunt, quia ab eodem se mutuo expellunt: sed hoc est materia cōmunitis vtrisq;: ergo materia est subiectū contrariorum. Itaq; si clementa

menta vicissim mutantur, secundū contraria, necesse est illis inesse cō munem & primam materiā eandē. sed dices, huiusmodi cōtrariæ qualitates non insunt materiæ primæ, sed substatiæ cōpositæ, vt disputauimus ad cap. 4. prioris libri, falsum igitur assumitur in hac ratione. Respondeo cōtrariorum, quæ sunt accidentia, substantiam compositam esse immediatum subiectum, mediatum verò materiam primā: quia cum sit primum subiectū, ab ea cō municatur substatiæ composite ratio subiecti, sicuti à forma agendi actio, quia est actus: vel, quod est proposito Aristotelis magis accommodatum, contrariæ qualitates hic sumuntur pro formis substantialibus elementorū, quæ sunt nobis ignotæ, & huiusmodi formarū immediatum subiectum est materia prima, vt eod. c. 4. explicauimus: atque ita sensus Aristotelis erit, esse ad generationem elementorum & aliorū naturalium tria principia considerāda: materia prima, quæ in separabilis est à forma, quæ hic dicitur contrarietatis idest repugnantiæ altera pars, vt 1. physico. inter principia & substancias, dicitur esse contrarietas, quia est repugnātia & pri uatio: deinde contrarietates idest qualitates loco formarū substantialium: tandem ipsa elementa, ex quibus proximè aliæ caducæ res naturales fiunt. sumpsit verò pro principio generationis formas elemētorū nomine contrarietatum, & non absoluē formam vt 1. physico. quia acturus est primò de elementorū generatione, cū illis primò & per se conueniat, vt supra admonuit. deinde verò de aliorū mistione cōpositiōne & generatione ex elemētis,

vt cōstabit c. 8. huius libri: huc ferè pertinet Philoponi explicatio. Deinde elementa inuicē mutari, & mutuo generari & interire, quod sumpsit ad concludendā materiam primā eandem, esse communē eorū contrarietatibus, & non esse elemēta immutabilia qualitatibus, vt voluit Emp: hac ratione cōcludit: si elemēta essent immutabilia, non esset alteratio, quia retinerent semper suas qualitates, in quarū mutatione est alteratio: imò vero neque esset generatio eorū, quia alteratio ne qualitatū, fit ad generationē substitutione accommodata præparatio. Vnde constat tria cōstitui ab Arist. respectu mistorum ex elementis, principia materialia, materiam primā, cōtrarietates, ipsa elemēta: sed materiam, vt cōmune subiectum: contrarietates, vt formas elemētorum: & ipsa elementa, vt proximā materiam. & ideo intelligatur duo priora esse immediata elemētorū, quia iis per se primo cōuenit generatio, omnia verò mistorū. De materia autē prima & quomodo ex ea omnia, exactius afferit se alibi disputasse, vt inquit Philop. non de elemētis, vt alij exponunt, quia tam disputatio de elemētis in lib. de cælo, quām hoc loco, conuenienter proposito, omnino accurata est, vt in physica esse potest.

## C A P. II.

Voniā igitur sensi Text. 7.  
 bilis corporis principia querimus, hoc autē tangibile est, tangibile autē id cuius sensus tactus est: manifestū, quod

L 2 non

non omnes cōtrarietates cor  
poris species & principia fie  
ri oportet, sed eadū taxat, quē  
ad tactū pertinent: differunt  
enim non modō contrarieta  
te, sed tangibili etiā contrarie  
tate: neque enim albedo, & ni  
gredo, nec dulcedo & amari  
tudo, neq; vlla denique alia  
sensibilium contrarietatū ele  
mentum facit: nam & si visus  
prior est tactu, ac proinde sub  
iectū quoque prius existit, nō  
tamē est corporis tangibilis,  
qua est tangibile, sed alia ra  
tione: licet fortasse natura  
prius sit.

Text. 8.

Sed primū quæ sint ipsorum  
tangibiliū primæ differentiæ  
& cōtrarietates, distinguendū  
est: cōtrarietates igitur tā  
gibiles hę sunt. calidū & frigi  
dū, humidū & siccū, graue &  
leue, durū & molle, lubricum  
& aridum, asperū & leue, cras  
sum & subtile. Quamquam ho  
rum, graue & leue, neque ef  
fectiua sunt, neq; passiua: non  
enim idcirco dicuntur, quod  
vel quicquam efficiāt, vel ab  
alio patientur: at elementa  
effectiua inter se, & vicissim  
passiua sint oportet: miscētur  
enim inter se & mutantur: est  
enim calidum, quod congre  
gat homogenea: segregare  
enim, quod inquiūt, facere ig  
nem, cōgregare est homoge

ne: accidit enim aliena seiun  
gere. frigidū est, quod cōiung  
it & cōgregat, tū quę cognata,  
tū etiā quę alieni generis.  
Humidū est, quod facile qui  
dē, sed non proprio termino  
definitur: siccū autem suo fi  
ne facile, alieno autē difficile  
continetur.

Text. 9.

Subtile & crassum, lubricū Text. 10.  
& aridū, durū & molle, & aliæ  
differentiæ ex his sunt. Cum  
enim humidū repletuum sit,  
quia nō terminatur, facile au  
tē terminari potest, sequitur  
quocūq; duxeritid, quod tā  
git. subtile autē repletū est,  
ob partiū tenuitatem. Totum  
enim totū tangit, subtile au  
tē maximè tale: quare manife  
stum, quod subtile quidē erit  
humidi, crassum verò siccii.

Text. 11.

Etrursus, lubricū est humili: Text. 11.  
est enim lubricū, id humidū,  
quod aliquid pastum est, vt  
oleum. Aridum siccii est, aridū Text. 12.  
enim, quod perfectè siccum,  
qua propter humoris penu  
ria cōcreuit. Amplius, molle Text. 13.  
humidū est, durum verò sic  
cū: molle enim est, quod cedit  
in se, nec vt humidū mutatur:  
Itaque humidum nō est mol  
le, sed molle ad humidum re  
fertur, vt durū ad siccum. Du  
rum enim concretum est, &  
concretum siccum est.

Text. 14.

Siccū autē & humidum mul  
tis

tis modis dicuntur: nam siccō  
opponitūr humidū & madidū:  
& humido siccū & concretū:  
quæ omnia ad humidū & siccū,  
quæ primo dicta sunt, referuntur.  
Quoniam enim madido opponitūr siccū,  
& madidū est, quod in sumo alienā  
habet humiditatē, humidū autē est,  
quod in intimo, siccū verò quod hac hu-  
miditate caret, dubiū non est,  
madidū ad humidū, & siccū  
oppositum madide, ad pri-  
mū siccū esse referenda.

**T**ext. 15. Rursus, humidū & concre-  
tū eodem modo: humidū  
enim est, quod propriū humo-  
rē in profundo habet: con-  
cretū quod tali humore ca-  
ret, quare illud ad humidū,  
hoc ad siccū refertur. manife-  
stūr igitur cæteras omnes  
differentias ad quatuor pri-  
mas reuocari, sed has non itē  
in pauciores: neque enim  
calidū humidū est aut siccū,  
neque humidū calidū vel  
frigidū: nec frigidū & siccū  
sibi inuicem, aut calido  
& humido subiiciūrur. Quare  
has differentias quatuor esse  
necessē est.

**T**Capitis secundi explicatio.  
**Q**uoniam veteres physici, qua-  
dam contrarietates in prin-  
cipiis & elementis numerauerunt,  
neq; tamen ylla ratione confirma-

runt, cur essent huiusmodi contra-  
rietates, & quot essent: Arist. vt sciē-  
tifica sit hēc doctrina, hæc omnia  
demonstrare conatus est, ad elemē-  
torū numerum inuestigandū. Erit  
igitur capitī propositū, de nume-  
ro contrarietatū, quibus ut formis  
elemēta constituuntur & distingū-  
tur, differere. vnde hæc sentētia cō-  
cluditur & demonstratur toto c. ele-  
mēta qualitatibus tangibilibus cō-  
trariis & primis, constituenda sunt  
& distinguenda. Qualitatis primæ  
dicuntur, quia ex his alię, quibus op-  
ponuntur secundę, quę ex his ortae  
sunt illę primę, vel actiua sunt, vt ca-  
lor, frigus: vel passiuę, vt humor sic-  
itas, reliquę omnes ex illarū per-  
missione oriūrur. Quāuis autē sint  
omnes qualitates accidētia, hic ta-  
mē pro formis substantialibus ele-  
mentorū, nobis ignotis, nō tantum  
ideo usurpantur, quod nobis sint no-  
tiores: sed etiā quod fint accōmo-  
date ad explicandū, cur elementa  
sint actiua & passiuę, ad perficiendā  
generationē & interitum. Ratio cō-  
clusionis prima sic potest disponi:  
prima corpora sensibilia primis  
qualitatibus sensibilibus distinguē-  
da sunt & constituenda: elementa  
sunt prima corpora sensibilia: pri-  
mis ergo qualitatibus sensibilibus  
constituātūr & distinguātūr: & quia  
huiusmodi primę qualitates tāgibi-  
les sunt, his tantū erit elementorū  
constitutio & distinctio, non autem  
aliis, quę aliis sensibus, vt gustu,  
aut visu percipiūrur. quamuis enim  
visus tactu prior sit natura, id est di-  
gnitate & perfectione, vt multis dis-  
putatur principio metap. & ideo  
subiecta visibilia, id est obiecta visi-  
bilia & colores: eodē modo tāgibi-  
libus qualitatibus priores sunt, sim-

## Liber secundus

pliciter tamen tactus visu prior est,  
& tāgibilia visilibus: cū eo abla-  
to, ceteri sensus auferantur, ceteris  
verò ablatis, ipse nō necessario au-  
feratur: quia primo constituit ani-  
mal sensituum, vt ostēditur lib. 3. de  
anim.c.vlt.deinceps ostendit, quæ  
nā sint huiusmodi qualitates primæ,  
quibus elementa distingūtur, nem-  
pè calorē, frigus, humorē, & siccī  
tatem, & ideo esse primas, quod ex  
his sint alię, & ad eas reuocentur.  
Quare si primis qualitatibus prima  
corpora distinguntur & constituū-  
tur, & illæ quatuor sunt primæ, illis  
quatuor distinguentur: cùm primis  
qualitatibus, prima corpora sint ac  
cōmodata subiecta. Altera ratio  
cōclusionis est, quia elementa sunt  
actiua & passiua, (cū misceri & mu-  
tari inter se possint, & mixtio atq;  
mutatio sint inter cōtraria, vt con-  
stat vlt. 1. de gener. & 1. physi.) ergo  
illis quatuor qualitatibus primis  
aptè distinguentur: quia ex his duæ  
sunt actiue, calor & frigus, duæ autē  
passiue, humor & siccitas, & per hu-  
iusmodi qualitates elementa sunt  
actiua & passiua. ceteræ qualitates  
nō sunt ex se actiue, aut passiue, sed  
quatenus participant primas. acti-  
uas & passiwas ex definitione osten-  
dit: quia calidum concernit per se  
cognata, ex accidenti secernit: quia  
aliter nequit concernere ex cōfusis  
cognata. frigidū cōtrā. humidū fa-  
cile alieno, difficile proprio termi-  
no coercetur. contrā siccum. at cō-  
gregare est agere, terminari est pa-  
ti. Tādem reliquo c. probatur quod  
prius assumptū est, illas quatuor tā-  
tum qualitates esse primas. Ratio  
sic cōcludatur: alię omnes qualita-  
tes ad illarū quatuor aliquā redigū-  
tur, vt ad principium ex quo: ipsę ve-

rò neq; ad alias, neque inter se ad  
pauciores: ergo illę tātum quatuor  
sunt primæ. Antecedens inductio-  
ne primo ostēditur, reducēdo quas  
dā qualitates alias ad aliquā ex pri-  
mis: sed non est in omnibus, quę re-  
duci possunt, facta inductio, sed in  
quibusdā, vt ad earum similitudinē  
reliquas redigere possimus. Secun-  
do ostenditur, illas quatuor ad pau-  
ciores inter se, vel ad alias redigi  
non posse: reducitur igitur tria pa-  
ria qualitatū ad primas, nempè sub  
tile & crassum, lubricū & aridū,  
molle & humidū. enumerauerat au-  
tē prēter hæc paria, & illa duo, gra-  
ne & leue, asperum & lene. Subtile  
igitur ad humidū ea ratione reduci-  
tur: quod omne repletū sit humili-  
dū, (quia facile alienum terminū  
sequitur, & continent omni ex par-  
te accōmodatur.) subtile autem re-  
pletium est obtenuitatem partiū,  
vt si in modium nucibus plenū sili-  
ginē coniicias, omnia inania reple-  
bit filigo: quia ambienti, quod tan-  
git, omni ex parte adhēret, & ipsum  
sequitur, quia exiguae partes ha-  
bet: subtile igitur ad humidū refer-  
tur: & oppositū ad oppositū, ratio-  
ne cōtrarietatis. deinde lubricum,  
quod etiā lentum & viscosum dici-  
tur, sub humido, ideo inquit, cōtine-  
ri, quia humidū, quadam affectio-  
ne cōmutatum lētum efficitur. Ea  
verò affectio, ex eo dignoscitur,  
quod à tangētibus non facile diuel-  
latur, vt viscum, oleum, pix liquida.  
Aridū lento oppositum, ratione cō-  
trarietatis, ad siccum refertur: quia  
huiusmodi aridū humoris defectu  
cōcrescit, & ideo friabile fit, quod  
facile frangi potest. Tertio molle  
sub humido collocatur, durum sub  
siccō, quoniam molle præmēti ce-  
dit,

dit, quæ est huiusmodi proprietas: latius tamē patet humidum: qua m molle: hoc enim est humidū cū qua dam affectione, quæ cognoscitur ex eo quod molle non transfertur facile, & humida aqua transfertur. Durum contra, quia præmenti non cedit, siccum refert: quia congelatum siccum est, cum difficile alieno termino coerceri, facile autem possit proprio: durum autem congelatū est, erit igitur siccum. Sed quoniā humidum multis modis dicitur, & siccum, hęc ipsa distinguit, vt humili de quo agitur distinctè percipiat. dici autē multis modis illa regula Topicā. c. vlt. i. Topic. concludit, cum eidē plura opponuntur, ne cessē est ipsum multiplex esse, & ambiguum, vt illis omnibus altera ex parte, secundū propriam cuiusque oppositi rationem, respondere possit. vt graui opponitur acutū in voce, & leue in propensione & momento ad locum, graue igitur multiplex erit. similiter acuto opponitur graue in voce, in mole obtusum, in sapore dulce, quare acutū dicitur æquiuocē. Sic ergo concludamus, ea quibus multa opponuntur, æquinoca sunt, & multis modis dicuntur: sed humido & sicco multa opponuntur, humido quidem siccū & concretū, sicco humidum & madidum: humidum igitur & siccum æquinoca sunt. Æquiuocatio autē hoc modo distinguenda est. Humidum vel in extrema superficie tantū humorem continet, vel in profundo tantū, & non insuperficie, vel omnino per totum: humorē autem vel alienum, vel insitum & proprium. Madidum igitur est, quod in summa superficie alienū humorē habet, vt cum lapidi humorē,

aut tunicæ, aut cuti infundis: quod autem in profundo, id nos vdu vocauimus, alij humectū: quod si eisdem partibus insitū habeant, & propriū humorē, alia ratione humida dicūtur, quæ vno nomine accommodatè exprimere non possumus. absolutè tamen humidum dicetur quod omni ex parte propriū humorē retinet, & hoc est primū ad quod cetera reuocātur, cui opponitur absolutè siccū & primum, quod omni ex parte, propria siccitate affectum est. Madido similiter, & vdo siue humecto, opponūtur siccā, illi quidē quod summa tantū superficie siccū dicitur: huic autē, quod in profundo siccū est, quæ propriis nominibus distingui non possunt. Arist. priuatuum humidi ex proprio humorē profundo dicitur congelatū vel concretum, idest, τὸν υγρὸν ἐπεγκένειον τὸ πεπηρός, & humili quod vdu vocauimus sicut, idest, τὸν βεβαρμένον επεγκένειον ἔγραψεν, siccum autem primum, vocat absolutè siccū, ad quod cetera siccā rediguntur, & similiter dici potest primum humidum, ad quod cetera referuntur.

Ostensum est haec tenus, ideo esse quatuor primas qualitates, quod ceterę ad illas redigātur: tandem ostenditur, easdē quatuor ad pauciores inter se, redigi nō posse, & ideo tantū esse quatuor: aut enim contraria qualitas ad contrariā reducetur, aut ad eā, quæ contraria nō est: sed vero uis modo reductio impossibilis est: nulla igitur ad alterā reducitur. Assumptionis deductio manifesta est: quia vnum contrarium sub altero, ad quod reduceretur, contineri non potest, vt calidum sub frigido, humidū sub sicco. quod si calidū ac siccū per se referatur, omne sic-

3

cum calidū esse oporteret, cū tamē terra sicca sit & frigida : similiter, nec calidum ad humidū reuocari potest, quia omne calidū humidū esse oporteret, cū tamē aqua sit frigida & humida. eadem via & ratione concluditur, siccū sub frigido esse nō posse, quia ignis calidus est & siccus: neq; sub calido, quia aër calidus est, & humidus, nō autē siccus. Idē omnino conficietur, si ordine conuertas. Demonstratū igitur est elemēta, cum sint prima corpora sensibilia, ex primis qualitatibus rāgibilibus distingueāda esse, tanquā ex propriis formis : & has primas qualitates, quatuor tantū esse, calore, frigus, humorem & siccitatem.

## C A P. III.

**T**ext. 16.  Ed quoniā elemen-  
ta quatuor sunt, &  
ex quatuor, sex om-  
nino copulationes,  
nec contraria copulari apta  
sunt: ( nihil enim calidū & idē  
frigidū, nec rursus siccū idem  
que humidū esse potest) mani-  
festū, quod elementorū qua-  
tuor copulationes erūt: cali-  
di & siccī, calidi & humidī: &  
rursus frigidi & siccī, frigidi &  
humidi: quę proportione con-  
sequūtur corpora, quę simpli-  
cia videntur, ignem, aerem,  
aquam & terrā. Ignis enim ca-  
lidus est & siccus: aer calidus  
& humidus, est enim vapor:  
aqua frigida & humida: terra  
frigida & sicca, vt merito dif-  
ferentię primis corporibus di-

stribuantur, & eorū numerus rationi consentiat.

Omnis enim, ij etiā qui cor- **Text. 17.**  
pora simplicia elementa fa-  
ciūt, alij vnū, alij duo, quidam  
tria, nōnulli quatuor faciunt:  
qui ergo, cū vnum tantum es-  
se dicant, dēsatione prētereā  
& rarefactione cætera gene-  
rant, iis duo principia, hoc est  
rarū & densum facere vsu ve-  
nit, vel calidū & frigidum: hęc  
enim effectua sunt, vnum au-  
tem veluti materiam subiici.

Qui autē statim duo faciunt, **Text. 18.**  
vt Parmenides ignē & terrā,  
ij, quę media sunt aerem &  
aquam, ex his aiunt tempera-  
ta esse & mista.

Eodem modo qui tria esse di- **Text. 19.**  
cūt, vt Plato in diuisionibus,  
mediū enim temperatū facit:  
eadē fere dicunt, qui duo, &  
qui tria faciunt: nisi quod illi  
quidē in duo diuidūt, mediū:  
hi autē vnum solū faciūt. Qui-  
dam statim quatuor esse affir-  
mant, vt Empedocles, qui ta-  
mē in duo cōtrahit, igni enim  
omnia alia cōtrariè opponit.

## Capitis tertij, explicatio.

 X qualitatibꝫ primis,  
quę pro differentiis &  
formis elementorum  
assumuntur, vt actiua  
sunt & passiua, simpli-  
ciū corporum, quę elementa dicun-  
tur, numerus hoc c. 3. concluditur:  
vnde & ipsas qualitates primas, ele-  
menta

mēta vocat principio capitis, quod sunt principia elementū, & omne elementū principium etiā dicitur, & inter principia c. i. numeratur. est igitur capitis totius hēc sententia, quatuor tantū sunt elemēta. Ratio-nes duę sunt, yna ex qualitatum co-pulatione, hoc modo conclusa: ex primis qualitatibus, quas quatuor tantū esse demōstratum est, elemēta distingūtur & constituūtur, (quia sunt eorū differentiæ, ut habēt vim agendi & patiendi:) sed quatuor tan-tū sunt illarū qualitatū constantes copulationes: quatuor igitur tantū erunt elemēta. assumptio inductio-ne & diuisione ostenditur, cū enim quatuor sint qualitates, & duo pa-ria ex illis cōtraria, vel copulantur contraria inter se, vel quę cōtraria nō sunt: contraria copulari non pos-sunt, quia sunt intēsa viribus & gra-du, cū syncera sint, & ex per mistio-ne contrarij sit remissio, vt lib. i. ostēsum est, quare duę copulatio-nes cōtrariorū, nempē calidi & fri-gidi, humidi & siccī inconstantes sunt: reliquę autē tantum sunt qua-tuor, calidi & siccī, calidi & humi-di, humidi & frigidi, frigidi & siccī: erunt igitur quatuor tantū elemen-ta eisdē qualitatibus distincta. q. d. ex qualitatibus primis elementa, quia habentur pro differētiis: earū qualitatum sex possunt esse copula-tiones, ex quibus duę, quia ex cōtra-riis intēsis constare nō possunt, reliquę igitur sunt quatuor, ex his ve-rō elementa tantū quatuor existūt, hēc quidē ratio cōcludit nō solum elemētorum numerū, sed etiā quę nā qualitates singulis elemētis at-tribuātur, si adhibeatur tactus, quo qualitates primę sentiūtur. sed de aēris qualitatibus, quod sint magis in cōtrouersia posite, hēc ratio ad-

iungitur, aer est vt exhalatio & va-por: est igitur calidus & humidus, cū enim vi caloris exhalatio ex hu-more ascēdat, habeat necesse est ex calore efficiēte insitū calorē, & ex materia, à qua educitur humorem. sed de his qualitatibus elementorū plura in disputatione. Altera ratio pro definito elementorū numero est testimoniū veterū physicorum. omnes enim, quāuis in numero prin-cipiorū dissentiant, ad quatuor ele-mentorū numerū progressi, neque pluraneq; pauciora elemēta consti-tuūt. Itaq; licet veteres in eo ve-hemēter errauerint, vnde ostēdimus i. physico, quod elementa hēc qua-tuor, vel omnia vel quēdā pro prin-cipiis surparūt, quasi idē esset prin-cipiū rei naturalis, & elementū cor-poreū, cū illa sint prima, ex quibus hēc elemēta cōponuntur: in nume-ro tamen elementorū, quasi ab ipsa varietate inducti consentiūt, vt ex eorū opinionibus constat. Quidam enim veteres, vnū aliquod ex qua-tuor elemētis principiū asserētes, raritate & dēsirate, vel calore & fi-gore efficientibus raritatē & densi-tatē, tamquā efficientibus, & uno elemēto pro materia prima lūpto, primū reliqua tria elementa gene-rāt: deinde ex quatuor elemētis ra-ritate & densitate effectis, reliqua omnia naturalia: vt ex aere, aqua, vel igne (nullus enim terram solam principiū statuit, vt i. physico ostēsum est) si aer sit densior aqua, si ad-huc densior terra, si rarioer sit ignis, tū ex omnibus quatuor reliqua mi-sta fiūt. Qui autē duo elementa, vt Parmenides ignem & terrā, princi-piū materiale asserūt, ex his attem-peratis generāt primō alia duo me-dia elemēta, aerem & aquā: deinde ex his quatuor elementis, reliqua

omnia naturalia. huic sententiae Parmenidis non repugnat altera, que i. physi. refutatur, principium rerum omnium esse unum ens immobile: nam is ex propria sententia & Theologice, ille dum vnum principium induxit: secundum opinionem vero, duo illa elementa rerum naturalium materiam constituit, ut ostendimus i. physic. Parmenidi, subiungit Aristoteles. cōsentire Platonem, sed non omnino: non enim Plato aliquod ex elementis asseruit, esse primam & communem rerum naturalium materiam, ut Parmenides: sed ut Parmenides duo ex quatuor elementis pro materia constituit, deinde alia duo elementa ut medium quoddam ex illis duabus attēperatū efficit: sic Plato in divisionibus, tria principia constituens, materiam, magnū & paruum, magnum quidem & paruum contraria prima esse vult, materiam autem veluti medium attēperatum & mistum: non quod materia fiat ex magno & parvo mistis, sed quod in ea magnū & paruum ea ratione misceri dicantur, quod ea successione recipiat, cū quanta sit & dimensa: hanc vero Platonis sententia in operibus scriptis non legimus, sed in dogmatis non scriptis haberi, qui est liber divisionum de his dogmatis ab Aristotele scriptus ex Alexander Philoponus, & certe huius libri de dogmatis non scriptis meminit Aristoteles. 4. physi. denique ultima sententia de numero elementorum est Empedoclis, qui distinxit quatuor elementa vulgata, sed ex his asseruit ignem calidum esse, cetera tria, veluti frigida ignis opposuit: & ea ratione videtur ad duo elementa reuocasse quatuor, nempe ad calidū & frigidū, sed calidū esse ignem unum, reliqua frigida.

Si ambo

J

**I**gnis autem & aer, & vnum Text. 20. quodque eorum, quod diximus, non est simplex, sed mixtū: nam simplicia sunt illa quidem talia, non tamen eadē. ut quod ignis simile est, igneum, non ignis est: & quod aeri, aereum, similiter autem & in aliis.

**I**gnis autem est caloris excessus, Text. 21. ut frigoris glacies. congelatio enim & aestus excessus quidam sunt, altera frigoris, alter caloris. quod si glacies est humidi & frigidi gelatio, ignis etiam calidi & siccii aestus & feruor erit. quo circa, neque ex glacie, neque ex igne quicquam generatur.

**C**ū ergo corpora simplicia Text. 22. quatuor sint, bina sunt vtriusque loci: ignisquidem & aer eius, qui ad terminum fertur: terra autem & aqua eius, qui ad medium. ignis & terra extrema sunt, & maxime sincera: aqua & aer media, & magis mixta, & vtrique vtriusque contraria. Nam ignis aqua contraria est, & terra aeri: quia haec ex contrariis affectionibus constant.

**V**erum simpliciter, cum quatuor sint, unumquodque vius erit. Terra enim siccii magis quam frigidi: aqua vero frigidius magis quam humidi: aer autem humidi magis quam calidi: ignis vero calidi magis quam siccii.

Expli-

*Explicatio.*

**R**EQUIO cap. sententia prius cō  
prehēsa, quibusdam notatio-  
nibus, exactius distinguitur. Prima  
est: elemēta, quē sunt apud nos, syn-  
cera & impermista non sunt, qualia  
his quatuor qualitatibus calore, fri-  
gore, humore & siccitate distinxim-  
us, vt nullum retineret alterius  
elementi qualitatē: sed sunt permi-  
sta aliis elementis, & ab eo, quod su-  
perat & vincit reliqua, appellatio-  
nem habent: vt ignis dicitur, quia  
apud nos sit igneum quoddam, si-  
militer de aliis elementis afferen-  
dum est, vt glaciem dicimus non  
elementum aliquod, sed mistum,  
in quo excellit frigus: sic ignem in  
quo excellit calor. Ob huiusmodi  
autem excessum sit, vt neq; ex gla-  
cie, neque ex igne nostro quicquā  
generetur, sicuti neque ex uno ele-  
mento quicquam fieri potest mi-  
stum: cum misti qualitates attem-  
perari oporteat: quē tamen excell-  
lunt in glacie & nostro igne. Asse-  
rit tamen Aristot. in lib. de histo.  
anim. in nostro igne generari qua-  
dam bestiolas, sed id rarum est: na-  
turalia autem, de quibus in physica,  
plerumque & magna ex parte cue-  
niunt. Philop. permista inquit vo-  
cari hic ab Aristot. elementa, quōd  
sint ex materia & forma composi-  
ta, nō quia synceras qualitates apud  
nos non retineant. Sed licet vera sit  
sententia, verbis tamen Aristotelis  
omnino repugnat: quia inquit ignē,  
qui nobis dicitur, non esse ignem  
elementum, sed igneum: id vero  
nulla ratione potest compositioni  
materiæ & formæ accommodari:  
cum ignis etiam syncerum elemen-  
tum, eandem necessariò compo-

sitionem habeat, vt res naturalis.  
Altera notatio est de locis elemen-  
torum: duo enim superiora ad lo-  
cum superiorem, qui est terminus  
mundi, vt levia feruntur: duo infe-  
riora ad medium & centrū, vt gra-  
uia: sed ex illis, alterū est leue sim-  
pliciter, alterum quodammodo: &  
ex his, alterū graue simpliciter, al-  
terum quodammodo, vt 4. lib. de  
cælo ostensum est. Tertia notatio  
est, quamvis singulis elementis bi-  
næ qualitates sint attributæ, vnum  
quodque tamen elementorum ma-  
gis obsignatur & distinguitur alte-  
ra ex illis, vt ignis calore, aer hu-  
more, aqua frigore, terra siccitate.  
de huius autem intelligētia aptius  
in disputatione & vberius.

*Disputatio de qualitati-  
bus, & elementis.*

*Prima questio generalis, an  
quatuor sint qualitates pri-  
ma, dua actiua, & duas  
passiva.*



Elementorum natura,  
quatenus vim habent  
agendi & patiendi, &  
ideo viciissim generātur  
& intereunt, quæ est ratio differen-  
di de elementis huius libri propria,  
exactius expēdatur, primū de ipsis  
qualitatibus differendum videtur:  
quōd ex illis tota vis agēdi & patiē-  
di, ad elementa deriuetur. De qua-  
litatibus autē erit primū generalis  
questio, deinde specialis de singu-  
lis. Ad priorē igitur questionē sunt  
hę rationes dubitandi. Prima, sunt  
aliæ qualitates, illis quatuor, quę  
prime

primæ dictæ sunt, priores, ille igitur  
absolutè nō sunt primæ. antecedēs  
cōstat de cælesti lumine, & que di-  
citur influentia, astris singulis attri-  
buta. neq; obstat, illas quatuor esse  
sensibiles, cū lumen etiam cælestē,  
visu sensibile sit. Sunt præterea aliæ  
qualitates, que ex his nō fiunt, neq;  
ad eas reuocantur, que dicuntur spi-  
rituales & occultæ, vt qua magnes  
trahit ferrū, aqua reuocat se adfri-  
gitudinē, cum calfacta est: ergo illæ  
quatuor non sunt omnium primæ.  
Alia ratio dubitandi concludit ex  
illis quatuor qualitatibus, non esse  
duas actiuas, & duas passiuas. Est  
ergo tertia ratio dubitandi: elemē-  
ta vicissim agunt, & patiuntur ra-  
tione primarū qualitatum, quibus  
affecta sunt: ergo & ipsæ qualitates  
sunt vicissim actiuæ & passiuæ, cū  
per eas fiat actio, & passio. Confir-  
matur primo, quia contraria, in qui-  
bus potest esse proportio maioris  
inæqualitatis, secundum quam est  
omnis passio & actio, vt 7. physic.  
ostensum est, mutuo agunt & patiū-  
tur: sed in quatuor primis qualitati-  
bus vicissim potest esse huiusmo-  
di proportio: vicissim ergo sunt  
actiuæ & passiuæ, & non quædā de-  
terminatè actiuæ, quædam deter-  
minatè passiuæ, vt ostensum est ab  
Aristo. confirmatur 2. quia experi-  
mur sēpē calidū pati à frigido, sive in-  
catur: item humidum à sicco, & cō-  
tra: omnes igitur illæ qualitates  
mutuo sunt actiuæ & passiuæ.

Ad hanc dubitationē Galenus 1.  
lib. de facul. responderet ex sententia  
Hipp. calorem & frigus in plantis  
& animalibus magis agere, & ideo  
esse actiuas: minus autem frigus &  
humorem, & ideo esse passiuas. Ve-  
ra quidem sententia & suo proposi-

to consentanea, sed nō est vniuersa-  
lis, vt oportet esse in hac doctrina,  
que agit de omniū mistorum gene-  
ratione. quare respōdeamus vniuer-  
saliter ex sententia Philop. com. 8.  
in omniū mistorū generatione fri-  
gus & calorē vim agēdi habere: hu-  
morē & siccitatē patiendi: abso-  
lute tamē siue in elementis, siue in  
mistiisque inter se conferuntur, vi-  
cissim actiuas esse & passiuas. Ratio  
primi est, quia materię propriū est  
pati & recipere: sed in generatione  
misti humidū & siccū sunt mate-  
ria, calor & frigus vt formæ & actus:  
ergo illæ sunt qualitates passiuæ, hæ  
verò actiuæ. Probatur assumptio,  
quia misti corpulētia est à duobus  
elementis terra & aqua, in aqua vi-  
get humor, qui per se difficit, & nul-  
lo termino coeretur, & ideo terre  
cōmīstus, efficientia caloris & fri-  
goris concrescit, duratur & consi-  
stentiā accipit: terrea si quidē calo-  
re, aquæ frigore concrescunt per  
se: ergo in generatione misti ex ele-  
mentis, calor & frigus vim agēdi ha-  
bēt, humor & siccitas patiendi. quo  
modo autē ex his qualitatibus, que  
dā maiorē habeant vim in agendo,  
quam in resistendo, postea explicab-  
itur. Ratio secūdi, est ratio dubitā-  
di tertia cū suis confirmationibus,  
hæc enim omnia tantum ostendūt,  
qualitates illas quatuor vicissim  
aliquando agere & pati. quod si quis  
nobis obiiciat, hanc responsonem  
cū doctrina Arist. non consentire,  
quia principio 4. meteorologici  
planè affirmat, humida & sicca, tū  
ipsa per se, tū quæ communiter ex  
utrisque concreta sunt corpora, ter-  
minari, & aliis que dictæ sunt quali-  
tatibus, affici: quod nihil est aliud,  
quam eas qualitates, nō solū in ge-  
neratione

vicomerc. 4. neratione misti, sed ipsas per se ter  
 meteor. c. 1. minari & pati: respondent quidam,  
 omnes illas quatuor qualitates,  
 vim habere agendi & patiendi, sed  
 calorem & frigus magis agendi, &  
 ideo esse actiuas: humorē & siccit  
 atē magis patiendi, & ideo esse pas  
 siuas: & inter actiuas, maiorē vim  
 agendi esse caloris, quā frigoris: cu  
 ius signū est quod ignis omnia alia  
 elementa in se conuertit, & calefa  
 ciendo mutat: & inter passiuas, dif  
 cilius humidū à sicco patitur, faci  
 lius siccū ab humido, vt pumex ab  
 aqua citius humectatur, quam ipsa  
 à pumice exicetur: & hac ratione  
 qualitates per se & non tantum in  
 generatione, & alteratione, quę prę  
 cedit compositionē misti, esse acti  
 uas & passiuas: sed in misto hanc  
 vim agendi & patiendi aperteū de  
 prehendi, quia humidū & siccum,  
 à calido & frigido, plura in illius  
 generatione patiuntur. sed certe ne  
 que hæc responsio cum Aristotele  
 omnino consentit: inquit enim Ari  
 stot. duas qualitates passiuas esse  
 ex se, & non tantum ratione misti:  
 quod nihil aliud est, quam per se es  
 se passiuas, & non tantum passionē  
 illis conuenire in misto: hæc autem  
 responsio non asserit per se esse pas  
 siuas, sed passiuas & actiuas, ma  
 gis tamen passiuas. Quare respon  
 dendum esse videtur, ex sententia  
 Aristot. illas duas qualitates esse  
 passiuas, humorē & siccitatem,  
 quia suaptenatura terminētur, alte  
 ra proprio, & altera alieno termi  
 no: terminari autem est quoddam  
 pati: quod autem aliquando habeat  
 vim agendi, id non ex se, sed ex pro  
 portione graduū, quibus alias  
 qualitates vincunt, prouenit. Arist.  
 autem considerauit, quod est per

se, & non id, quod ratione alterius  
 contingit: id autem quod per se il  
 lis conuenit, in generatione misti  
 etiā reperitur aperteū, vt illa ver  
 ba Arist. citata ex principio quarti  
 metereologici ostendunt, & hoc  
 modo sententia Philoponi à nobis  
 adducta, vera omnino fuerit.

Ex his cōstat responsio ad tertiam  
 rationē dubitandi, & eius confirma  
 tionē: illę enim tantū probant, ra  
 tionē proportionis maioris in æqua  
 litatis omnes quatuor primas qua  
 litates interdū habere vim agendi,  
 interdum patiendi. Arist. autem as  
 seruit, ex illis duas tantum ex se, &  
 in compositione misti habere vim  
 agendi, duas patiendi, vt ostensum  
 est. Sed in prima etiam ratione du  
 bitandi inquiritur de qualitatibus  
 cælestibus, lumine & influentia, &  
 de iis, quę occultae dicuntur, an sint  
 priores his quatuor actiuis & passi  
 uis, vel ad eas reducantur: sed faci  
 lis est respōsio, hic enim de primis  
 qualitatibus, quę vim habent agen  
 di & patiēdi & distinctā & recipro  
 cā differit, ad explicandas causas  
 generationis mistorū: lumen vero  
 cæli, & in fluentia, si quę esset à lu  
 mine distincta, non potest habere  
 vim agendi & patiendi reciprocā  
 in generatione misti: cū sit qualitas  
 cælestis, quę ab inferioribus pati nō  
 potest. Quamuis enim in generatio  
 ne misti dixerimus, duas agendi, &  
 duas patiendi vim habere, tamen  
 dubium non est, in hac ipsa genera  
 tione, eas, quę vi agendi pollēt, cō  
 tra pati: vt omnibus redactis ad me  
 diocritatem quandam, fieri possit  
 misti temperamentum. & præ  
 terea ostendimus, has ipsas qualiti  
 tates interdum mutuò agere & pa  
 ti, utriusque autem firmamentum  
 est,

Liber secundus

est, quia affecta his qualitatibus subiecta, materia eiusdem rationis comunicant, in quibus si adsint contrarie qualitates, reciprocā potest esse actio & passio, ut sēpē dictū est libro priori c. 6. Qui autē respondent, qualitates cælestes nō esse primas in genere, sed supra genus, quia non sint contrarie, quae primē hic dicuntur: vera quidem dicunt, sed principium petere videntur. Qui enim inquirit, an qualitates cælestes sint priores his quatuor cōmoranatis, illud sanè dubitat, an sint primē in eodē genere qualitatis: unde, qui respōdet, nō sunt in eodem genere, videtur principiū petere & illud respondere, quod erat in questione positū: aperta est etiā ex c. 2. responsio. hic inuestigari qualitates tangibles, quibus elemēta formantur, quatenus actiua sunt & passiva, & ex his quatuor esse primas ostensum est. lumen autē & influentia cæli, & quae in mistis à quibusdā dicuntur qualitates occultæ & spirituales, non sunt tangibles qualitates, quibus elementa formari & distingui possint.

Sed quoniam nō est aliena disputatio, de his qualitatibus cælestibus & aliis occultis, cum à quibusdā in genere qualitatū numerentur, non fuerit extra rē, de his quoq; paucis differere. Cælo igitur prēter motū conuersionis, quē sensu & sensibili bus instrumentis deprehendimus, quidā tribuunt lumen, calorē & influentiam à lumine re ipsa distinctā & insensibilē. & de lumine quidem nulla dubitatio est, cum illud per aerem diffusum experiamur: neque de calore, cū in eo animatiū vitā positā esse omnes affirmēt. influentiā autem quasi intentionalem ab

his distingui cōfirmant pleriq; p̄fertim Astrologi, tamē quia in vicinibus terræ multa fiunt, quae non tribuūtur calori & luminī astrorū: tū etiam quia ex coniunctione syderū, aliquando inquiunt hieme calor vigeret, æstate frigus insolitus, quod huiusmodi influētia apta sit, aerem calidū, vel frigidū reddere. Deniq; ex huiusmodi influētia, immitti plerumq; etiam in homines propēsiones ad diuersa studia & mores, & hoc volunt esse diuinatricis Astrologiē firmamentū. Esse etiā prēter qualitates primas elementorum, & ex his ortas, in rebus naturalibus, quasdā qualitates spirituales, occultas tamen, ex effectis, quae ad qualitates primas aut secundas nō videntur reuocari posse, ostendunt plerique. Huiusmodi enim qualitate à magnete trahi ferrū, à succino paleas, à rhabarbaro bilē, & similiiter ab aliis medicamētis purgantibus alios humores. in metallis etiā & plātis esse effecta pleraq; quę ad has qualitates reuocātur: imo vero videntur pleriq; philosophi, in causā naturalium inuestigatione, ad huiusmodi qualitates occultas, tāquā ad asylū ignoratię confugere, & idcirco merito dicuntur occulte. Ad hæc omnia responsio vera & Peripatetica nobisvidetur esse, nullā esse in cælestibus corporibus influentiam à lumine & motu re ipsa distinctam, sed ratione tantum: neque in rebus naturalibus huiusmodi qualitates spirituales, quas occultas vocāt, ab elementaribus distinctas, admittendas esse censemus. Itaque secundum hanc sententiā, cælo conuenit motus & lumē & calor, vel qui ex lucētibus astris per terrās in his inferioribus producitur,

vel

vel qui conuersione cælesti deferente secū sphæram ignis attritu corporum efficitur, & ab his pro vario syderū situ, & configuratione, esse etia varia proueniunt: quorum ratione idem calor, vt accōmodatus ad illa omnia efficiendū, influxus qui dam vel influentia dici potest. Quare concludamus omnes effectus, quos influentiis tribuunt, aptius calori cælesti tribuere possumus: superuacaneum est igitur influentiā cæli ab eodem calore re ipsa distinguere. Antecedens constat, quia ex tententia Aristo. expositore Auerr. 2. cæli com. 42. omnes stellæ efficiunt calorem: sed ideo quædam dicuntur influere frigus, quædam humorem, quædā siccitatem, vel quia illas qualitates efficiunt proportione & respectu quodā, non tamē simpliciter: vel quia mediatè. Ratio primi est, quia ex varia syderum configuratione calorem efficiunt, nunc frigidiorē respectu alterius, nunc humidiorē, nūc sicciorē. Ratio secūdi est, quia calor cælestis extra hens vapores ex humectis corporibus subiectis, generari efficit in media aëris regione frigida: vnde hæc inferiora frigus concipiunt, vel aëre frigidū in septentrionali parte: quare omnes illæ qualitates a cælestibus corporibus sūt, vel ex respectu & proportione, vel mediatè. Quod autē quidam, varias hominū propensiones, mores & studia, ad influentiā cælestem tantum reuocant, & ex illis de eisdem iudicant, certè valde inconsiderate efficiunt, quod volunt: est enim aliqua vis cælestium corporum in corpora inferiora, quatenus afficiuntur qualitatibus illis virtute cælesti impressis: sed si ad recipiendū apta sint. actus

enim non potest recipi nisi in patiente disposito & præparato: hæc autē præparatio est materiæ inferioris, & causarum inferiorum: qui de inferioribus igitur ex sola cælesti impressione iudicant, verè nunquam iudicare possunt: quia omittunt materiæ & tempetamenti cuiusque patientis impressionē, naturam & considerationem. cum tamen verè ostēsum sit à Philosophis præsertim Galeno, quod mores animi corporis tēperiem sequātur. qua omissa, diuinatrix Astrologia, totā considerationē ad impressionē cælestem reuocat: vt qui aliquid efficere conātur, nulla materiæ habita cōsideratione, nihil vñquam efficere possunt. quod sūpè in aliis obseruatū est ab Auerr. & à Cardinali Contarino, lib. 2. de element. in fine, sed à nobis amplius confirmatū. Similiter de qualitatibus illis occultis dicendū est, eas non distingui re ipsa ab elementaribus, vel potētiis naturalibus, quæ essentias rerū naturaliter consequuntur: sed quia ratio efficiēdi quodā effectus, nobis est omnino occulta, dicuntur qualitates occultæ. Cū enim ex elementis sunt hæc omnia mortalia & caduca, ex varia qualitatū attemperatione, secundum virtutem formæ misti, admirabiles plerumq; effectus, qui cōsequuntur ex natura formæ vternis qualitatibus misti attēperatis: qualitatibus occultis, quas spirituales & intentionales dicunt, attribuuntur: sed frustra & in consideratè. Itaque magnes trahit ferrum, qualitate misti vt instrumento suę formę rhubarbarum purgat coleram, calore in aëto vt instrumento suę formę. cuius maximum argumentum est, quod actione elementarium

quali-

qualitatum, illæ qualitates misti rū adiuuantur & excitantur ad eas operationes perficiendas, & dicuntur esse in actu: id autē fieri non potest, nisi actione & passione externæ qualitatis adiuuantis, & insitæ, quæ adiuuantur: actio autem & passio est principio inter dissimilia & contraria, sub eodē genere & in materia eiusdem rationis collocata, ut in fine actionis similia euadant: qualitates igitur illæ, quæ dicuntur occultæ & spirituales elementares sunt, si quidem ab aliis elementaribus patientiuntur, & ad rectū rediguntur. Sic magnes si confricetur, facilius & vehementius trahit ferrū: rhabarbarum calore insito redigitur ad actū extrahendi bilē: piper nisi calefiat, non calefacit. Quare illa quæ dicitur qualitas occulta, nihil aliud erit, quā qualitas misti apta, ut euadat in actum, quæ potētia prius intererat. Plurimum autem ad huiusmodi admirabilia effecta, valere formam misti, constat: quia est primū operationis principiū, quod sua vi, qualitates illas ad productionē illo rum effectorum assumit, & in operando, quia talis substātia est, supra virtutē materiæ elementaris seipsum exerit. Sic forma misti habet operationes per easdem qualitates elementares, quæ tamen excedunt earum vim, ut elementorum esse dicantur: illis tamen accommodatè perficiuntur, quatenus sunt huius formæ misti instrumenta, quæ virtute agētis excitata, ad effectus superiores ipsissimē qualitatibus, ut elementares sunt, eleuantur. Quod vero dicuntur huiusmodi qualitates necessariæ, ut quedam res naturales virtute earum, ad suā materiam reuocentur, ut aqua calfacta ad frigi-

Ex D. Tho. I.  
P. q. 76. ar. I.

ditatem nativam, id à nobis refutatum est lib. 1. quæstione de actione & reactione ad primum & ultimū argumentum, ostendentes ex alia causa fieri huiusmodi reductionē.

Ex his constat responsio ad primam & secundā rationes dubitandi. Ad primam quidem, quia licet sint in cælis aliæ qualitates, quæ absolute priores sunt elementaribus, ut ipsa corpora cælestia, cum agat in hæc inferiora, & ab illis contraria patinon possint: tamen non inde cōficitur, non esse primas qualitates, illas quatuor elementares; hic enim dicuntur primæ, quibus formantur & distinguntur elementa, ut sunt actiua & passiua, & tangibilia corpora prima: at illæ qualitates cælestes inesse elementis non possunt. Ad secundam rationem dubitandi respondetur ex præcedentibus, illas qualitates, quæ quibusdam dicuntur spirituales vel intentionales, non esse re ipsa ab elementaribus distinctas, sed ratione tantum, ut supra ostensum est. Ad tertiam denique & eius confirmationes supra responsum est.

*Secunda quæstio de qualitatibus, sint ne rectè definitæ ab Aristot?*

M. 7. A. 1. 2  
**E**X quatuor primis qualitatibus, duashabere vim agendi calorem & frigus, duas patiënti humorem & siccitatem ex definitiōnibus confirmavit Aristot. quod in illarum definitione actio, in harum autem passio compræhendatur. Colidum enim esse, quod homogenea & cognata congregat: frigus quod homogenea & heterogenea: humidum

midum, quod alieno, siccum, quod propriotermino facile terminatur: congregare autem est agere, terminari est parti: quare illas qualitates vim agendi, has patiēdi habere. sed multa sunt, quæ has definitiones infirmant. Primum quidem, quia harum qualitatum sunt alia priora & propria cuiusque effecta, ex quibus cetera oriuntur: ex his igitur propriis & per se definiri oportuit, ut calidum, quod calefacit, &c. Deinde, neq; ipsæ definitiones vniuersaliter conueniunt: ignis enim calore, non solum, quæ sunt eiusdem generis, sed etiam quæ diuersi, confundit, & in unum congregat, vt ceram & picem. flamma etiam, in qua siccitas viget, cum sit spiritus siccii ardor, alieno termino facile terminatur, & cinis similiter, vt constat de flamma cum fornace coeretur, de cinere vase inclusa. quin etiam si quod terminatur alieno termino, vel proprio, id passiuus qualitatibus adnumetandum est, conficietur statim omnia elementa passiuia esse, nullum actiuū, quia omnia vniuersi termino continentur.

Ad explicationē quæstionis accipiendum est principio, haec quatuor elementa duplēcē habere in physica considerationem: priorem quatenus sunt partes vniuersi: posteriorem quatenus sunt materia mixtorum, quæ ex ipsis constituuntur. priori consideratione, in propriis locis elemēta naturaliter quietescunt, & ad eos naturaliter mouētur: vt partes constituentes animal, in suis locis naturaliter collocātur, et si ab eis recesserint cōfestim animal ægrè se habet, doloremq; sentit: sed restitutis partibus in suis locis, sedatur dolor, & bene se habet

animal. ad hanc considerationem pertinet, explicare principia & causas motus & quietis elementorum, de quibus proinde dictum est 4. libro de cælo. posteriori verò consideratione, elementa & patiuntur à corporibus cælestibus, & inter se ratione contrariarum qualitatum agunt & patiuntur, generantur & intereunt. Ratio primi est, quia sunt materia cælestibus impressiōnibus subiecta, materia autem est pati. hac ratione mouentur motu cæli, lumine & calore afficiuntur, ad generationem mistorum excitantur naturaliter, quamvis grauia descendant: quia naturaliter materia patitur à naturali agenti. itaque licet graui ascensus, & leui descensus sit violentus & contra naturam, virtute tamen cælesti, si contingent illi motus ad generationem misti, naturales sunt: quia naturale est materiae moueri ab agente ad generationem aliquius accommodatè: elementa autem omnia sunt materia, cælum est primum efficiens generationem misti ex elementis. Ratio secundi, hoc est mutuæ generationis & interitus elementorum, explicabitur cap. 4. de elementis igitur hic disputatur, vt sunt materia mistorum, quare de qualitatibus elementorum eadem etiam ratione disputandum erit: vt omnia, quæ sunt in hac doctrina, in eadem syngenia & cognatione cōsentiant, & eandem rationem formalem scibilis participant. Unde respondetur ad quæstionem, recte & accommodatè definitas esse qualitates primas, vt duæ sint actiuae, duæ passiuae. Ratio prima sit, quia licet calidi sit primo

M calefa-

Liber secundus

calefacere, frigidi refrigerare, humidi humectare, siccii exiccare: tamen hic oportuit, hæc omnia definiri, ex his effectis, quæ ad generationem misti his qualitatibus accommodatè tribuuntur: cum huius rei gratia de elementis & eorum qualitatibus sit suscepta disputatio: sed in generatione misti duarum est efficientia, vnius in congregando homogena, alterius in congregando heterogenea: duarum est passio, quatenus terminantur alieno, vel proprio termino: ergo rectè definitæ sunt ex huiusmodi actione & passione, & materię subiectæ congruenter. propositio constat ex principio posito. assumptio ostenditur ab Arist. inductione c. i.

4. meteorologici: in generatione enim misti, frigoris & caloris efficientia humida, quæ per se diffundit, concrescunt & durant, pro naturæ suæ temperamento, & idcirco terminantur: calore quidem, quæ terrea sunt, vt lutum, lac, sal, nitrū: frigore aquæ, vt vinum, vrina, serū, quod explicabitur 5. & 6. c. eiusdem quarti. in generatione autem misti constat, terram esse & aquam, vt alterum alteri vi caloris & frigoris permistum consistere possit in eodem corpore. calor autem per se esse, homogena congregare, & frigoris heterogenea, multa effecta ostendunt. calore enim ignis, aurū cum aliis metallis permistum, in vnum corpus secernitur: alimenti etiam partes tenuiores, & cōcoctu faciliores, caloris naturalis concoquentis efficiētia, in vnum coeunt, terrestribus & crassioribus, quæ sunt alieni generis, secretis. frigoris autem esse, quæ sunt eiusdem & diuersi generis, in vnum cogere, in

glacie & aliis rebus frigore cōcretis manifestum est: cum in his plerunq; videamus confundi, lapides, ligna & animalia, vt in succino affirmat Arist. plerunq; reperiri, conclusa animalia. idem secūda ratione sic etiam constabit in generatione misti. in ea enim maxima est caloris efficientia per se, frigoris ex accidēti. Ratio primi est, quia virtutis cælestis maxima est ad generationē misti efficientia, eius autem cognatum instrumentum est calor elemēti: quare ex qualitatibus maxima erit caloris efficientia, licet absolute maxima sit virtutis celestis. præterea, non sit commodè mistio, vt ostēsum est vlt. c. i. de gener. nisi miscibilia diuidantur primū in tenuissimas partes, & excretis inutilibus, vtiles & aptæ coniungantur: id autē fit concoctione, concoctione vero calore perficitur. his omnibus experimenta consentiunt: omnes enim mistiones, quæ artis opera fiunt, calore & concoctione fiunt, vt quæ à pharmacopeis, à chymistis, à metallorū compositoribus. Ratio secundi, nempè frigiditatis post calorem, magnam esse efficiendi vim per se in congregandis, quæ sunt eiusdem & diuersi generis, ex præcedentibus constat: sed ex accidenti efficientia illius, ex his constabit. primo quidem, quia cum caloris magna sit efficientia, & cum tēperatum esse oporteat, & non exurrentē admistorum generationem & conseruationem: temperatio autem sit ex frigiditate: erit sanè frigiditatis magna efficiētia ex accidenti & per aliud, nempè calorē, quem attēperat, & ideo reddit ad agendum magis accommodatum. Deinde, sāpē numero vi frigoris circum-

circūquaq; ob sistentis per antiperistatism, calor in vnum cogitur, & multa generat & concoquit. ea de causa rigore hyæmis & niuiū, terra coacto intra se calore quasi fermentatur, frugum radices augentur, & idcirco uberioris frumenta proueniunt, præterea cum putrefactionis causa sit calor externus, & huius efficientia, frigore maximè arceatur, dubium esse non potest, quin frigus ad rerum conseruationē plurimum possit.

Hęc sunt caloris effecta per se in generatione misti: sed ratione subiectae materiæ, conuenit calori humectare, exiccare, indurare, emollire. humectat enim, quæ sunt frigore cōcreta, vel liquando humorem frigore concretum, vt in glacie, vel ad externa adducendo, & evaporando, vt in his quæ putrefiunt, & siccilibus, quæ frigore concreta, in fornacem immittuntur. exiccat autem calor, vel humore omnino consumpto, vel extracto & in aërem, vel vaporem conuerso. ex his omnibus se quitur in plerisq; corporibus caloris efficientia induratio, vt lateribus, siccilibus, caseo: in quibusdam verò mollitudo, vt in cera. quæ omnia uberioris explicantur 5. & 6. c. 4. meteorologici. nunc satis sit ostendisse, quanta sit caloris efficientia in omnibus mistis, & eorum generatione.

Sed obseruandum est, non eandem esse vim agendi, & resistendi, sed quę valent magis ad efficiendū, ad resistendum infirmiora sunt. quā uis enim in resistendo sit actio, tamen resistere dicitur, quod efficientiam cōtrarij impedit, ne in ipsum immitetur, licet impediendo age redicatur, quatenus suam qualita-

tem imprimit. calor igitur, qui frigiditatem efficientia vincit, vt calor quatuor graduū latitudinis (nō enim comparantur modò gradus virtutis in agendo, vel resistendo: de quibus statim) superabit frigiditatem quatuor graduum, & fortassis etiam quinq;: vincitur tamen in resistendo calor à frigore, quod experimenta confirmant, & ratio ostendit. quiuis enim experitur frigore superante calorem, citissimè calidum frigesieri, corrupto calore: quod in frigore contrà contingit. itaque calida citius refrigerantur, quam frigida incalscant. Ratio autem hęc esse videtur accommodata. Cum enim actio sit à forma, vt minus est materiæ immersa, resistētiaverò contrà à forma magis materiæ immersa: & frigus magis sit materiæ immersum quā calor: efficitur necessariò, vt caloris minor sit resistentia quam frigoris. in quo etiam voluit natura rebus omnibus optimè consulere. si enim elementum ignis, in quo pręcipue viget calor, in resistendo non deficeret, vt agendo reliqua omnia superat, proculdubio omnia iam cōflagrassent vi ignis absunta.

Dicatum est de qualitatum duarum efficientia, & resistentia, tum per se, tum ex accidenti, dicendum est deinceps, de humore & siccitate: tum, quia consortio earum reliquę agunt in elemētis, tum quia est etiam earum sua quædam efficientia, cùm suis contrariis potentiores & valentiores sunt, vt suprà explicatum est. Humor igitur per se humectat, quod calorem diximus ex accidenti, pro ratione subiectæ materiæ, efficere. sed maior est vis humoris in resistēdo quā in agēdo:

## Liber secundus

coniunctus autem calori eius efficiētiā obtundit, ut contrā siccitas acuit. Vnde quamuis nulla in singulis elementis remissa qualitas ponatur, vt postea constabit, ex confortio tamē alterius qualitatis maior est, aut minor efficiētia: vt calor aēris minorem habet exadiuncto humore, maiorem ignis calor ex adiuncta siccitate. obtundit etiam frigoris efficiētiam humor, quoniam frigus reddit crassius, & ideo penetrationi minus aptum. siccitas minimam omnium vim habet in agendo, sed in resistendo maximā, quod experimento constat. si enim siccū, verbi gratia, lignū, aut punicē coniungas humido, hoc statim afficiet punicem, non contrā: & tamen facilius humidum illud arescit, quam siccum vertatur in humidum. siccitas etiam frigiditatem non obtundit in agendo, sed magis penetrantem acuit: & humorem suaptē natura fluidum coērcet in vnu corpus, & ideo corpulentia misti ex terra & aqua consistit.

Ex his respondeatur ad rationes dubitandi: ad primam quidem, omnia definiri oportere in sciētiis pro subiecta materia, quia hac ratione, vt sunt eidem accommodata, scibili rationem formalem participat: vt elementa, quatenus partes universi, grauitate & leuitate definitur & distinguntur. 4. lib. de cælo, hīc autē ex qualitatibus primis, quatenus actiua sunt, aut passiua, vt ex illis tandem agentibus & patientibus mistum componi intelligatur. eadem etiam ratione qualitates hīc definiuntur accommodatē ad misti generationem: cuius gratia est hīc disputatio instituta: in ea autem habent eas actio-

nes, quae definitionibus sunt comprehensae: & ideo licet calidi sit calefacere, &c. tamen in misti generatione & compositione præstantius est congregare, & humili terminari, quam calefacere & humectare, quoniam illis mistum perficitur: quare nulla alia re accōmodatius definiti poterant.

Ad secundam, idem genere distinguendum est, vel absolutē generi proprio predicamenti, vel subiecta materiae accommodato. primo modo cera & pix nō sunt eiusdem generis immediati & proprij, vel speciei, quae hīc videtur genus appellari, vt plerunq; alias: altero modo sunt omnino eiusdem generis: quia genus idem consideratur, qua ex parte liquabilem habent natūram: & idcirco, quae æquali celeritate liquantur, ea sunt eiusdem generis liquabilis. aurum verò & alia metalla sunt generis diuersi, quia non æquali celeritate: quare hīc congregantur in vnum singula, illa cōfunduntur & permiscentur. Adiunctam verò dubitationem de flama quidam ita soluunt. ignem quidem & terram in pulueres comminutam facilē terminari posse: quia licet ignis possit densari, amplius tamen rarefieri non potest, quia habet maximam raritatem: & terra quamvis possit rario fieri, densior tamen non potest: cum sit omnium densissima. contrā verò humiditas aquæ & aeris, in utramque partem volueris, deduci possunt, nempe ad maiorem raritatem, vel ad maiorem densitatem: & ideo alieno termino hīc dicuntur terminari, non autem illa. Responsionis quidem sententia vera, sed à proposito Aristot. omnino aliena: non enim humidum

Ex Philop. &  
alii.

Ex Cōtar. lib.  
3. de elemēt.

humidum & siccum ex illis terminis definiuntur densitatis & raritatis maxime, sed ex termino continentis. nam cum siccitati suapte natura & per se conueniat, ut corpus, in quo primo est, constipet, inde efficitur, ut facile proprium, difficile alienum terminum retineat. Si cui autem corpori siccitas non primò conueniat, sed cōsequione quadam si id, quod primò inest illi corpori, constipationi siccitatis obstat, poterit illud corpus alieno termino defini ri. Vnde quia terra siccitas primo conuenit, eā constipat, cum frigida non repugnet constipationi, sed eā potius adiuuet, & ex consequenti alieno termino difficile defini tur. ignis verò non conuenit primo siccitas, sed est comes & affectus caloris, & illū acuit: & ideo à siccitate non constipatur, imò summū illius calorem raritas consequata, & ideo benè terminari potest alieno termino. Respondendum est igitur secundū hanc sententiam ex siccitate per se provenire constipationē, & ex ea effici corpus interminabile: sed si prohibetur siccitas, constipationē facere, ut igne prohibente summo calore & raritate, non potest reddere corpus interminabile. itaq; siccā ex se interminabilia sunt alieno termino, nisi prohibeātur: prohibentur autem ab adiuncta raritate. Arist. autem definit siccū ex eo, quod per se conuenit, nisi quid obstat, ut ferè intelliguntur omnia naturalia, non semper eodē omnino modo se habere, sed tamē plerūq; & magna ex parte. eodē ferè modo de cinere respondendum est. ex siccitate enim difficile alieno termino continetur, sed ex subtilitate partis facile eodem termino coēretur. Scio à

Philopono aliter his omnibus responderi, sed mihi propositę respō siones magis probantur.

Ad ultimā rationem dubitādi ex his, quæ principio huius q. posita sunt, responderi potest. elementa enim ut partes vniuersi, termino illius continentur: sed hic nō consideratur ut partes, sed ut habet vim agendi & patiendi, & ideo ex qualitatibus actiuis & passiuis distinguntur.

*Tertia questio de elementis,  
an sint quatuor, duabus  
qualitatibus distincta?*

1. De numero elementorum, & qualitatibus vetus est & re cēs controversia phylosophorū inter ipsos: neque enim numerus elementorum, neq; qualitatū per elemēta distributio, omnibus probatur: quibusdā nullum videtur elementū esse, quia nullū sit syncerū, binis tantum qualitatibus affectū: sit ne etiā ignis elementū, à plerisq; dubitatū est nostra etiam cōtate: quia neq; lucet, ut noster ignis, si cælo coniunctū esset elementum ignis, neq; ad constitutionem vniuersi vtile esset, quia omnia calore illius conflagrant, quod de syderibus, si ignea essent, Arist. affirmauit primo mete or. c. 2. & idem c. 3. affirmare vide tur, non esse ignis elementū, sed appellari ignē partem supremā aeris, quę cōsticōuerione incendatur. hæ sunt rationes dubitandi denuero elementorum. de qualitatibus præterea dubitatur an sint elementorum differentiae essentiales, & cur binis tantum afficiantur singula elementa: & cur elementum non constituat una qualitas, cum hoc videatur elemētis simplicibus

2. M. 3 magis

## Liber secundus

3. magis accommodatum, ut simplificibus qualitatibus constent. Item non videtur consentaneum, ex duabus qualitatibus cuiusque elementi, alteram esse summam, alteram remissam: cum omnis remissio sit expermissione contrarij, in singulis vero elementis nulla sit contraria qualitas, quare neque illa erit remissa. Denique, de humore aeris est ratio dubitandi, quia non videtur illius summa qualitas, sed aquae potius, quia elementum unumquodque summa praesertim qualitate constituitur, & distinguitur, quam proinde amitti non oportet, manente elementi natura: sed aerem plerumque deserit humor, & redditur siccus, nunquam tamen deserit aquam: summus igitur humor, aqua & non aeris esse videbitur. Sed ad hęc omnia subiectis conclusionibus respondeatur.

Prima conclusio sit, elementa corporum, quatuor tantum sunt. dico elementa corporum, id est prima omnium corpora, ex quibus concreta reliqua componuntur: simpli citer enim elementa saepè Aristotelis & Peripateticis dicuntur, rerum naturalium principia, materia nempe & forma, ut explicauit ad primum caput i. physici. est autem haec appellatio elementi corporum, sententiæ Aristotelis ad versus veteres physicos valde accommodata: illi enim haec simpliciter elementa appellant, quod eadem omnia, vel aliqua, principia esse existimauerint, & idcirco principium cum elemento confundebant: sed Aristoteles distinguit re ipsa, cum haec elementa ex principiis componantur materia & forma, & non sint ipsa principia, & appellatione etiam

distinguit. illa enim prima, vel absolutè principia, vel absolutè elementa vocat, haec autem, elementa corporum. extendit etiam elementi appellationem ad cælum primo meteorologico c. 2. quatenus est pars universi, & elementa etiam sunt partes eiusdem, ut praedicti q. 2. explicauimus: sed non vocat cælum absolutè elementum, sed elementum primum, quia ab eo derivatur prima vis efficiendi in alia corpora, excepta omnium prima, quae propria est primi mouentis omnino immobilis.

Conclusionis apud Aristotelem tria sunt argumenta. Primum ex gravitate & levitate, atque locorum universalium distinctione. ut enim est locus omnium infimum centrum, & omnium supremus, qui globum lunæ contingit: & duo his interiecti, alter superior coniunctus supremo, alter inferior infimo coiunctus: sic operatur esse grauissimum corpus, quod infimum locum occupet, leuissimum quod supremum: & alia duo quodammodo levia, quodammodo grauia, ad supremum grauia, ad infimum levia: & inter se, alterum magis, alterum minus graue & leue eadem proportione: sunt igitur quatuor elementa.

Alterum argumentum ex qualitatibus copulationibus hoc c. 3. conclusit Arist. vt si quatuor sint copulationes quatuor primatum qualitatum constantes & firmæ, quatuor etiam sint elementa, quae his qualitatibus veluti formantur & distinguuntur, quatenus actiua sunt & passiua. Tertiū argumentum ex Arist. etiā desumitur. c. 8. huius posterioris libri, quod omnia mixta in ea dissolvi ne cesset sit, ex quibus conponuntur: dissolvi autem in quatuor elementa, experimen-

perimentis deprehensum est, quia dissoluto mixto, superesse videmus portionē quandā in qua vincit terra: aliam in qua aqua, spiritum etiā & calorem, quę aéri & igni respondeat, paulatim evanescentem: quare ex elementis quatuor, mixtorum compositio, concludit, nō esse plura, aut pauciora elementa, cum ex elemētis omnia componantur. quin etiam non experimur in uniuerso, nisi hęc tantum quatuor elementa, siue sincera sint, siue non sint: cum à venticibus elemēti cuiusq; qualitatibus denominatio sumenda sit, ut admonuit ad finem huius. c. 3. Arist.

Secūda cōclusio, qualitates quibus elementa distinguntur, nō sunt eorum formę substancialē: sed proposito Aristotelis conuenienter pro huiusmodi formis usurpatūr. prior huius sententiæ pars confirmatur ab Auerr. 8. metaphys. com. 5. quia quod esset elementis substancialia, id esset aliis accidens: quod tamen esse non posse docuit Arist. 1. physic. text. 27. & 30. constat autem, qualitates in mixtis esse accidentia, quare non sunt in elementis substancialiæ. Secūdo ex. D. Tho. 1. lib. de gener. lect. 8. forma substancialis sensu percipi nō potest: (quia ipsum quid est ad intellectū pertinet 3. lib. de ani.) qualitates elementorum sensu percipiuntur, vnde c. de qualitate patibiles qualitates dicuntur: non sunt ergo formę substancialē. Tertio, ex eodē, lect. 24. sequeretur enim substancialiam admittere magis & minus, vnam alteri contrariam esse, cum hęc omnia elementorum qualitatibus conueniant. quod si substancialia magis & minus admittaret, esset medium per intensionem inter substancialiam & accidens, quod ta-

men esse non potest: quia ratio substancialiæ & accidentis in contradictione posita est, quatenus illa non est in subiecto, hoc autē est in subiecto: contradictionis autem nullū secundum se medium est. Prēterea si substancialia admitteret magis & minus, esset etiam omnis substancialia dividua ex accidenti: si hoc autē, esset in substancialia motus cōtinuus & in tempore, cum intensio & remissio secundum magis & minus in tempore sit, & divisionem admittat. Quarto nunquam in natura formae substanciales agunt immediate fine instrumento, quia agunt disponendo, & hęc dispositio accidentibus perficitur, sic anima agit potentias & organis: elementorum autē qualitates immediate sine alio instrumento agunt: non sunt ergo formae substanciales. Deniq; si qualitates essent formae substanciales, in eodē elemento plures essent huiusmodi formae, quia plures sunt qualitates: aut si est vna forma substancialis, quę tantum esse potest in quaq; renaturali, vt priori libro ad c. 4. disputationis, ea in elemētis simplex non esset, vt altera pars renaturalis, sed cōposita ex illis multis qualitatibus, vt in igne, ex calore, siccitate & levitate.

Vnde quamvis plerisque visum sit, Græcos Aristotelis interpretes in ea fuisse sententia, qualitates elementorum esse eorum formas substanciales, non tamen ea sententia simpliciter & indistincte accipienda est, quasi ipsa qualitas sit substancialiæ elementi pars: sed quod pro formis substancialibus səpē usurpentur, quia illarum comites sunt, & accidentia propria & inseparabilia ad agendum & pa-

## Liber secundus

tiendum. ita videtur significare Philop. ad hoc. cap. 3. Dexippus in categoriis c. 30. Simpl. 2. de anim. com. 46. & 106. alia verò testimonia, quibus qualitates vocant elementorum sunt Amon. in categoriis c. de substantia, explicās, qua ratione nihil substantiae contrarium sit, & quomodo substantia non recipiat magis & minus. Philop. 1. de generat. com. 72. & lib. 2. com. 10. & 30. Alexand. lib. de sensu c. de sapore, & 1. lib. de anim. c. 2. Simpl. 7. phys. com. 23. mutationem in his qualitatibus, non alterationem, sed generationem vocat: generatio autem est mutatio ad substantiam. plura alia sunt Græcorum testimonia, sed nos hęc omnia in eū sensum accipimus, quē supra explicaimus. De sentētia verò Auer. qui formas elementorum, quasi mediæ cuiusdam naturæ voluit esse inter substatiā & accidens, dictum est. lib. 1. in disputatione de mistione. quod autem obiciunt quidam, si qualitates non sint formæ elementorū substantiales, effici statim, accidēs posse generare substantiam cum elementorum sit per has qualitates generatio & interitus: quod tamē falsum sit, quia nihil ultra gradum suę naturę efficere possit, pr̄fertim vni uoca causa & omnis efficientia terminet ad simile efficienti, facile quidem dissolui potest. licet enim accidens propria vi substantiā procreare non possit, vt illa obiectio probat, dubitari non potest quin instrumentum eiusdem procreationis, accepta virtute à substatiā, possit esse: quia excitatur à substatiā, vt præparetur materia formæ inducendæ accommodatè: forma vero substantialis virtute substatiæ in-

ducitur, & ita generatur substantia composita. Confirmauimus qualitates elementorum nō esse eorum formas substantiales, quæ fuit prior cōclusionis pars. posterior, nempe ex his qualitatibus aptè hoc loco distingui, & quasi formari elementa, ex eo constat, quod hęc elementorum consideratio est, vt sunt actiua & passiva, ad reciprocā eorū generationem & interitum, & cōpositionem nistī: agunt autē & patiuntur, vt primis affecta qualitatibus: quarum aliae sunt agendi, aliae patiendi proxima principia: rectè igitur ex his qualitatibus elementa distingūtur. neq; in auditum est, accidentia inseparabilia & propria, pro formis substantialibus ignotis, usurpari à philosophis, vt cōtingit ferè in omnibus animalibus, homine excepto: huiusmodi autem qualitates vt elementis tribuuntur, nulli alteri rei conuenire possunt, nempe synceræ & summe, vt statim cōstabit, quare rectè accidentia inseparabilia & propria elementorum censemur.

Tertia conclusio, singulis <sup>1</sup> elementis duæ qualitates, rectè ab Aristotele attributæ sunt: quæ licet secundum gradus latitudinis <sup>2</sup> summae sint, & æquales: secundum tamen gradus actiuitatis, altera est summa, <sup>3</sup> altera est remissa. prima pars huius cōclusionis affirmat, singulis elementis binas inesse qualitates, vt igni calorem & siccitatem &c. eius prima ratio est: quia gravitas & leuitas binas qualitates, & nō unam tantum consequuntur, vt in rebus naturalibus deprehēsum est: sed elemēta omnia sunt grauia, aut leuia, vel simpliciter, vel quodam modo, vt lib. 4. de cæl. ostēsum est:

ergo

ergo singula sunt binis affecta qualitatibus. Altera ratio est, quia elementa & agere & pati apta sunt mutuo: ergo oportet constare duabus qualitatibus altera activa, altera passiva. sensus & experientia idem confirmant: nunquam enim visum est, corpus una tantum qualitate affectum, ut calidum, quod non sit humidum, aut siccum, aut frigidum, quod similiter non sit humidum, aut siccum. eadem ratio est de humore & siccitate. Præterea elementorum est reciproca mutatio, ergo constat saltem ex singulis qualitatibus contrariis, cum mutatio tantum sit inter contraria, sunt etiam elementa cohærentia, ergo & cognata: quare oportet altera qualitate conuenire, ne tollatur cohærentia & cognitio: & altera discrepare, ut contrarietas ad agendum & patientium retineatur, inquit Philop. Deniq;, si aer & ignis sint coniuncta, & huius sit summus calor, illius remissus, se queretur alterationis motum, momento perfici, quia sine resistentia, cu[m] tamen de ratione motus sit continuatio in tempore. Altera pars con clusionis, constituit utramq; qualitatem cuiusq; elementi in summo, secundum gradus latitudinis. cum enim qualitates singulæ habeant suam latitudinem, per quam, vel infinitæ sunt, vel summæ, vel his interiectæ, asserimus, utramq; qualitatē elementi esse intensissimam, qua nulla possit intensior reperiri. Ratio est, quia in qualitatibus habentibus contrarium, intensio & remissio provenit ex maiori, aut minori contrarij permissione. vnde inquit Arist. 3. Top. albius est, quod est nigro immensius, ut à nobis ostensum est libro priori, in disputatione de intē

sione: si autē qualitati nihil sit propriè contrarium, esse potest remissio sine contrarij permissione, vt lumen aliquando remissum est: sed in qualitatibus elementorum habentibus contrarium, nullius contrarij permissione est, cum in simplici elemento nulla possit esse permissione: qualitates igitur elementorum secundum gradus latitudinis, remissæ esse non possunt, sed omnino intensæ. eandem sententiam sc̄p̄ Galenus in libris de temper. repetit. neq; Arist. asseruit alteram elementi qualitatem, summam esse, alterā remissam, hoc c. 3. vt plerisq; videatur, sed magis & potius ex una elementū quodq; distingui, quā ex altera, vt ignem ex calore, quam ex siccitate, cuius causa ex probatione tertiae partis constabit. Tertia igitur pars affirmit, secundum gradus actiuitatis, id est vim agendi, alterā qualitatē cuiusq; elementi summā esse, alterā remissam: hoc est, utriusque non esse parem in agendo vim, sed alterius maiorem, alterius minorem. causa est ex coniunctione alterius qualitatis deducenda: calor enim efficaciam siccitas acuit, humor obtundit, & idcirco caloris in igne maior est actiuitas, quam in aere. eadem ratio est aliarum qualitatum.

Sed dubitant plerisq; de humore aeris, an sit eius, vel potius aquæ, summa qualitas: quia aqua humor nunquam destituitur, vt aer cum siccitate viget. Respondeo ex hac distinctione, quamvis humor sit aeris summa qualitas, valentior tamē est ad humectandum exterius in aqua: ad humectandum verò interiorius in aere. Ratio primi, quia cognata elementa cum coniuncta sint,

## Liber primus

vna qualitate conueniant necesse est: sed ignis & aëris conueniunt calore, qui est summa ignis qualitas: ergo humor aëris est in summo, ut calor in igne: alioquin non esset in singulis elementis vna qualitas summa. neq; siccitate cum igne co-uenire, aut frigiditate cum aqua potest, quia illud esset ignis, & hæc es- sent duo contraria summa in eodē. Ratio secūdi est, quia humor aeris est coniunctus cum calore & rari- tate, humor verò aquæ cum frigi- ditate & densitate: calor autem ape- rit vias & poros, ut facilius humor possit interiora humectare: frigidi- tas vero eosdem poros occludit & constipat, & ideo ad interiora per- uadere nō potest. præterea aer pro pter raritatē, facilius afficitur qua- litatibus externis, vt humor illius non sentientiatur: aqua propter den- sitatem, non tam facile afficitur: vn de fit, vt aqua valentior sit ad ex- teriora humectandum, sed aer ad in- teriora.

Quarta conclusio, nullū elemen- tum totū & integrum syncerū est, sed integra duo, aer & aqua, syncera non sunt: partes verò terræ centro mundi coniunctæ, & partes ignis cælo, synceræ esse videntur. Syncerum elementum dicitur, quod pro- prias tantum qualitates retinens, nullis externis afficitur. Ratio pri- mi de aere & aqua, hæc est. contra- ria, quæ se se contingunt, agunt & pa- tiuntur: hæc autē ex actione & pa- ssione alienis qualitatibus per mis- ceri necesse est: sed aer & aqua con- tingunt corpora contrariis affec- ta qualitatibus: ergo alienis qualitatibus permiscentur: & ex consequen- ti non sunt syncera. assumptio con- stat ex actione caloris cælestis, edu-

centis vapores ex omni aqua, qui in terdum totam, aut maiorem partē aeris sursum ascendentes penetrat: & si qua pars aeris igni coniuncta, vaporibus non afficitur, continua actione & passione ignis, necesse est alienas qualitates excipere: & similiter pars aeris terræ cohérens, & pars aquæ terram contingens: cū omnia elementa, quæ se se contin- gunt, aliqua qualitate discrepant. Ratio secundi, de partibus ignis & terræ, centro mundi, & cælo coniūctis, ex præcedenti ratione deduci- tur: quia huiusmodi partes non ha- bent extēnum efficiens, à quo pa- tiantur, & recipiant extēnas quali- tates, cum centrum terræ, sit cen- trum etiam mundi, neque aliud cor- pus contingat: & extēnum ignis cælo sit contiguum, à quo nulla qua- litas repugnans igni prouenire po- test, sed tantum cōuersio, aut lumē. Deniq; aerem, aquam, ignem, ter- ram, quæ apud nos syncera nō esse sensibus iudicare possumus: cū illis experiamut alienas qualitates in- esse, saporem etiam, & calorē, quæ experimitione omnium qualitatū primarum oriuntur: cum tamē ele- mentis synceris duæ tantum quali- tates insint.

Restat dissoluere rationes dubi- tandi principio huius q. propositas. ad primam respondeo primo, licet elementa nō sint syncera, nō ex eo concludi, nō esse quatuor, cum hæc longè diuersa sint. & licet, ex alienarum qualitatum permisitione, nō sint syncera, nō tamen sequitur es- se corrupta, cum manente eorum substantia, alienas qualitates exci- pere possint: vt constabit c. 8. huius libri, cum ostendetur, quædam esse mista imperfecta, in quibus manen- te ele-

te elementi substantia, alienarum qualitatū facta est permisio. Respondeo secundo, falsam esse sentētiā negantium elementum ignis, quod cælum lunæ cōtingat: quamvis autē sit huiusmodi elementū, non est necesse statim conflagrare hæc infētiora: quia aliorum elemētorum qualitates contrariae obſiſtunt: licet qua parte aerem tangit ignis, mutua ſemper fit actio & paſſio, & ad valde remotas partes non potest pertingere virtus elemēti actiua: ſicuti pertingeret cæleſtis corporis, ſi igneum eſſet, non ſolū propter magnitudinis exuperatiā, ſed quia illius virtus pertinge ret hæc infētiora, propter maximā vim agendi, vſq; ad internas terræ partes pertingentem, ut conſtat in metallorū procreatione. & Arist. c. 3. i. Meteor. non improbat, ſed probat potius elementū ignis, quia conuersione cæleſtis corporis pri- mi mobilis, supremum aeris accen- ſum, fit & auget elementum ignis. an verò elementa syncera ſint, in quaſtra conſluſione oſtenditum eſt.

Ad ſecundum & tertium reſpon- ſum eſt in tertia conſluſione. Ad quartum verò indubitatione ad eādem tertiam conſluſionem.

### C A P. IIII.

Text. 24.

 Voniam autem defi- nitum eſt prius, ſim- plicibus corporibus generationem vicifim cōue- nire, atq; etiam ſenu genita apparent, (non enim eſſet alteratio, cum ea ſit intangibili- um affectionibus:) dicēdum

eſt, quis ſit modus mutuæ mu- tationis: & vtrū quoduis ele- mentum ex quoque generari poſſit, vel quædam poſſint, quædam non poſſint. quodigi- tur omnia vicifim mutari cō- tingat, maniſtum eſt: gene- ratio enim in contraria, & ex contrariis eſt: elemēta autem omnia mutuā habent contra- rietatem: quia eorum differē- tiæ contrariae ſunt. aliis ambæ differentiæ contrariae, vt igni & aquæ: alterum enim ſiccum eſt & calidum, alterum humi- dum & frigidū: aliis altera tan- tum vt aeri & aquæ: alterum enim humidum & calidum, al- terum humidum & frigidum. itaq; in vniuersum verum eſt, quoduis elementum ex quo- uis aptum eſſe insita vi ge- nerari.

### Capitis quarti explicatio.



Ltera pars huius libri deinceps proponitur, de mutua & reciproca ele- mentorum generatio- ne: hæc autem abſolute & vniuersa liter primū explicatur. deinde mo- di illius ſpecialiter diſtinguitur: ad vtrumq; verò accipit ex libro 3. de cælo, maniſtum eſſe generationē elementorum, tū ex ſenu, quo ex- perimur vnum elementum ex aliis gigni, & calida refrigerari, & con- trātum ex hac ratione, quia ſi non ſit elementorum generatio, neque erit

## Liber secundus

erit alteratio, quæ sit in tāgibilibus qualitatibus primis, vel in secundis ratione earum: alteratio enim manifesta est, & per easdē qualitates, in quibus reperitur, generantur & corrumpuntur elementa, cum illæ qualitates sint eorum differentiæ, quibus mutatis per alterationem, necesse est, eorum substantias mutari: quare si immutabiles huiusmodi qualitates ponantur, neq; erit alteratio in universo, neq; elementorum generatio: si verò mutabiles sint, verunq; necessariò cōsequitur. hac repetita sententia ex 3. lib. de calo. de generatione elementorum, est hæc conclusio, reciproca est, & mutua elementorum generatio: ratio est, quia contrariorum, quorum est mutua actio & passio, mutua etiā est generatio, vt sèpè lib. priori & 1. lib. phys. sumptuni est: sed elemēta omnia sunt contraria, quædam vtraq;, quedam una tantū qualitate, vt inductione constat: elemētorum igitur mutua est, & reciproca generatio. contrarias verò elementorum qualitates vocat differentias, ob causam explicatam q. 3: capitilis tertij conclusione secunda. Refutantur autem hac cōclusione omnes veterum sententiæ, quibus vnum, aut plura elementa sunt rerum naturalium principiūm materiale, hoc enim volunt esse immutabile, vt Arist. materiam primā. de illorum sententiis dictum est lib. 1. physic. & lib. priori de generat. & lib. 2. cap. 1.

Text. 25. **S**ed differunt celeritate & tarditatē, facilitate & difficultate. quæ enim symbolum habent & cognitionem, eorū

celeris est mutatio: eorum autem, quæ non habent, tardior: quia facilius est, vnum quam multa mutari, vt ex igne aér fiet, igne celerius mutato: alter enim calidus erat & siccus, alter calidus & humidus. quare, si ab humore siccitas vincatur, aer erit: rursus quoque ex aere aqua orietur, si calor à frigore superetur: illæ enim erat humidus & calidus, hæc verò frigida & humida: quare mutato calido aqua erit: ac eodē modo, ex aqua terra, & ex terra ignis fit: vtrūque enim cum altero cognitionem habet. quoniam aqua humida est & frigida, terra frigida & sicca: quare superato humido, terra erit. Rursusq; cum ignis siccus sit & calidus, terra frigida & sicca, frigido corrupto, ex terra ignis erit. quare manifestum est, quod simplicium corporum genera-  
tio in orbem erit, & hunc modū mutationis esse facillimū, quia quæ deinceps se consequantur, cognitionē habent. Ex igne quoque aquam, & ex Text. 26. acre terrā, & rursus ex aqua & terra aerem, & ignem, contingit quidem fieri, sed diffici lius, quod pluriū sit mutatio. necesse est enim, si ex aqua erit ignis, frigidum & humidū interire: & rursus, si ex terra aer,

aer, frigidum & siccum. simili-  
liter autem si exigne & aere,  
aqua & terra, vtraque mutari  
est necesse. hæc igitur genera-  
tio tardior erit.

### *¶ Explicatio.*

**G**enerationis mutuæ elemen-  
torum communis & utilis ra-  
tio exposita est, specialis sequitur  
reliquo c. secundum omnes modos,  
quibus perfici potest: sunt autem  
tres: primum, in elementis habenti-  
bus symbolum & cognitionē, quæ  
proinde vocabimus deinceps cognata  
elementa, nemp̄ ea, quæ vna  
qualitate conueniunt, & deinceps  
se consequuntur: alter modus, in  
elementis non habentibus symbo-  
lum, sed vtraq; qualitate discrepa-  
tibus, vt igne & aqua, aere & terra:  
tertius, in eisdē elementis non cog-  
natis: sed non mutatur vnu elemen-  
tum in alterum, vt in duobus  
modis præcedentibus, sed ex duo-  
bus non cognatis fit tertium ele-  
mentum, ab illis duobus diuersum.  
Cum igitur omnia elementa vicis-  
sim mutentur, differunt tamen hi  
modi mutationis, celeritate & tar-  
ditate, facilitate & difficultate, de  
quibus est hæc prima sententia. ele-  
menta cognata celerius & faciliter:  
non cognata autem tardius & diffi-  
cilius mutatur. ratio est, quia faci-  
lius & celerius mutatur vnum con-  
trarium, quam duo: sed in cognatis  
vnum, in non cognatis duo mutari  
est necesse, vt fiat alterum elemen-  
tum: faciliter ergo & celerius mu-  
tantur cognata, vt aer in ignem mu-  
tato tantum humore, aqua in terrā,  
mutato etiam humore in siccita-

tem, quam non cognata, vt ignis in  
aquam, aqua in terram, ytrisq; qua-  
litatibus mutatis. scio de hac ratio-  
ne varias oriri dubitationes, sed eas  
omnes dissoluimus lib. priori in  
disputatione ad c. 4. obiectione se-  
cunda: nunc verò concludatur cir-  
cularem esse elementorum ortum,

**Q**uod si vtriusq; altera de- Text. 27.  
leatur qualitas, facilior il-  
la quidem mutatio est, nō est  
tamen eorū inter se mutatio:  
sed exigne & aqua, erit terra  
atq; aer, ex aere & terra, ignis  
& aqua. Nam simul aquæ frigi-  
dum interierit, & ignis siccū,  
aer erit. huius enim calor, illi-  
lius humiditas relinquitur.  
Cum autem ignis calor, &  
aquæ humor interierint, erit  
terra: quia illius siccitas, huius  
frigiditas relinquitur. Simili-  
ter autem ex aere & terra, ignis  
& aqua. cum enim aeris ca-  
lor interierit, terræ autem siccitas,  
aqua erit: relinquitur enim illius humor. & huius fri-  
giditas. cum autem aeris qui-  
dem humidum, terræ vero fri-  
gus interierit, erit ignis: quia  
illius calor, & huius siccitas re-  
linquitur, quæ quidem ignis  
erant.

Manifesta est autem sensui, Text. 28.  
ignis generatio. flama enim  
maximè ignis est. hæc autē fu-  
mus est ardēs, fumus ex aere  
& terra.

In his

## Liber secundus

Text. 29. In his verò, quæ se consequntur, non potest, altera qualitate in utroq; interempta, in ullum corpus mutatio fieri: quia in utroq;, vele adē vel contrariæ qualitates relinquentur: ex neutrī autē corpus fieri potest. vt si ignis siccitas intereat, aeris autem humor: in utroq; enim calor remanet: si verò utriusq; calor, contrariæ remanent humor & siccitas. similis est aliorum ratio: in omnibus enim huiusmodi, altera qualitas eadem, altera contraria inest. ex quo simul perspicuum est, quod, quæ ex uno in unum mutantur, uno corrupto fiunt, quæ vero ex duobus, in unū, pluribus corruptis.

Text. 30. Quodigitur omnia, ex quo cunq; fiant, & quis sit mutationis mutuæ modus, dictum est.

### Explicatio.

**A**ltera sententia de tertio modo est hæc, ex duobus elementis omnino contrariis & non cognatis, tertium elementum ab utroque diuersum fieri potest: ex duobus autem cognatis & deinceps se consequentibus, tertium elementum ab utroque diuersum fieri non potest. Ratio primi est, quia si constituantur duo elementa non cognata, vt ignis & aqua, si mutetur siccitas ignis, & aquæ frigiditas, remanebit ignis calor, & aquæ humor, ex qui-

bus erit aëris: si vero contrà mutetur calor ignis, & humor aquæ, remanebit siccitas ignis, & frigiditas aquæ, ex quibus erit terra. eodem modo erit mutatio in tertium elementum, si aëris & terræ mutatio fiat. cum autem in his mutationibus, unius tantum qualitatis in quoque elemento fit mutatio, facilior erit tertij elementi generatio, quam ex non cognato alterius generatio, in qua sit utriusq; qualitatis mutatio: vt in prima huius capituli sententia explicatum est. Idem ex flâma confirmatur: flâma enim cum sit ignea, est fumus ardens: in fumo autem est permixtio aeris & terræ, cum exhalatio ex humore, aliquid terræ cōmictum habens, fumum constitutat: mutatis autem frigiditate terræ, & aeris humore flamma fit, habens terræ siccitatem, & aeris calorem. Ratio secundi est, quia in elemētis cognatis, ad generationem tertij elementi ab utroq; elemento cognato diuersi, vel interit qualitas, quæ est eadem in utroq; cognato, vt calor in aere & igne, & remanebunt duæ cōtrariæ qualitates, vt humor & siccitas, quæ ad generationē elementi ineptæ sunt, tum quia cōtraria, tum quia nulla ex illis actua: quarum copulatio elementum constituere non posse c. 3. ostēsum sum est: vel interit alterius elementi qualitas contraria, vt ignis siccitas, & aeris humor, & remanebit calor tantum: ex una autem qualitate elementum constare non potest, eod. c. 3. vel interit ignis calor, aeris humor, & remanebit calor aeris, & ignis siccitas, ex quibus non prodibit tertium elementum à duobus cognatis diuersum, sed alterū ex cognatis nempè ignis: vel deniq; interit

interit ignis siccitas & calor aeris,  
 & remanebit ignis calor, & aeris  
 humor, ex quibus similiter non pro-  
 dibilis tertium diuersum, sed alterū  
 ex duobus, nemp̄ aer. ex his omni-  
 bus tandem concluditur, vnius qua-  
 litatis mutatione, elementa cognata  
 ex se vicissim fieri: duarum verò  
 qualitatum mutatione, tum ea quæ  
 non sunt cognata, sed utraque qua-  
 litate discrepant, tum etiam tertium  
 elementum, quod sit ex duobus nō  
 cognatis: ideoq; primum modum  
 mutationis esse celeriorem & faci-  
 liorem, reliquos duos tardiores &  
 difficiliores, si vtriusq; qualitatis,  
 aut vnius mutatio cōsideretur. Sed  
 quamvis de mutua elementorum  
 generatione, secundū partes, (quia  
 vniuersum elementum, cum sit vni  
 uersi pars, ad eius constitutionem  
 necessaria, & totum ad interitum  
 p̄parari & disponinō possit, nun  
 quam corruptitur) nulla sit dubi-  
 tatio, in habentibus symbolum, aut  
 non habentibus, quæ ideo vocant  
 scholastici symbola & dissymbo-  
 la, cum singula ex singulis genera-  
 tur: est tamen magna & difficilis ex-  
 plicatu, cū ex duobus cognatis, aut  
 non cognatis, tertium ab illis diuer-  
 sum gignitur. Ratio dubitandi est,  
 quia Arist. afferuit, ex non cognatis  
 tertium diuersum gigni posse, ex  
 cognatis non posse, quia ex illis sin-  
 gulis, vna qualitate corrupta, re-  
 manerent aliae duæ elementum cō-  
 stituentes, ex his remanere nō pos-  
 sent, vt exemplis ostensum est: sed  
 fieri non potest, vt vna qualitate  
 corrupta, altera non generetur il-  
 li contraria: cum finis corruptio-  
 nis sit alterius generatio, quod pri-  
 mum sibi natura generatis propo-  
 nit: ergo cum ex singulis elemen-

tis non cognatis, vult Aristoteles  
 vnam remanere qualitatem, ad ge-  
 nerationem tertij, velle videtur, vt  
 corruptionem vnius qualitatis, alterius  
 qualitatis contrariae non con-  
 sequatur generatio: quod omnino  
 fieri non potest. simili ratione con-  
 cluditur, ex cognatis elementis ter-  
 tium diuersum gigni posse ex sen-  
 tentia Aristotelis, vt si ex igne, &  
 aere calor corrūpatur, necesse est  
 frigus gigni, & ex consequenti ex  
 igne prodibit terra, ex aere aqua:  
 quia remanerent frigus & siccitas,  
 frigus & humor, quæ constituunt  
 aërem & aquam, vt constat. sic du-  
 bitant Græci de hac sententia Ari-  
 stotelis apud Philoponum. In his  
 dubitationibus duo inuestigantur,  
 primum, qua ratione verum sit, ex  
 elemento corrupto, alteram quali-  
 tam manere incolumente: cum cor-  
 rupta substantia necesse sit omnia  
 accidentia corrupti, quia substan-  
 tiæ insunt. Alterum est, qua ratio-  
 ne ex elementis non cognatis ter-  
 tium diuersum fieri possit, ex cog-  
 natis non possit. Primum ex his, abun-  
 dè explicatū à nobis videtur, in dis-  
 putatione ad c.4. prioris libri, obie-  
 ctione secunda, ad alterum verò de  
 elementis nō cognatis, reiecta Ale-  
 xand. responsione, Philoponus res-  
 pondet, vna quidem qualitate cor-  
 rupta, necessariò gigni cōtrariam:  
 & ideo ex duobus elemētis dissym-  
 bolis corruptis, fieri tertium elemen-  
 tū, sed non vnu numero, sed duo nu-  
 mero, vnu specie, quod dixit Arist.  
 tertium diuersum, verbi gratia, si ig-  
 nis siccitas intereat, & aquæ frigidit-  
 as, prodibit ex igne aer, quia siccit-  
 atē corruptā humor consequitur,  
 qui calori permanenti coniunctus,  
 aërem constituit: ex aqua verò pro-  
 dabit

## Liber secundus

dibit etiam aer; quia corrupta frigiditatē consequitur calor, qui cōiunctus humoris permanenti aerem constituet. quare cū inquit Arist. ex elementis dissymbolis, mutata in utroq; vna qualitate tantū, fieri tertium elementū ab illis diuersum, non intelligit tertium diuersum & vnu numero, sed potius vnu specie & duo numero, vt ostensum est. erit autē, quod etiā inquit Arist. facilior hēc mutatio, quā, quē fit ex elemēto dissymbolo, in alterū dissymbolum: quia hīc ad ortū vnius numero elementi, duo contraria corrumpi, est necesse: illic autem ad vnius numero elementi ortum, vnum tantum: quamuis ad duorum numero ortum, duo corrumpantur: facilius est autem & celerius, vnum quam duo corrumpi. hēc solutio dubitationis, ad generationem tertij elementi ex duobus dissymbolis, valde probabilis est: sed ad generationem tertij elementi ex duobus cognatis, vel symbolis elementis, accomodari non potest, nec à Philopono accommodatur: quia negat Arist. aliquid tertium ex illis fieri posse. ratio verò dubitandi proposita concludit apertè, duo alia elemēta fieri posse. & idcirco responderet Philop. Aristotelis sententiam veram esse secundum rationem & intelligentiam, quae consideret tantū qualitates relictas, & non quæ gignantur, aliis corruptis. relictas autem, vel easdem esse, vel contrarias, vt ostensum est exemplis Aristotelis, ex neutrīs verò constat elementum fieri omnino posse, quod si considerentur genitae qualitates, quæ corruptas ex elementis cognatis consequuntur, duo elementa diuersa, ex duobus cognatis gignuntur.

tur, corrupta in unoquoque vna qualitate, vt in ratione dubitandi conclusum est. & certe tota deductio, & argumentatio Aristotelis tantum expendit qualitates relictas & permanentes in his mutationibus, ratione mutationis: quamuis ratione subiecti, eo corrupto, necesse sit omnes qualitates illius corrumpi, & nullam permanere, vt explicauimus obiectione secundā citata. plenior tamen consideratio adhibenda est, vt appareat, quē qualitates fiant, aliis corruptis, & ita, quæ elementa absolutē fiant in natura, aliis corruptis, vel habentibus symbolum, vel non habentibus, quæ consideratio est in ratione dubitandi.

### C A P. V.

**E**D de eisdē hoc Text. 31.  
etiam modo considerabimus. Nam si aqua & aer, & huiusmodi cætera, sunt (vt quibusdam placuit) naturālium corporum materia, ea vnum, vel duo, vel plura sint oportet. vt omnia igitur vnum sint, vt aerem omnia, vel aquam, vel ignem, vel terram fieri non potest: si quidem mutatio fit in contraria. si enim aer sit, & maneat, alteratio erit, non generatio. simul autem non ita videtur, vt aqua simul sit, & aer, aut quod uis aliud. est itaque quædam contra-

contrarietas & differentia, cuius alterā partem ignis habebit, vt calorē. At non erit ignis, aer calidus, hoc enim alte ratio esset, neq; ita apparet. rursus autem si ex igne aere generabitur, calore in contrariū mutato generabitur: hoc igitur aeri conueniet, eritque aer frigidum quiddam. Quare fieri non potest, vt ignis sit aer calidus: esset enim simul calidum & frigidum. præter vtrūque igitur aliquid aliud idem erit, & aliqua alia communis materia. eadem ratio aliorum omnium est, quod nō sit vnum ipsorum id, ex quo omnia.

### *¶ Capitis quinti, explicatio.*

Elementa sunt principiū materiale generationis proximum, omnī primum materia communis. contrarietas pro formis elementorum usurpatur, quibus perficitur generatio & interioritas.

**V**m cap. i. huius libri ad finem tria principia constituta sint, elementa, contrarie qualitates, materia communis elementorū, atq; de duobus primis dictum sit, deinceps, cap. 5. & 6. de materia communi differunt, vt ostendatur cōtraveteres physicos, nullum ex quatuor elementis, vel plura materiam primam & communem rerum naturalium esse posse: imo ex ipsorum reciproca mutatione concludi, ab illis diuersam esse. quo etiam argumēto materia prima est inuenta 1. physico. & vera sit illa Auerr. sententia lib. 2. de anima, transmutatio materiam, operatio formam indicat. partes capitī

duae sunt. prior est: vnum ex elementis materiam esse non posse, vel medium inter elementa, vt voluit Anaximander: posterior est, elementorum generationem in infinitū progressinō posse. Sit igitur prima cōclusio, vnu aliquod ex quatuor elementis, materiale principium esse non potest: valet ad refutandū omnes physicos, qui vnum ex elementis principium materiale omnium asseruerunt, de quibus singillatim dictum est, 4. cap. 1. physl. & 1. cap. huius secundi: cuius erroris origo fuit, non distinxisse materiam primam à primis corporibus sensibili bus, & tamen hæc cōposita sunt, & ideo non prima: illa vero est prima, quia non ex alio, & ex ipsa omnia naturalia. Conclusionis argumenta duo sunt, quibus similiter effici potest, neque duo aut plura elementa materiam primam rerum esse posse. Argumentum primum est, si vnum aliquod ex elementis esset materia aliorum, generatio esset alteratio: quod tamen fieri nō posse, latissimè ostensum est libro priori. Deductio est huiusmodi: alterationis subiectum est formatū & sensibile, quod manet idem sub utroque termino mutationis ex lib. 1. cap. 4. sed elementum est huiusmodi, & quia est principium, manere oportet, & immutabile esse, vt dictum est 1. physico: elementi igitur in aliud mutatio, esset alteratio. quod repugnat iis quæ apparent, cū ex aere verbigratia aquam, aut contraria fieri videamus. Alterum argumentum est, quia si vnum ex elementis esset aliorum materia, contraria summa & excellentia, qualia elementis insunt, in eodem essent: quod tamen fieri non posse constat. dedu-

N ctio

## Liber secundus

Etio est hæc. sit aer huiusmodi materia, & fiat ignis, si quidem ex materia omnia fiunt, aer, quia materia, manebit perfecta mutatione, & id circa non erit aliud ignis, quam aer calidus, quod est alteratum esse, ut precedens ratio conclusit. cum autem omnis mutatio sit inter contraria, si ex aere fiat ignis calidus, necesse est prius calidum non fuisse, alioquin factus non esset, cum id quod sit, non sit: quod si calidus non erat, necesse est frigidum fuisse, ut fieret ad contrarium mutatio, & cum sit materia, & ideo manet in re effeta: erit quidem ignis factus, frigidus ut aer, & calidus, ut ignis. Eadē ratione concludetur de altera contrarietate humoris & siccitatis, cū illa prior, exempli gratia sit proposita, & aer Aristoteli non sit frigidus, sed calidus & humidus, & ratione humoris in ignem mutari potest, quia sunt elementa cognata.

**Text. 32.** **S**ed neque aliud quiddam præter hæc quatuor, ut mediū aliquod aeris & aquæ vel aeris & ignis, quod aere & igne crassius, cæteris subtilius sit: erit enim illud aer & ignis cum repugnantia, & contrarietate, at priuatio est alterū contrariorum: quo circa illud numquam solum esse potest, ut quidam aiunt, infinitum & continens, (illud medium.)

**Text. 33.** Eadē igitur ratione, quodcumque horum, aut nihil magis aer, quam ignis. Si itaque nullum sensibile prius est his, hæc vtiq; erunt omnia: neces-

se est igitur, aut semper maneat, nec in se vicissim mutentur, vel contraria ut mutentur: & vel omnia, vel aliqua, aliqua verò non, quæ admodum in Timæo Plato scripsit. Quod igitur in se vicissim mutari necesse sariū sit, prius demonstratum est, & quod non æquali celeritate omnia, sed habentia sym bolum celerius ex se vicissim: non habentia verò tardius. si igitur contrarietas una est, secundum quā mutantur, necesse est duo esse, materia enim insensibilis & inseparabilis medium existit. Sed quoniam plura esse cernuntur, duæ minimum contrarietates erunt: quod si duæ sint, elemēta tria esse non possunt, ut constat, sed quatuor, tot enim copulationes sunt. Sex enim existentibus, duas impossibile est cōsistere, quod sint inter se contrarie: sed de his puris dictum est.

### Explicatio.

**E**x his deductionibus efficiuntur tria consequentia. Primum contra Anaximand. fieri non potest ut mediū illud Anaximādri, rarius aere, & dēsius igne, sit materia rerū omniū: efficitur enim satis aperte in eodē esse omnia contraria. nāque Anaximāder, primo ex illo interiecto & medio corpore, elemen ta qua-

ta quatuor gignebat, vt i. physico & priori lib. de gener. dictum est, ratiōtate & densitate, tamen ex elemētis omnia alia. Quod si omnis mutatio sit inter contraria, & principiū materiale in re genita manere oportet, necesse est cum ex illo corpore sit ignis calidus, ipsi inesse frig<sup>o</sup>, cū ex eo sit aqua frigida, eidē inesse calorē: & idem efficitur, si fiat in sic citatem vel humorē mutatio. quare necesse est eidem medio corpori inesse contraria omnia actu, & summa & excellētia, vt oportet esse syncera in primo rerū principio, quod nullius externi per missionē habet. Assumpsit autē in hac argumentatione priuationē & habitū, vt evidentius ostenderet impossibile illatū. Si enim fieri non potest, vt priuationē & habitus eidem simul insint, neq; fieri potest, vt duo contraria: cum ex contrariis alterū priuationis rationē habeat, quod imperfectum sit, alterū verò formę, quia perfectū: & omnia opposita ostendimus i. physico. ad priuationē & habitū reuocari, ex sententia Arist. Secundū consequārium: vt ostēsum est, vnum ex elementis aliorū principium materiale esse non posse, sic ostendi potest de quoconque alio: quia eadem ratio conclusa de uno, similiter valet in omnibus aliis ad cōcludendū, quod si aliquod sit materia, generatio sit alteratio, & in eodem plura contraria inerunt, vt etiā de medio illo corpore Anaximandri ostēsum est. quin etiam ea. dē ratione efficietur, neq; duo elementa esse principium materiale, vt ignis & terrā, quod afferuit Parmenides in libro de his quae secundū opinionem, vt alias ostendimus: quoniam si ex illis fiant reliqua duo

elementa, & mutatio est inter contraria, & materiam manere omniū in re genita, quatuor contraria simul sint in eodem, necesse est: similiiter neque tria elementa possunt constitutre vnum principium materiale reliqui elementi.

Tertium consequārium, quatuor tantum sunt prima corpora sensibilia, quę dicimus elementa: quę neq; immutabilia sunt vt Emp. voluit: neq; partim mutabilia, partim immutabilia, vt Plato afferuit in Timéo, terrā immutabilē constituēs: sed vicissim omnia mutantur, licet alia celerius, alia tardius. Elementa esse quatuor corpora prima sensibilia, duplex ratio concludit: prior, quia nullum corpus sensibile antiquius & prius his unquam repertū est: & ex his reliqua corpora fieri videmus: sunt igitur prima corpora sensibilia. cū autem sensibilia afferuit, aperte confirmat suam sententiā, nullū ex his esse materiā communem aliorum, cum hæc materia sit insensibilis, & inseparabilis: vñ quodq; autem ex his sensibile est, & per se consistit ab aliis separatū. Vnde si quod medium afferendum est, ex quo fiant omnia, illud est materia prima, quæ eadem manens subiicitur in omni mutatione, & non illud medium Anaximandri. Posterior ratio ex copulationibus qualitatū primarum desumpta, quia pro differentiis elementorū usurpatur, vt q. 3. ad c. 3. ostensum est colligitur: quatuor enim copulationes quatuor prima corpora eodē c. 3. conluserunt, aliis copulationibus vt in consistentibus reiectis. nullū autem elementum esse immutabile, sed omnia vicissim mutari posse, licet alia celerius, quia cognata

N<sup>o</sup> 2 sunt

sunt & symbolum habet: alia vero tardius, quia cognata non sunt, ut cap. 4. demonstratum est.

Itaq; ex precedentibus hęc Aristotelis progressio colligitur, elementa sunt cōtraria, quatenus contrariis qualitatibus affecta, vicissim ergo generatur. si mutua est eorum generatio habent cōmunem materiam, quia vñū contrariū alterius materia & subiectū esse non potest: si habent cōmunem materiam, eavel erit vñū aliquod ex elementis, vel plura, vel ab his distincta & insensibilis materia prima: sed neq; vnum elementum vel plura sunt illa materia, vt modo conclusum est: erit ergo illa cōmunis materia, quæ dicitur prima & inseparabilis, ex qua adiūctis formis, & qualitatibus primis cōtrariis, quatuor corpora prima sensibilia prodeūt, quę ideo elementa dicuntur, ex quorum permissione res omnes naturales, quę intetire possunt, gignuntur.

Quare refutatę sunt omnes veterū sententię de materiali principio, siue qui constituerunt vñū immutabile ex quatuor elementis, siue plura, vt duo Parm. alij tria, Empedocles quatuor: mutabile autē nullus dixit materiale principiū, & Plato, qui videtur terram immutabilem in Timēo constituere, fecit tamen materiam primā rerum omnium, ab elementis distinctam, vt explicatum est 1. cap. huius libri.

**T**ext. 35. **S**ed quoniā vicissim mutantur, impossibile est, aliquod ipsorū siue extremū, siue mediū, aliorū principium esse, vt ex his manifestum est. extremū quidem non erit: sic enim omnia ignis erūt aut ter-

ra, quod idē est ac si dicas, exigne aut terra cōstare omnia. quod autē neq; medium, vt videtur quibusdā, aerem mutari in ignē & aquā, aquam vero in aerem & terrā, extrema autē non amplius in se vicissim. Stare enim oportet, & non in infinitū recto progredi: infinitę namq; cōtrarietas in uno erūt. sit enim terra T, aqua & Lympha L. aer A. ignis I. si ergo A. mutatur in I. & L. erit aliqua eorum cōtrarietas, quę sunt A. & I. sint hęc albedo & nigredo: rursus si A mutatur in L, erit alia cōtrarietas, non enim sunt idē L. & I. sit autem siccitas & humiditas, S. quidē siccitas, H, autē humiditas. Si ergo albedo manet, aqua humida erit & alba: si minus, aqua nigra erit, cum mutatio fiat in contraria. itaque necesse est, aquam albā esse aut nigrā: Sit autem primum, similiter ergo & ipsi I, adderit siccitas S. quare I, ignis mutabitur in aquam: contraria enim sunt. Primū enim ignis niger erat, deinde siccus, aqua humida, deinde alba. Manifestū estigitur, omnia vicissim mutari, & prēterea quod T, id est terrę cetera conuenient, & due coniunctę qualitates, nigredo & humiditas. hęc enim nondum coniuncta fuerunt.

*Expli.*

## Explicatio.

**H**Ac tenus fuit tantū vnica ratio prime cōclusionis, ex qua ratione consecutaria collecta sunt: deinceps altera ratio ex diuisione hoc modo cōcluditur: si aliquid ex elemētis esset aliorū omnium materiale principiū, vel esset extremū ignis vel terra, vel medium, aer & aqua: sed neutrū potest esse: nullū igitur non quidem extremum, quia si omnia fierent exigne vel terra, omnia sanè essent ignis vel terra, oporteret autē omnia ex illo fieri, quia materiale omniū principium ponitur. sed vnde sequatur, quod omnia essent illud, quod ex ipso omnia fierent, non videt Philoponus, quia ponit, nūc disputari cōtra assertantes vnu principium materiale, & illud mutabile, & ex consequēti, cū ex eo fieret aliud, non verē dicitur illud esse, cū mutatum sit, & nō maneat. quare potius ponendū est hoc principium materiale, ab illis affirmari immutabile, quia hoc est de ratione principij, quam retinere oportet, vt verē differatur de principio materiali: & ex consequenti, si non mutatur, cū ex ipso fūt omnia, omnia sanè naturę illius erunt, vel ignis vel terrę. Restat confirmādū, quod nullū ex mediis elemētis aere aut aqua, principiū possit esse materiale aliorū omniū, quod ideo significat quosdā asseruisse, quod ex mediis extrema, quasi ex cognatis fieri possent, extrema ex se vicissim non possent: quia esset infinita quædā & recta progressio, si extrema in alia rutsus mutarentur, & nō fieret ad media regressus: itaq;, vtvltima sunt, non habent in quod p̄tereā mutētur. quare qui circularē

& reciprocā elementorū mutationē non admittunt, vt veteres, elementū vnu aut plura constituentes principia, & idcirco immutabilia, standū esse cēlebant in extremis elemētis, ea ponētes immutabilia, ne viderētur cōcedere ex illis alia fieri progressionē quadā infinita & recta, hoc est sine regressione ad elemēta media: quā illi negabant, ne concederent circularē omnium elementorū mutationē, & ex cōsequenti, nullū elementum, esse principiū immutabile aliorū omniū. Ratio Aristotelis refellit media & extrema elemēta esse principia, & hoc illorū philosophorū firmamētū, & generaliter cōcludit, nullū ex quatuor elemētis principium materiale aliorum esse posse. omnia enim, quę vicissim contrarietatē habēt, vicissim mutātur: (cū inter cōtraria sit mutatio:) in his autē quae vicissim mutantur, nullū primum aut principiū statui potest, vt constat, ex quo fiat mutatio: sed omnia elemēta, siue media siue extrema, siue cognata, siue non cognata, vicissim contrarietatē habent, & mutantur: in omnibus igitur elemētis nō est aliquid primū aut aliorū principiū materiale. De propositione nulla potest esse dubitatio, cū sit firmamentū doctrinę de principiis rerū naturaliū, quę i. physic. explicatur. Assumptionis ostensio descriptio-  
ne elementorū proponitur hoc mo-  
do, sint quatuor elementa initiali-  
bus literis nominū gr̄corum nota-  
ta: & aliquod ex duobus mediis vt  
aer, mutetur in aquam & ignem: vel  
igitur secundum eandem, vel diuer-  
sam contrarietatē: non eandem: ergo  
diuersam: & ex consequenti erit  
contrarietas in mediis & extremis

## Liber secundus

elemētis, (cum id, quod de uno me-  
dio dicitur, de altero similiter dici  
possit) quod si contraria sunt vicissim  
extrema & media, vicissim quo  
que mutari est necesse, quod erat  
demonstrandū. omnes huiusmodi  
deductiones sunt firmes & constan-  
tes, si assumptio illa ostendatur vera,  
quod non secundū eandē contrarie-  
tatē fit mutatio a ēris in aquā & ig-  
nē: sed huius demonstratio est, quo-  
niā si secundū eandē, sequeretur  
aquam & ignem, idem omnino ele-  
mentū esse: quod tamē fieri nequit:  
fit enim aer factus ignis & aqua se-  
cundum eandem contrarietatem,  
eadem igitur differentia ab aqua  
& igne distinguitur, & ex conse-  
quēti, aqua & ignis erūt idē elemē-  
tum. Fit igitur mutatio secundum  
diuersam cōtrarietatem, verbi gra-  
tia, si inter aerem & ignem sit albi  
& nigri cōtrarietas, vt aer sit albus,  
ignis sit niger: sed inter aerem &  
aquam sit contrarietas humidi &  
succi, vt sit aer siccus, aqua sit humi-  
da. Hæc est demonstrationis Aristoteli  
firmissima progressio. quam  
intuens Arist. sic principio propo-  
suit, text. 35. (sed quoniā vicissim  
mutantur, impossibile est, aliquod  
ipsorū principiū esse, siue extremū  
siue medium.) q.d. ex reciproca ele-  
mentorū mutatione colligitur, nul-  
lum ex illis aliorum principiū ma-  
teriale esse posse, vt collectum est.

Text. 36. **Q** uod autē in infinitum  
progressio fieri non  
possit, quod demonstraturi,  
huc prius defleximus, ex his  
manifestū est. Si enim rursus  
ignis quod est, I. in aliud muta-  
tur, nec regrediatur, vt in PS,

inerit igni alia cōtrarietas ab  
his quę dictæ sunt. non enim  
ponitur eadē, iis quę T L A I,  
inerant. insit itaq; ipsi I, ipsum  
B, ipsi verò PS, ipsum M, qua-  
re ipsum B, inerit omnibus il-  
lis T L A I: quia vicissim mu-  
tantur. Sed hoc quidē sit non-  
dum demonstratum: illud cer-  
tè manifestum est, quod si rur-  
sus PS in aliud mutetur, alia  
cōtrarietas ipsi PS inerit, & ip-  
si I, quod est ignis. Similiter  
etiā, addito elemēto, & priori-  
bus, contrarietas quedā alia  
inerit. Quare si infinita, & cō-  
trarietates infinitę vniinerūt.  
Quod si fiat, nihil neq; defini-  
ri, neq; gigni poterit. oportet  
enim, si aliud ex alio oria-  
tur, tot per trāsire cōtrarieta-  
tes, & adhuc plures, vt in ali-  
qua prorsus nō sit futura mu-  
tatio, vt si infinita sint media,  
quod vtiq; necesse est, si infi-  
nitā sint elemēta. sed neq; ex  
aere in ignē mutatio erit: si  
quidē cōtrarietates sunt infini-  
tę. quin etiā omnia, vnu fient:  
quia necesse est, omnes cōtra-  
rietates inesse, inferioribꝫ qui  
dē ipso I, eas, quę superiorū:  
his verò eas, quę inferiorum:  
quare omnia vnum erunt.

### Explicatio.

**Q** uoniam pr̄cedēti ratione se-  
cunda, ex veterū sentētia ac-  
cepit,

cepit generationem rectā infinitā esse non posse, & eam tantum causam adiecit, quia essent in eodē infinitē contrarietates, ut ex uno in infinitū mutatio, quę est inter cōtraria, procederet, hoc ipsum pluribꝫ rationibus nūc demonstrat. est ita que secūda capitī cōclusio, nō potest esse elementorū generatio infinita & recta, ut semper ad vltiora fiat progressio, sine regressione ad priora, in quo posita est ratio mutationis recte & infinitę. Conclusio-  
nis vnica est demonstratio, sed ea multa colligit ex hac positione ab-  
surda, disponitur autē hoc modo.  
sunt quatuor vulgata & nota elemē-  
ta, his notata elementis quibus p̄cedēti tex. 35. T L A I, & cū in re-  
cta mutatione, ex priori fiat poste-  
rius, cū I, idest ignis ex pr̄cedenti  
factus fuerit, fiat deinde ex I, aliud  
quintum elementū quod sit PS. itē  
ex quinto fiat sextū, & sic in infini-  
tū, & mutatio in PS, fiat secundum  
B M. idest bonū & malū, ex his ne-  
ditur hēc demonstratio: si esset, vt  
quibusdā visum est, infinita muta-  
tio recta, essent in eodē infinita cō-  
traria: falsum secundū, falsum igi-  
tur & primū. Propositionis confir-  
matio est, quia omnis mutatio secū-  
dū aliquā contrarietatē fit, vt con-  
stat, quod si infinita mutatio ponan-  
tur, & recta, vt nunquā ad antecedē-  
tē contrarietatē fiat regressio, sed  
subindenoua accipiatur contrarie-  
tas, necesse est infinitarū mutatio-  
nū in rectū infinitas esse contrarie-  
tates. sed eas omnes eidē inesse, nō  
statim cōstat, sed constabit hoc mo-  
do. In prioribus elemētis insunt po-  
steriores cōtrarietates, si positioni  
cōueniēter afferendū est, quia prio-  
ra in posteriora mutari possunt, nō

cōtrā, posteriora in priora, cum sic  
esset regressio ad priora, & non re-  
cta mutatio, vt ponitur in quibꝫ au-  
tē non est mutatio, neq; contrarie-  
tates: quare cū I, mutatur in P S, secū-  
dū contrarietatē B M, si ipsi, I, inest  
B, inerit necessario & ipsis T L A, &  
cū similiter cōcludatur de aliis cō-  
trarietatibus, idest parte cōtrarie-  
tatis cuiusque, quod insit prioribus  
elemētis, recte efficitur, si infinitarū  
mutationū infinitę sunt cōtrarie-  
tates, atq; hæ insunt prioribus ele-  
mentis, quia nō sunt cōtraria: (si au-  
tē elementa non habent cōtrarias  
qualitates, oportet habere easdem,  
cū his tantū differant:) infinita con-  
traria in eodem esse, quod fieri ne-  
quit, posset quidē Aristot. facilius  
ostēdere prioribus elementis con-  
trarietates posteriorū inesse, quia  
illorum est reciproca mutatio, &  
ideo per eadē contraria: sed quia il-  
li autores recte mutationis elemen-  
torū & infinitę, reciprocā & circula-  
rem non possunt admittere, si sibi  
conscient, ideo inquit Arist. hæc ra-  
tionē nō admittatur, quasi demonstra-  
ta nō sit reciproca elementorū mu-  
tatio c. 4. quare hæc est demonstra-  
tio propositionis, ex qua colliguntur  
alia tria absurdā & impossibilīa. Pri-  
mū, nihil ex his definiri, nihil gigni  
poterit: quia impossibile est tot &  
plures, idest infinitas contrarieta-  
tes pertransire: cum autem huius-  
modi contrarietates differentiæ  
censeantur elementorum, vt q. 3.  
ad cap. 4. ostensum est, si in uno  
quoque sunt infinitæ, vt ex illorum  
propositione deductū est, nihil eo-  
rum definiri poterit: quia definitio  
circumscribit definitum propriā dif-  
ferentiā: in iis autem erunt infinitæ  
differentiæ, quare nō erit definitio:

neq; etiam generatio, quia oportet infinita illa, mutatione generationis percurtere: quod tamē rationi infiniti repugnat. Alterum absurdū est, nullius elementi in alterum mutationē esse posse, neq; cognati in coniunctū, vt acris in ignē, cū tamen cognatorum facilior sit, & celerior mutatio, quia infinita oportet per trāsire, quod fieri nō potest. Tertium absurdū est, omnia fore vnum & idē elementū, quia in eodem essent omnes contrarietates, nem pē infinitē: & elementa formātur & constituuntur, vt dictū est eadem q. 3. ex huiusmodi contrarietatis, quatenus vim habent agendi & patiendi. Quare afferentibus, elementorum mutationem rectā & infinitā esse, accidit suę positioni omnino contrarium, vt nulla omnino sit mutatio, quia per illa infinita, quę ex illa positione concludūtur, nihil omnino mutari potest.

Sed aduersus hanc rationē multæ exoriuntur dubitationes. quamuis enim per se manifestū est, infinitorum elementorum, quę si ponatur eorum mutatio recta & infinita, admittenda sunt, infinitas esse contrarietates; cum cuiusque mutationis propria sit contrarietas, ab omnibus aliis omnino diversa in recta mutatione, in qua non est ad pr̄ecedentē aliquam mutationem aut contrarietate regressio: sunt tamē in hac demonstratione pleraque assumpta, quae non videntur necessaria.

Prima dubitatio.

Primū quidē, sumit hęc demonstratio ex quarto elemento fieri quintū, quod erat P S, secundū nouā quandā contrarietatē, quę prius sumpta non esset, vt multiplicatis mutationibus, nouę subinde mutationū contrarietates multiplicarē

tur: quod tamē necessarium non videtur. nunc enim quatuor elemētis existentibus, si aer in ignē secundū contrarietatem humidi & siccii mutetur, aqua tamen in terram secundū eandem mutari potest, vt constat. Deinde ad confirmationē propositionis primę demonstrationis, assumit partem contrarietatis, per quam fit in sequentia mutationē esse in prioribus elementis, quod etiam non videtur necessarium: quia potest aliquid prius mutari, in quo tamen non sit ea pars contrarietatis, vt nunc in aere & igne contingit. aer enim secundū humidum in ignem mutatur, & tamen in aliquo priori, non est humidum, sed siccū vt in terra. Tertio non videtur secundū absurdum constanter concludi, nem pē vnum elementum ex altero fieri non posse, si infinitae sint mutationes in rectū. quāvis enim neq; primum ex medio, vel cōtra, neque ex medio vltimum, vel contrā fieri possit, infinitis elementis, quae in rectū mutentur positi: quia in infinitis neq; primum, neque vltimum, & ex consequenti neq; medium, certo definiri & designari potest: nihil tamē est quod prohibeat vnum elementū coniunctū & cognatū, ex alio cognato & cōiuncto fieri, cū inter ea nihil sit interiectū finitum, aut infinitum: negat tamē Arist. fieri posse, retēta illa positio, de mutatione elemētorum finita & recta, vt ex aere ignem gigni non posse. Quartò non videtur etiā constanter colligi ex eadē positio, omnia illa elementa esse vnum: quia elementa distinguuntur qualitatū contrarietatis, & cuiq; elemēto ad propriam mutationē propriā contrarietatis pars attribuitur, non sunt

Ex Philop.

sunt ergo omnes in eodē elementō cōtrarietates: & idcirco omnia elemēta, vñū esse non possunt. Sed respondeo, duarū dubitationum priorū absurdā absolutē non concludi, ex illa tamen veterū positione cōuenienter concludi. itaque si velint illi autores positionem suā tueri, & sibi constare, eadem absurdā admittere coguntur. Ratio primę deductionis in prima dubitatione est, quia in mutatione elementorū recta & infinita, pr̄cedētis mutationis contrarietas iterū sumi non potest, quia fieret ad priora regressio, quod est contra rationē rectę mutationis: quare retenta illa positione, nullius mutationis contrarietas in priori aliqua mutatione reperiri potest. Ratio deductionis secundā in secunda dubitatione est, quia elemēta, quę aliqua contrarietate nō differūt, necesse est eadem esse: cū elementa solis qualitatibus different & constituantur, vt q. 3. ad cap. 4. ostēsum est: cū autem in illa mutatione recta & infinita nulla contrarietas bis sumi possit, neq; mutatio sit in priora sed tantum in posteriora, necesse est, priora elemēta, inter quę mutatio non est, cōtrarietatē non habere, quod est eadē esse & eandem habere contrarietatem cū posterioribus, sed non inter se. Pr̄terea si quoduis elementū ex illa mutatione recta & infinita ex prioribus factū est, & habet aliquā partem contrarietatis, necesse est eandem ex prioribus accepisse, cū factum est ex illis: quare eadem in prioribus pars contrarietatis revertetur. Ad reliquas duas dubitationes, tertiam & quartam, eadem ratio solutionis est, ex ipsa mutatione recta & infinita: cui consentanea sunt

illa absurdā tertii & quartū, vt de aliis etiā dictum est, si enim verbi gratia I, quod est ignis, mutari ponitur in P S, quod est quintū elemētum secundum aliquam contrarietatem, & tamē P S, in I, contrā mutari non potest, quia non esset, quę ponitur, mutatio in rectū, sed reflecteretur, necesse est illa duo elemēta I, & P S, contrarietatem nō habere, & hac re, idem esse, vt prius collegimus: & cū similiter possit idem concludi de omnibus prioribus elemētis, inter quę mutationē nō est, & idcirco neq; contrarietas, efficiuntur illa duo absurdā tertii & quartū ex illa positione necessaria, nempe elementum cognatū & coniunctum ex alio sibi coniuncto proximē fieri nō posse, quia nō habent contrarietatem: & omnia elemēta esse vnum, quia inter omnia quę facta fuerint, nulla cōtrarietas erit, aut repugnantia, & ex consequenti idem esse elementum necesse est: cum elementa cōtrarietatis qualitatū different, & in his nulla sit differentia.

## C A P. VI.

**M**irabitur autem aliquis, quemadmodū ij, qui plura vno elemēta corporū ponūt, ita vt vicissim non mutantur, ea inter se cōparari posse, affirmēt: quod Empe. placuit. sic enim inquit, hæc enim equalia omnia. si igitur quantitate aliquod idē omnibus cōparatis inesse oportet, quo mēsurentur, vt si ex aqua sex tario decem aeris fiant: ambo

Text. 37.

N 5 igitur

igitur idem sunt, si eodem me-  
surentur. Sin minus nō ita quā-  
titate comparentur, vt quan-  
tum ex quanto, sed quia potē-  
tiam habēt, vt si aquæ sexta-  
rius, tātundē refrigerare pos-  
sit, quantum decē aeris, & sic  
per quantum, nō ratione quā-  
titatis, sed potentie, compara-  
ri possint, licebit potētias, nō  
quantitatis mensura, sed pro-  
portionē cōparare, verbi gra-  
tia, vt hoc calidū est, sic illud  
album. illud autem, vt hoc, in-  
qualitate similitudinem, in  
quantitate æqualitatem signi-  
ficit. Absurdū ergo videtur,  
corpora, quæ mutari non pos-  
sunt, nō proportione, esse cō-  
parabilia, sed potētarum mé-  
sura, & esse æquale calidum,  
aut similiter tantum ignis, &  
multo plus aeris. nam ipsum  
plus, quod eiusdem sit gene-  
ris, talem habebit rationem.

*¶ Capitis sexti explicatio.*

**A**D rerū omniū corru-  
ptibilium generatio-  
nem, cuius esse & priu-  
cipia his lib. explican-  
tur, tria principia con-  
stituit c. 1. huius lib. 2. Arist. mate-  
riā primam & cōmunem, elemēta  
vulgata, vt prima corpora natura-  
lia, & primas contrarietates: mate-  
riā autem non esse aliquid ex illis  
quatuor elementis, contra veteres  
physicos disputatū est, & ex mutua  
elementorū mutatione conclusum

est, materiā primam illis subiectā  
esse: quia contraria non suscipiunt  
mutationē, sed quæ illis est subiecta  
materia. sed quoniā Emped. senten-  
tia, hoc firmamentū constituendæ  
materiæ primæ, nempe elemento-  
rū mutuam & reciprocā mutatio-  
nem, omnino tollit, afferens immu-  
tabilia esse elementa, contra eius  
sententiam hoc c. 6. differit mul-  
ti argumentis, & singillatim refel-  
luntur omnia Empedoclis, de rerū  
ortu, dogmata, & de motu rerū na-  
turaliū. Itaq; conclusio capitī est:  
falso Empedocles afferuit, elemen-  
ta quatuor esse immutabilia. Argu-  
mentum primum est, quia afferuit,  
elementa cōparari posse, quatenus  
æqualia esse afferuit: hēc autē duo  
consentire non possunt, elementa  
sunt comparabilia, & immutabilia:  
non est igitur verū immutabilia es-  
se, si cōparari possunt. illa verò duo  
cōsentire nō posse, sed valdè poti<sup>9</sup>  
dissidere, hēc argumentatio cōclu-  
dit. aut enim illa æqualitas & cōpa-  
ratio elementorū est in quantitate,  
vel potentia eiusdem qualitatis, di-  
uersę aut cōtrarię: sed nullo ex his  
modis cōparari possunt, & immu-  
tabilia esse: nō cōsentīunt igitur cō-  
paratio & immutabilitas elemēto-  
rū. maior propositio ex sufficienti  
& perfecta diuisione cōstat, & aper-  
tè explicatur. Quātitate enim bifa-  
riæ elemēta cōparari possunt, & dici  
æqualia, vel magnitudine existenti:  
vel facta per mutationem, vt si ex  
aque sextario, fiant decē aeris, aut  
tanta sit vnius elementi, quāta alte-  
rius magnitudo. qualitatis etiā po-  
tentia & virtute potest esse trifariā  
comparatio, vel eadem qualitate,  
vt calor in duobus aut pluribus:  
vel contraria, vt tātum sit in uno ele-  
mento

mento caloris, quantum in altero frigoris, vel diuersa & nō cōtraria, ut quantū humoris sit in vno, tantū in altero sit caloris, & in his omnibus consideretur quid possit qualitas cuiusq; quia in ea consideratione comprehenditur gradum qualitatis & subiecti agentis & patiētis consideratio. Assumptionis confirmatio per singulas diuisionis partes deducitur. primū ergo elementa, quātitate existenti, quam habēt, æqualia dic non possunt, quia constat, terrā maiorem esse aqua, cum hæc ciuitatibus terre contineatur, & in corporibus maius sit continēs contento: aliorum autem elemētorum aeris & ignis omnino occulta est quantitas, & ideo æqualia affirmari non possunt, non possunt etiā dici æqualia, quātitate facta permutationem, qua comparatione vtitur Arist. i. meteorologico: quia repugnat hæc æqualitas & comparatio positioni Empedoclis, asserētis elementa immutabilia esse. Præterea in hac comparatione, quæ cōparantur, vno & eodē mensurantur subiecto, quod minori & maiori quantitatib; substernit: vbi autē est cōmune subiectū, mutatio etiā reciproca esse potest, cū idem subiectum ab vno in alterum cōtrarium mutari possit. quare sic cōparari elementa, & æqualia esse, omnino dissentit ab immutabilitate, quam Emp. posuit. Deinde cōparari nō posse elementa, vel æqualia esse potētia qualitatis eiusdē, aut cōtrarie, vt si calor æqualis sit in duobus, vel calor vnius, & frigus alterius, sint æquales, aut in équales, ex eo cōstat, quia intensa remitti, & remissa intendi possibile est, & plerūque in natura contingit: qualitatibus autē, quæ in-

tendi & remitti possunt, eadem est subiecta materia: quare, quæ hoc modo cōparantur, mutari possunt, cū remissio & intēsio conuenientiū in materia, sit ad mutationē substanciæ via & progressio quædā. quod si æqualia dicūtur Empedocli elementa qualitate diuersi generis, vt tantū sit in altero caloris, quantū in altero humoris vel cādoris, (dicuntur enim diuersi generis, quæ non sunt contraria,) erit hæc cōparatio secundū proportionē, & non secundū virtutem agendi, cū actio & passio tantū sit contrariorū: & ea quidē comparatio consentit cum elementorum immutabilitate: sed nō est in his æqualitas, vt voluit Emp. sed est qualitatū similitudo. Absurdum est igitur immutabilia elementa & comparabilia asserere, si non proportionē, mensura saltem potētiarum, vt æqualis vel similis sit calor (si in his non est propriè æqualitas) in tanto igne, & in aere multo maior, & æqualis vel similitudo sit in potentia qualitatis, excessus autē maioris sit in mole & magnitudine. Ipsum autem plus, id est huiusmodi, in mole & magnitudine excessus habebit hanc rationem & proportionē æqualis caloris in potentia & virtute, in eodē genere, id est materia & subiecto eiusdē rationis. quæ autē eandem materiā participant, & æqualia sunt qualitatis potētia, & virtute, intendi & remitti possunt: huiusmodi autē sunt mutationes quædā, vel ad mutationē substantiæ, quædā via: quare, quæ hoc modo æqualia sunt, immutabilia esse non possunt, vt Emp. voluit. hæc est plena & perfecta rationis Aristot. progressio, cuius partes nō omnes confirmavit Arist. sed eas tantum,

quæ

## Liber secundus

quæ ad confirmandā elementorum mutationē, quæ erat sibi proposita, essent accommodatæ: nempe elementa comparari nō posse, aut esse æqualia, ut voluit Emp. vel quantitate facta per mutationē, id est quatenus sit ex quāto quantū, æquale, maius aut minus, ut loquitur Aristot. neq; etiam cōparari potentia & virtute qualitatis contrariæ, vel eiusdē generis, vel diuersi. cæteras vero partes cōfirmauimus, ut esset ratio perfecta, adiuti diligētia Philop. & propriis quibusdam obseruationibus. hactenus prima ratio Arist. cōtra Emp. constituentem elementa immutabilia. deinde alia eius de motibus & naturalium rerum generatione decreta propriis rationibus refutantur.

**Text. 38.** **A**T qui neq; accretio alia fuerit secundū Emp. ni si per additionē. Sic enim ait, ignis augescit igni, & terra suū genus, æther auget æthera. hæc autē appositiō quedā est: non autē sic videtur accrescere, quæ accrescunt. Sed multo eidē difficilius est, generatio-

nis naturalis rationē reddere, quæ enim natura fiūt, vel semper hoc modo, vel plerumq; fiunt: quæ vero nec semper, nec plerūque, cassu aut fortuna. quod nam igitur causæ est, cur ex homine homo, vel semper, vel plerūque oriatur? & ex tritico triticū, nō olea? An quia si hoc modo cōponantur, os oritur? non enim ex iis quæ contingēter cōcurrunt,

**Text. 40.** **E**st ergo secunda ratio contra Emp. quia tollit verā, & anima torū propriā accretionem. Appositiō enim vnius ad alterum, ut cum partes

aliquid dignit, vt ille ait, sed ratione quadā: quæ igitur horū causa est? non enim certè ignis aut terra. Sed neq; amicitia, & lis, congregationis enim tantū illa causa est, hæc segregationis. hoc autē est cuiusque substantia non solū mistio, & mixtū dispositio, vt ille ait: sed fortunā in his nominatur, non ratio. contingēter enim aliqua permisceri possunt. rerū enim naturaliū causa est, rem sic se habere: & hæc est cuiusq; natura, de qua Empedocles cū nihil dicat, nihil dicit de natura: at hoc est benē se habere, & bonū: ille vero solam mixtionem laudat. quamquā elementa, quæ Deo priora sunt natura, nō discordia, sed concordia & amicitia fecerit, & hæc ipsa dīsunt. Prætereā de motu simpliciter **Text. 42.** dicit. non enim satis est dicere concordiā & discordiā vincere, nisi addatur, propriū esse cōcordiē tali motu, & discordiæ tali mouere. Oportebat igitur vel definiri, vel pone re, vel demonstrare, aut accuratē, aut negligenter, aut alio quoddam modo.

### Explicatio.

**E**st ergo secunda ratio contra Emp. quia tollit verā, & animatorū propriā accretionem. Appositiō enim vnius ad alterum, ut cum

partes

partes diuersorum, aut eorundem corporum coniunguntur, non est vera & propria animatorum accretio, cum sit in hac alimenti alteratio, assimilatio, & in maiorem quantitatem conuersio, & non sola additio. Empedoclis autem accretio est apposito tantum, ut eius carmina ostendunt: non est igitur vera & viuentium propria accretio, de qua dictum est 5. cap. lib. 1. & 4. cap. libri 2. de anima.

Tertia ratio contra eundem est, quia generationis naturalis substantiae (fiant enim multa, arte, electio, fortuna:) confirmationis organorum nullam causam per se certam & propriam reddit, sine qua nullius viuentis generatio explicari potest: hæc autem causa est efficiens per formam certa quadam ratione & proportione in materiam sibi accommodatè præparatā, in qua præparatione certa & definita elementorum secundum qualitates & quantum moderatio & temperies continetur: hanc igitur causam Empedocle non attigisse, ex his deducit Arist. Primo, quia hoc totū fortunę tribuit, non autē esse naturali: fortuna autem est eorum, quæ raro fiant, ut 2. physi. c. 5. dictum est: naturalia verò plerūque aut semper eodem modo eveniunt. Secundo, quia generationis causam dicit elementorum permissionē, quam constat non esse sufficientem causam, sed tantum moderationem quandam materię, præterquam oportet etiā efficientem causam esse definitę rationis, ad ingenerandam formam in præparatā materiā. Tertio, neq; liti aut amicitię, quas ille causas probauit, hæc generatio tribui potest: cū lis & amicitia Empedocli

tantū sint causæ congregationis & segregationis: lis quidē segregatio nis ex sphero, in quo elementa aliquando conueniebant, amicitia autē cōgregationis in eodē. Quare generationis naturalis, cuius causas physici interest explicare, nullę causas perse sunt in physica Empedoclis, sed vel fortuna, vel elementorum permisio, cū illa sit ex accidenti, hæc tantū ad materiam referri potest: naturalē verò causam efficien tem, quę certa quadam ratione efficeret, & à qua benè & accommodatè omnia fiūt, & ipsum bonū & perfectio, nempe forma deriuatur, omnino omisit. Solā elementorum permissionē laudat, cū hæc plerumq; interitus causa sit, nō ortus, & ideo veneratione potius digna. Sphærū ipsum, hoc est elementorum cumulū, Deū vocat, ut pote principiū rerū omnium: huius sphéri causam, amicitiā dicit, quia ex ea cōgregantur in sphero elemēta: litem verò dissolutionis sphéri, ut elemēta sint sphero absolute priora, quę in sphero amicitia coaluerint, oportuit tamē, amicitiā disgregationis potius & dissolutionis sphéri causā assignauisse, quia ex elemētis separatis à locis naturalibus, & ideo non manentibus in naturali constitutione, spherum cōponit amicitia: quare hæc ipsa disgregat & separat elemēta à propria natura. quod si elemēta sphero, quem Deum vocat: priora sunt, cum ex illis coniunctis per amicitiam fiat, non est cur & ipsa elementa non sint dij quidam, præsertim cum sint etiā immutabilia ex sententia Empedoclis.

Quarta ratio contra Empedoclis doctrinā demotu, quia non est exacta ex causis & principiis, definitioni-

tionibus, aut positionib⁹, ex quibus tantū scientifica esse potest. Inquit enim tantum amicitiam congregationis, lītē disgregationis causam esse: qua verò ratione eorum motuum causæ sint, neque definiuit, neque demonstrauit accuratè, aut negligenter. itaq; reprehenditur Em ped. vt methodi scientificæ prorsus ignarus in physica institutione.

**T**ext. 43. **I** Am verò quoniam corpora & vi præterq; naturam, & natura moueri videtur: vt ignis sursum non vi, deorsum autē vi fertur: ei autē quod vi fit, id quod secundum naturā contrarium est, & aliquod vi moueri potest: fit vt aliquid etiā natura moueri possit. Hūc igitur motum amicitia affert, an non? Nam terrā deorsum ferrī, concordię contrarium est, & segregationi simile videtur: & discordia potius naturalis motus causa est, quā concordia. Itaque concordia contra naturam potius fuerit: simpliciter autem nisi concordia & discordia mouerent, horū corporum nullus esset motus nec quies: quod absurdū est.

**T**ext. 44. Amplius autē, ea moueri cōstat, segregauit enim discordia. æther autem non à discordia sursum elatus est, sed interdum veluti à fortuna elatū esse dicit.

Tunc enim hoc pacto, diuerso sāpē incurrit, interdū autē

ignē natura sursum ferri asserit, Ast æther longis sub humū radicibus ibat. Quin etiam, & mundum similiter se habere dicit, nūc in discordia, & prius in concordia. quid igitur est mouēs primum, & causa motus? non enim certè cōcordia & discordia, sed alicuius motus hē causæ sunt: quod si est, illud erit principiū. Illud etiā **T**ext. 45. absurdum est, animam ex elementis, aut aliquid eorū esse. Alterationes enim animæ quomodo erunt? vt musicum esse & inmusicum, memoria aut obliuio. Manifestum est enim, quod si signissit anima, affectiones signis ipsi animę inierunt, si verò mistum aliquod, corporeæ affectiones: cum tamen harum nulla corporata sit. Sed hæc sunt alterius considerationis.

### Explicatio.

**Q**VINTA RATIO CANDĒ DOCTRINAM Emp. imperfectionis & insufficientię conuincit. Prīmō quod motus naturalis & violenti nullam reddit causam: amicitia enim vel cōcordia, quā dicit motus naturalis causam, potius est causa violēti, quia remouet elementa à suis locis naturalibus, vt in sphæro conueniant: & discordia segregans ex sphæro elementa, erit causa motus naturalis, quia segregata ex sphæro elementa in loca naturalia secedunt. Secundo, quia secundum

dum Emped. concordia tantum & discordia sunt esse motus, & ex consequenti quietis, cum tamen nō sint internæ & insitæ causæ motus, vt natura. cum igitur in vniuerso sit vterque motus & violentus & naturalis, oportebat vtriusque certā & definitam assignare causam & naturalis insitā, neque omnes causas motus ad cōcordiam & discordiam referre, cum nō sint certæ cauſæ eorum motuum, quorum voluit Emp. vt ostensum est, & sint causæ ex eterne, nō insitæ, vt natura. Tertio quia in asserendis causis motus, nō constat sibi Emp. licet fateatur elementa moueri: interdū enim fortunam, interdum naturam, causam esse dicit.

Sexta ratio contra Emp. quia asseruit mundū eodē modo semper se habere, siue concordia vigente, siue discordia: quod si hoc ita est, mundus ex seipso, & ex alia causa, eodē motu semper mouetur, vt per eum semper sit eodem modo: & id circa non erit cōcordia aut discordia huius motus causa, quas tamen ille voluit, omnis motus causas esse.

Septima ratio est, ad refutandam compositionē animæ ex elementis, quā Emp. asseruit. si enim anima ex elementis constaret, eisdem affectionibus, quibus elemēta, subiicitur ex elementis cōcreta: non subiicitur autem his anima, sed aliis incorporeis, vt ignorationi, obliuioni, memorie. sed contra hanc sententiam pluribus differere ad lib. 1. de anima pertinet. Nunc verò ex hoc loco constet animam Aristoteli in corpoream videri, vt differetur lib. 2. de anima.

## CAP. VII.

**D**e elementis autē, Text. 46.  
ex quibus corpora constant, quibusq; que quidem vide-  
tur aliquid commune esse, aut vicissim mutari, necesse est, si alterū horum, & alterū euenire. Qui verò generationē Text. 47.  
vicissim non faciunt, neq; singula ex singulis, nisi vt ex mu-  
ro lapides, absurdum accidit. Quomodo enim ex illis erūt carnes & ossa, & quiduis aliud  
habet autē, quod dicitur, dubi-  
tationē, & apud eos, qui ex se  
vicissim generant, quonā mo-  
do ex ipsis sit aliquid aliud præ  
ter hoc. Dico autē vt si exig-  
ne est aqua, & ex hac sit ignis:  
est enim quoddā cōmune sub-  
iectum. at qui & caro ex ipsis  
sit, & medulla. Hęc autē quo-  
modofūt? illi enim, qui Emp.  
sequuntur, quis erit modus?  
necessē est enim cōpositionē  
esse, quemadmodū ex lateri-  
bus & lapidibus murus. hęc  
autem mistio ex elemētis qui  
dem seruatis, sed ex minutis  
partibus inter se compositis.  
Sic ergo caro & quiduis aliud.  
continget autem sic, non ex  
quauis parte carnis fieri a-  
quā & ignem: quemadmodū  
ex hac cerē partē sphera, & ex  
aliqua alia pyramis fit: sed  
contin-

cōtingit ex vtraque, vtramq; genitam esse. itaque hoc modo fit ex carne, vt ex quauis parte ambo oriātur: quod nō licet iis, qui alio modo dicūt, sed quemadmodum ex muro lateres & lapides oriuntur, vtrumque ex alio loco, atque

**Text. 48.** parte. Similiter autem apud eos, qui faciunt vnam ipsorū materiā, dubitationē habet, quonā modo aliquid ex vtroque, vt frigido & calido, aut igne & terra, fiat? si enim caro ex vtroque, & neutrum illorum est, nec rursus eorū, quæ integra seruātur compositio, quid restat, vt sit ex illis cōpositum, præter materiam? alterius enim corruptio, aut alterum, aut materiam facit.

### Capitis septimi, explicatio.



Ostquam materia elementorū communis, & ea vicissim mutari, contra Emp. ostensum est, generatio & compositio mistorū ex elementis explicatur, vt generallis illa mistionis doctrina, c. vltim. libri prioris, quasi in actū deducta representetur. capit is due partes, primarepetit ex p̄cedētibus sententiam propositaē accōmodatam questioni: altera questionem ipsam de mistorum compositione ex elementis explicat. Prioris partis hēc sententia est, afferentes communē & eandem elementorum mat eriā,

fateri etiam oportet, vicissim elemen ta mutari, & contrā. confirmatio sententiae nulla est hoc. c. quia p̄cedentibus comprehensa est: sic autem breuiter cōcludi potest. Contraria circa idem & cōmune subiectum agūt & patiuntur: (quia vnum contrarium non potest esse alterius subiectū, cap. 1. huius lib. & vicissim ab eodem subiecto se expellunt:) quę mutantur elemen ta, sunt contrariaratione qualitatū, 4.c. huius libri: elemēta igitur, quę mutātur, communē habēt & eandē materiā: quod si cōmūnem habent materiā, & ab eadē, ratione contra rietatis, mutuō se expellunt, interdum uno, interdum altero vincēt: vicissim sanè mutantur. Posterioris partis hēc prima sententia est, quibus elementa immutabilia vi dentur, vt Empedocli, impossibile est, mista ex elementis constituere: quibus verò mutabilia, valde difficile. Prima ratio primi est, quia si elementa ponātur immutabilia, vt syncera semper sint, integra, & salua, compositio misti erit elementorum appositio: vt laterum & lapidū in muro, retinente uno quoque propriam materiam & formam, & synceras qualitates, vt retinent lapides & lateres in muro: non igitur erit propria mistio: hēc enim definita est cap. vltimo libri prioris, miscibilium alteratorum vnio: quare non manent elementa qualitatibus syncera, sed alteratione refracta, & ad quandam mediocritatem redacta. In illa verò appositione elementorū immutabilium esset eorum congeries, & in minutissimas partes se ctio, non autem vera permistio. Secunda ratio est, quia ex proprie mi sti quauis parte, quatuor elementa fecer-

secerni possunt, cum constent ex illis, & quævis pars misti sit mista, ut eod. c. vlt. ostensum est: sed ex illa elem̄torum immutabilium appositione non possunt sic secerni elementa ex quaenam parte, vt neque ex quaenam parte muri lapides, & lateres, sed ex diuersis: illam igitur elementorum immutabilium appositionem mutationem esse impossibile est. Ratio secundi est, quia si mixtum vt caro, sit ex elementis, & haec nō corruptur, quia mixtio non est generatio, neq; manent integra, vt in illa appositione Empedoclis refutata: & mixtum neutrū elementorum verè dicitur esse, quia quævis pars constat ex omnibus, cum sit mixta vt totum: nihil videtur reliquum esse, quod dicatur mixtum, nisi materia communis. quod tamen valde absurdum est: cū haec sit subiectū, & simplex pars rei naturalis, nō autē mixtum & cōpositum. hęc igitur ratio difficilē esse ostendit explicatu verā naturam mixti, in qua illa omnia retineantur, vt neq; elemēta corrūpantur, ne sit genitū, neq; omnino maneat integra & immutabilia, vt Emp. voluit, ne sit mixtio quædam tantū appositio.

Hanc Emp. refutationem desum p̄fit Arist. ex Hip. lib. de nat. homin. tex. 12. secundū Galeni diuisionem, vbi idē Gal. inquit, primus Hip. elemēta κερανίοθαι, id est tēperari docuit, atq; hac ratione differt ab Emp. qui ex eisdē elementis, quibus & Hipp. nos aliaq; omnia corpora, quę circa terram sunt, constare dicit, non tamen inuicem attemperatis, sed per exiguae partes committis, & se contingentibus.

**A**N verò, quoniā & magis & minus calidū, frigidūq; est,

quando simpliciter alterū actus fuerit, potētia alterum erit: cū verò nō omnino, sed quasi calidū fuerit frigidū, & vt frigidū, calidū: quod ea, quę miscētus suas exuperātias vicifim interimāt, tūc nec materia erit, nec vtrūq; illorū contrariorū actu omnino: sed interiectū mediū. quā autem ex parte calidius, aut frigidius, aut contrā esse potest, hac ratione, duplo magis calidū, aut frigidū esse potest, aut triplo magis, vel alio modo generis eiusdē. erunt igitur mixta & cōcreta diuersa, ex contrariis, vel elemētis: & elemēta ex illis, potentia quodā modo existēti bus. non ita tamen vt materia, sed eo modo, quo diximus: & est ita quidē mixtio, illo vero modo materia id quod fit, & mutatur. quoniā autē patiuntur cōtraria, vt demonstratū est principio, ( quod enim actu calidū est, frigidū esse potest, & quod actu frigidum est, calidū) fit vt nisi equalia sint, vicissim mutētur. quod fit eodē modo in aliis contrariis. ac primū quidem sic elemēta mutantur: ex his autē carnes & ossa, & huiusmodi, cum id quod calidum est, frigidū, & quod frigidū est, calidū efficitur, & ad mediū peruenient. hīc enim neutrum est: medium vero multiplex est, & non individuū. similiter autem humidum & siccū, & quae sunt generis eiusdem, secundum mediocritatem, carnem, ossa, aliaq; huiusmodi efficiunt.

#### ¶ Explicatio.

Altera sentētia huius secūdæ p̄est, mixta ex elementis fiunt, vel elementorum qualitatibus, æqualibus vi & potestate, castigatis tantum & refractis, vt nulla dominetur & vincat: vel vincēte quidem aliqua qualitate, ita vt contraria remitti, non

**O** autem

## Liber secundus

autem corrumpi possit: à qua vincēte temperamentum & mistum denominationem accipit, vt dicatur calidum, vel alia qualitate potissimum affēctum. sic dissoluitur dubitatio proposita, de constitutione misti ex elementis. Ratio huius sententię colligitur ex elementorum, quae miscentur secundum proportionem virtutis & efficaciam qualitatum, distinctione. interdum enim qualitates æquales sunt, vt calidum sit quasi frigidum & contrā, humidum quasi siccum, & contra: tunc autem alterum in alterum non vertitur, quia nullum habet ad agendum vim superiorem, vt positum est: sed suas inuicem excellentes qualitates reprimunt, vt ad quandā temperamenti mediocritatē, quae omnium refractas vires habeat, & nullius propriam, redigantur. sic ergo fit mistum perfectum, vnum ex omnibus æqualiter. quod si inæquales sint vires elementorum, quae miscentur, sic tamen, vt nulla alteram corrumpat, quia esset generatio, & non propria mistio, altera verò alteram remittat, vt ea dominetur, erit temperamentum imperfectū, à qualitate vincēte denominatum, calidum, frigidum, humidum, siccum, vel à duabus cognatis vincētibus, calidum siccū, & quē sequuntur, vt elementis sunt attributa. itaq; vt qualitatū vires & potentiae æqualitate & inæqualitate necessariò distinguuntur: sic & temperamenta mystorum, eadem ratione, duobus illis primis generibus contineri necesse est: atq; primum quidem illud perfectū, simplex esse & vnius modi, quia in æqualitate non est magis aut minus: hoc autem alterum inæquale, variis modis distingui pos-

se, pro vincentis vnius, aut duarum qualitatum distinctione, vt sint saltem octo, quæ modò distinximus. conueniunt autem hæc duo mistru genera prima, quatenus in utroque nullius elementi, quod miscetur, corruptio intercedit, quia semper illud principium, ex ultimo c. prioris libri, retinere oportet, missonem non esse generationē, aut interitum, sed miscibilium alterationem quandam, & qualitatū moderationem: & idcirco in generatione & interitu nihil saluum manet præter materiam primā: in mistis huiusmodi manent elementa, antequam generatio misti sit perfecta, salua quidem secundum substatiā, sed viribus refracta qualitatū, vel omnino æqualium, vt in primo genere misti, vel aliqua inæquali, aut aliquot existentibus, vt in altero genere, quo partes viuentium continentur, vt explicabitur vlt. c. 4. meteorologici. An vero illud primum temperamentū viribus qualitatū omnino æquale in natura possit consistere, vel sit ab Aristot. constitutum vt regula quaedā & eanō, ad quem cætera temperamenta, vt ad perfectissimum expendantur, vt demonstrationem perfectissimam in methodo scientifica constituise videtur, explicatum est à nobis, & disputatū, vltimo c. prioris lib. Nunc illud tantum animaduertatur, hic explicatam esse materiam misti, quæ sunt elementa permista variis modis, pro natura & ingeniō formæ excipiendæ: de aliis causis erit cap. 9. doctrina propria & vltim c. 4. meteort. præter qualitates quatuor ad misti generationē, adhibet naturam vt artē, quæ est forma, qua agens efficit & præparat materiam,

materiam, & patientis materia accōmodata perficitur in sua specie, de quo etiā eleganter Gal. lib. 2. de temperam. c. 8. Ad explicandū verò, quonam modo sint elementa in mixto potentia & non actu, Philoponus com. 46. potentia distinguit, ut quedā sit ad actum primum, quae dicitur essentialis, & materia prima: quedā ad actum secundū, ut anima, & omnis forma c. 1. lib. 2. de anima: quedā deniq; sit potentia media, quia est via ad actū perfectum, qualis est in mobili, quatenus mouetur. i. c. 3. physici. elementa igitur nō sunt in mixto potentia, primo modo, quia nō sunt materia prima, nec secūdo modo, quia nō possunt agere secundū proprias & excellētes qualitates, cum sint refractæ in quouis mixto, etiam perfecto: erūt igitur potentia terrio modo: quia dissoluta mixti tēperie, retinebunt elemēta synceras & proprias vites ad agendū. sed de his plura diximus ad vlt. c. prioris libri. vnde & mixta sunt diuersa ab elementis, quia ex his attēperatis: & elementa diuersa ab illis mixtis, quia in eis potentia existunt non actu: sed non potentia ut materia prima, quę vt mutationi subiicitur, omnia fit.

## C A P. VIII.

Text. 49.

 Mnia verò mixta corpora, quęcunq; circa medij locum sunt, ex omnibus simplicibus cōponuntur. terra enim omnibus inest: quia vnumquodq; maximè & pluri mū sit in suo loco: aqua verò, quia cōposita, terminati est ne

cessē: sola autē ex simplicibus facilē terminabilis aqua. prætereā, quod terra sine humido consistere non possit, sed aqua est id quod continet. si enim adimeretur omnino ex ipsa humidū, decideret. terra igitur & aqua propter has causas existunt, aer autē & ignis, quia terræ & aquæ contraria sunt, terra enim aeri, igni autē aqua contraria est, vt substantiā substantiæ contrariam esse contingit: quoniam igitur generationes ex contraris sunt, & alterū contrariorum extremum existit, necesse est, & alterum existere. quare in omni composito omnia simplicia inerunt.

Id etiā testatur cuiusq; alimen-  
tū, omnia enim ex eisdem  
nutriūtur, ex quibus sunt, nu-  
triūtur vero omnia pluribus.  
plantæ enim, quæ vtique sola  
aqua nutriti viderēt, pluribus  
nutriūtur. aquę nāq; terra  
admixta est: quocirca & agri-  
cole, cūtrrigare volūt, ea per-  
miscent. quoniam autem ali-  
mentū ad materiam refertur,  
quod verò alitur, coniuncta  
materiæ forma & species est:  
rationi consentaneum est, ex  
simplicibus corporibus, quæ  
ex se inuicem cognoscuntur, ig-  
nem solum nutriti: quemadmodum & priores tradunt.

Text. 50.

M 2 solius

## Liber secundus

solius enim ignis ac maximè species & forma est propria: quia insita vi fertur interminum. vnumquodq; autem in suā regionem naturæ vi ferri solet : forma verò ac species omnium terminus est. omnia igitur corpora ex omnibus simplicibus cōstare dictū est.

### Capitis octauii explicatio.

**D**E mistorū ex elemētis duobus generibus, proximo c. 7. dictū est, nūc verò ostendit, elemēta quatuor materiā esse, ex qua mistū componatur in me dio vniuersi, idest terra & aqua, quod est Arist. vnum corpus 2. c. i. meteorol. quod mihi, quāvis repugnante Philopono, de mistis per se cōtis intelligendū esse videtur, vt horum cōpositio, ab his distinguatur, quę imperfēcta ideo sunt, quod non sunt ex quatuor elemētis concreta: sed potius sunt vnuū, aut aliquot elemēta externis affecta qualitatibus, & ideo ab Arist. 1. meteor. sēpē dicuntur affectiones elementorū, vt pluuiā, grādo, fulgur, mare, quę potius retinent vnius elemēti naturā, sed externis qualitatibus adulteratam. probat igitur Arist. illa mista, quę in terra generātur, non autē in sublimi loco, vt meteorologica, ex quatuor elemētis cōstare, argumētis duobus: uno generali, & continēti viuentia mista, & vite expertia: altero speciali & vincentiū proprio, quia ducitut ex nutritione, quę viuentiū propria est. 4. c. 2. lib. de ani-

Primi argumēti dispositio est, mista, quę in medio vniuersi fiunt, terra primū esse omnium, quia in terra & virtute illius fiūt, & ex ea ferè corpulentia misti cōsistit. Deinde necesse est, terrā aqua perfundi, vt terre partes sibi inuicē connexę hę reāt: quia aqua facilē determinabilis est. idest determinari potest à terra, & simul cōtinere, ne dilabatur. licet enim alieno termino facilius aér terminetur, vt dictū est 2. c. huius secūdi: sola tamen aqua cū terminatur facilē alieno termino, consistentiā terrae tribuere potest. aér verò cum maximè dissipetur, vt ignis, propter raritatē, consistentiā tribuerenequit. sic terra sine humore in minutissimos dissipata pulueres euanescit. sunt ergo ad corpulentiam & consistentiā misti duo illa elemēta maximè necessaria, aqua & terra. quę cū insint misto, reliqua etiam duo ignis & aér adesse oportet. non enim mistum sine actione & passione constitui potest, & ideo prius libro priori, de actione & passione, quā demistione, dictum est: actio autem & passio tantū est contrariorum 6. cap. 1. lib. sed terrae & aquae contraria sunt, ignis & aer, ratione contrariarum qualitatum: illa ergo coniungi oportet, admisti constitutionem.

Hic obseruabis primo, ex Aristotelis sententia, terram sine humore facilimè dissipari, & continētem esse non posse: sed id de terra, quę apud nos mista componit, verū esse, vt quotidie experimur: in suo verò loco naturali, maximè continuatam esse, & adeo cōpactam, vt adamante durior sit, Galenus affimat: fortassis propter appetitum naturalē insitum partibus, à quo si bi inui-

bi inuicē valdē cohārentes, in mediū vniuersi feruntur. obseruabis se cūdo, elemēta dici ab Arist. cōtraria, non absolutē, cū substantia substantiæ contraria nō sit, sed vt substantiā substantiæ contrariā esse cōtingit, id est ratione qualitatū contrariarum, quibus afficiuntur. atq; ideo probare nō possum Philoponi sententiam, qui contarietatem negat compositis substantiis, formis simplicibus inter se concedit.

Alterum argumentū est, quia eisdem alimur, quibus constamus: alimur autē non simplicibus elementis, sed substantiis sapore infectis, quæ qualitas ex permīstione primarum orta est: constamus igitur quatuor elemētis. sic Arist. ostēdit 5.c. prioris libri, & 4.c. lib. 2. de anim. alimentū in fine esse simile, principio verò dissimile, & incremētum quibusq; sit ex eadem, qua consti- rint materia, c. 1. lib. 8. de hist. anim. adhuc tamē verū est, quæ sicca sunt humidis, amplius, quæ humida siccis potius & largius vti, quia qualitatis eius inopia maximē teneātur, sect. 10. problem. 58.

Quod si quis obiiciat, plātas aqua nutritiri, vt appareat cū irrigātur: responde Arist. aquę terrā permisceri, & id studiosè agricolas efficere, vt aquę terrā permisceant, addito etiā stercore, in quo viget calor. quod si plantarū alimentū simplicius esse videtur, & tamen terra & aqua constat, & vt sit actio contrariorum, ex aliis etiā elementis contrariis constare debet, aut eorū virtutibus: erit sanè omne alimentū viuentium ex quatuor elementis concretū & cōpositum. quid quod? elementa, quæ apud nos sunt, syncera non sunt, sed aliis permista, vt ostēdimus q. 3. ad

c. 4. huius lib. Est alia ratio, qua vlt. c. lib. 3. de ani. concluditur, animalia ex quatuor elementis constare, ex tactu desumpta: quia eius organū nū est ex omnibus qualitatibus attenuatū. est alia ex humoribus quatuor, quia proportionē respondent quatuor elemētis, de qua Gal. in lib. de natura hom. tex. 14. & lib. de humoribus. ostēdit etiā quatuor elemēta in mixto accensum lignū: quia ex eo prodit humor aquæ, aēr & ignis, quia flamma est spiritus siccii ardor, & cineres terre respondent. quibusdam absolutē videtur aquā nutritire nō posse ex Arist. principio de hist. & lib. 8.c. 1. & Theoph. 2.lib. de causis c. 8. sicut in equa aērem. Ratio est, quia concoctione nō crassescit, vt omne alimentū 4. c. 4. meteor. & lib. de sens. c. de sapore. quidā respondent, hēc esse vera de synceris elementis, sed neque aquā, neq; aliud esse apud nos syncerum, vt ait Gal. primo de simp. c. 5. sed responsio est infirma: quia licet nō sint apud nos elemēta syncera, nō tamen sunt eorū substantiæ corruptæ, sed alienis affecte qualitatibus, vt inquit Priscia, Lydus ad c. 44. Teoph. de anima. quare afferendum viderur, aquā nutritire, sed difficilē, & permīstā humoribus, quiviūti insunt: sic enim crassescit, & non per se, vt dicitur biles cere apud Hipp. 3. lib. de ratione victus c. de aqua, & hanc sententiā hīc significat Arist. & cōfirmat alimentū pīciū multorum apud Zondel. 1.lib. de piscib. c. 12. & 13. aliis locis dicitur nō nutritire, quia difficilē nutrit: & quod vix fieri potest, dicitur impossibile 1.lib. de cælo.

Sed quia ex nutritione viuentiū propria, secundum argumentum

## Liber secundus

collectū est, explicat nunquid sim-  
plex elementum nutritiū verē dica-  
tur. & constat sanè, nutritionem es-  
se viuentium propriam ex 5. cap.  
prioris libri, & 4.c. 2. libri de ani-  
ma: sed ex similitudine tota hæc  
oratio intelligenda est, ad explicā-  
dam veterām sententiam, quod ignis  
nutriatur rebus præsertim pin-  
guibus, cum tantum sit exilla ma-  
teria ignis faciliōr & celerior ge-  
nerati. sententia igitur est, ex om-  
nibus elementis simplicibus, solus  
ignis nutritiū videtur, hoc est quan-  
dā eius, quod nutritur, similitudinē  
referre. nutritio enim secundum  
formam fit, ut explicatum est. 5.c.  
prioris libri, ex alimento ut mate-  
ria: solus autem ignis formæ ratio-  
nem habet cum cæteris elementis,  
quia continet illa, & continere for-  
mæ similitudinem refert, quam in-  
definitam materiæ potentiam, in  
certa natura & specie coërcet, ut  
explicatur vlt.c. 3.physici, & 2.lib.  
de celo c. 13. & lib. 4.c. 3. & 4. ig-  
nis igitur eius, quod nutritur, quan-  
dam gerit similitudinem, & ideo  
nutritiū videtur, licet nutritio sit vi-  
uentium propria.

## C A P. IX.

Text. 51.

**V**oniam autem que-  
dam sunt generabi-  
lia & corruptibilia,  
& generatio est in loco circa  
medium, de omni generatio-  
ne pariter, quot & quænam  
ipsius principia sint, dicēdum  
est. facilius enim singula consi-  
derabimus, cum vniuersalia  
prius sumpserimus. sunt i-

tur equalia numero, & gene-  
re eadē principia, que in æter-  
nis & primis reperiuntur: vnu  
enim est vt materia, alterū vt  
forma: oportet autem & ter-  
tium adiūgere. non enim suf-  
ficiunt duo ad generandum,  
vt neq; in primis. quod igitur  
est vt materia in generabili-  
bus, possibile est esse, & non  
esse. alia enim necessariò sunt,  
vt æterna, alia necessariò non  
sunt. horum autē, illa impossibi-  
le est non esse: hęc autē im-  
possible est esse: quoniā non  
contingit necessariū aliter se  
habere: quædā autem, & esse  
& non esse possunt, quale est  
generabile & corruptibile.  
hoc enim aliquando est, ali-  
quando non est. itaq; genera-  
tionem & interitum necesse  
est versari in eo, quod esse, &  
non esse potest: & idcirco ge-  
nerabilibus hæc est causa, vt  
materia: vt autē cuius gratia,  
forma & species, hæc autē cu-  
iusq; substantiæ ratio est.

## Explicatio.

**V**amuis ha&tenus ma-  
teria elementorū cō-  
munis & prima, formę  
vt sunt actiua & passi-  
ua, id est qualitates, &  
eorum reciproca mutatio, atq; mi-  
storum cōpositio, in quibus aliquot  
cause generationis & interitus vni-  
uersales continētur, explicata sint:  
dein-

deinceps tamen ad finem libri, doctrina illa generalis de causis generationis & interitus naturalis propriè instituitur, ut si quæ causæ ex his explicatæ videantur, illæ quidē vt elementis conueniunt, explicatæ sint: nūc autem generaliter de omnibus causis illis doctrina instituenda sit. Partes capitinis duæ sunt, vna continet veram Aristotelis sententiam, altera refutationem alienarum sententiarum, quæ est Aristotelis recepta differendi ratio. vtrāque partem antecedit ratio ordinis hæc, prius generatim de causis generationis & interitus differendum est, vt deinde facilius speciales & propriæ rei cuiusque naturallis, vt in animatorum, viuētium & animalium, considerentur. hanc verò esse breuitem, faciliorem, & naturæ magis consentaneā differendi rationem, ostendit lib. i. de part. anim. c. i. & principio phys. speciales autem causas generationis & interitus rerum cōsiderabit Aristoteles in meteorologia, libris de gener. anim. & lib. de morte & vita.

In prima p. capititis hæc est prima sententia, eadem genere, & numero æqualia, sunt principia & causæ generabilium & corruptibilium, atq; æternorum, quæ prima sunt, nē pè cælestium corporum. hæc autē sunt, materia, forma & efficiens, & ad formam referunt postea finem. sed eadem genere intelliguntur, vel ratione analogiæ, vt voluit D. Thom. ex Aristot. 4. c. 12. lib. metaphy. vel ratione subiecti, vt Philoponus. Ratio primi est, quia æternorum & corruptibilium materia, ratione & essentia diversa est, proportione cōuenit. vt enim in æternis, materia for-

mæ coniuncta, eorum naturam cōstituit, sic in rebus mortalibus: sed illorum materia nullis contrariis, horū, omnibus subiecta est. Ratio secundi est, quia vtriusq; materia subiecti rationem habet, sed altera priuationē & potentiam adiunctam habet, altera non habet, vt disputauimus i. physico in q. de materia. hæc est huius primæ sententiæ explicatio. confirmatio de singulis causis proponitur, & primum de materia: quia potentia ad esse & nō esse in generabilibus & corruptibilibus maximè necessaria est: quia alter oriri, & interire nō possent: sed materia est huiusmodi potētia susceptiva, quæ eadē interdum excipit formam, & fit generatio, interdum exiit, & inducit interitus: materia igitur in generabilibus & corruptibilibus maximè necessaria est. propositionis confirmatio ex distinctione entium colligitur: quædam enim semper & necessariò sunt, vt æterna: quædā nullo modo esse possunt, vt ficta impossibilitet coherētia, vt hic cocernus: quædā vtriusq; in teriecta, interdū esse, interdum nō esse possunt: cū generantur nō sunt, quia quod fit, non est, 6. c. i. perih. & vlt. c. 4. Top. & generatio est mutatione ad esse, ex non esse. cum igitur entibus cōpositis accommodata naturæ illorū materiā adesse oporteat, & huiusmodi entia esse & non esse possint, quia videmus illa subiecta generationi & interitui, efficiunt necessariò materiā illorum potentiam esse ad esse & nō esse, hoc est enim priuatione coniunctā. de formæ etiā necessitate apertaratio est, quia est finis, cuius gratia fit omnis naturæ mutatio, cū forma rei genitè sit finis generationis, vt explicatū

est 7.c.2. physici, quare si nihil in natura proprio fine destitutum est. 8.c. eiusdem secundi, & forma est finis generationis, oportet alteram causam rei genitae formam esse: & eam, quod sit actus & perfectio, substantia & essentiam rei potissimum, constitutere: cum 8. metaphysico demonstretur, essentiam rei compositae per se constitui ex potentia & actu, quem in physicis formam dicimus.

**Text. 52.** **O** Portet præterea & tertiam adesse, quā omnes quidam somniāt, dicit autem nullus. sed alij quidem sufficientem causam esse ad generandum existimauerunt idēa rum naturam, ut in Phædone Socrates. is enim reprehensis aliis, quasi nihil dicentibus, ponit, rerum quasdam esse formas, quasdam formarum & idēarum participes, & unaquæq; dicitur esse secundum idēam, & fieri transumptione, interire abiectione. itaque si hæc vera sunt, idēas existimauit necessariò causas esse generationis & interitus. alij verò ipsam materiam, ab ea enim esse motum. sed neutri rectè dicunt. si enim formæ & idēa causæ sunt, cur non semper & continenter generant, sed aliquando quidē, aliquando verò non, existētibus semper & idēis, & quæ ipsas participare possunt? præterea, in

quibusdam; quandam aliam causam esse videmus. sanitatem enim & medicus efficit, & scientiam sciens, existenti-bussanitate, scientia, & ipsarū participibus. similiter & in aliis, quæ vi & facultate fiunt.

Si vero materiam quis dicat **Text. 53.**

generare, propter motum, naturalius quidem dicet, quā ita sentientes. quod enim alterat & figurat, magis est gignēdi causa: & in omnibus id consueimus efficiens dicere, equaliter in his, quæ à natura, & quæ ab arte, quod motuum est. sed neq; iij rectè dicūt. materia enim est pati & moueri, mouere autem & facere alterius potentiae. ut manifestū est in his, quæ ab arte & à natura fiunt. neq; enim aqua ex se ipsa efficit animal, neq; lignū lectum, sed ars. quare, idcirco hi non rectè dicunt, & quod propriorem causam omittūt. tollunt enim ipsum quid erat esse, & formam. Præterea, potentias tribuunt corporibus, quibus generant valde instrumentariè, auferētes causam, quæ forma est. quoniam enim, ut dicunt, calido insitum est se gregare, frigido verò congregate, & aliorū vnicuiq;, huic quidem agere, illi verò pati: ex his & per hæc dicunt, omnia alia gigni & interire. vide-

**Text. 54.**

tur

**Text. 55.** tur autē & ignis , seipsum motu autē & ignis , seipsum motu uens & patiens . Quin etiam similiter faciunt , vt si quis ferræ & vnicuique instrumento , eorum , quæ sunt , causam adscribat . necesse est enim serra existente diuidi , & poliente lauigari , & similiter in aliis . quare & si ignis quammaxime efficiat , & moueat : quo tam modo moueat , non considerant , nempè deterius , quā instrumenta . A nobis autem vniuersaliter dictum est prius de causis , & nunc de materia & forma definitum est . adhuc autem , quoniam motus in loco , & tenuis ostensus est , his constantibus , generationem continuatam esse , necesse est . latio enim generationem efficiet incessanter , quod adducat & abducat generatum . simul etiam manifestum est , priora recte dicta esse , mutationum primam esse lationē , non generationē . multo enim magis rationi consentaneum est , id quod est , generationis non entis causam esse , quā id quod non est , ipsius entis . id autem quod loco mouetur , est , quod autem gignitur , non est . & idcirco latio generatione prior est .

**J Explicatio.**

**D**E causa efficiēti & communali omnis generationis naturalis non prius Aristoteles propriā sententiam cōstituit , quā refutet veterum de eadem sententias , vt finior intelligatur eius sententia : quæ refutatio ad alteram partē capitū pertinet , cuius hæc est conclusio . falsò quidā , vt Socrates in Phædone Platonis , causam efficiētem , idæas esse dicit : falsò etiam alij materiam in efficienti numerant , quia videatur motus principium , & efficiēs est , vnde est principium motus . 3.c.2.physici : sed magis naturaliter , quam Socrates , hi existimauerunt . Conclusionis tres partes sunt , de sententia Socratis , & aliorum , de cōparatione vtriusq ; quod horum magis physica sit , illa potius theologica , & metaphysica . Plato igitur ex persona Socratis in Phædone , refutatis aliorum sententiis , illud affirmat sibi certum & ex ploratum esse , nihil aliud efficiens esse , nisi ipsum bonum , vel idæa , cuius communicatio in proprio susceptiuo , quod participatiuum vocat , efficiat res omnes : & eiusdem ideæ abiectio rebus omnibus integrum inducat . Vera quidem sententia de primo rerum omnium efficienti , vt explicant Theologi , in diuinis idæis , esse primā vim efficiendi res omnes : sed nō accommodata & propria rei naturalis , cuius cognatam & efficientem causam physici interest explicare , quoniam ad eam , efficientia primæ cause determinatur . itaq ; quamvis vera sit Platonis sententia , meritó ab Aristotele refutatur , quia propriam rei naturalis causam efficientem non conti-

## Liber secundus

net, sed omnium rerum communē & primā, siue sint naturales, siue æternæ, diuinæ & immortales, ut cælum, intelligentiæ separatae. similiiter solet Anaxagoras reprehendi, quod cùm intellectum rerum omnium effectiua causam constitueret, eo tamen non vtitur ad resū generationem.

Prima pars cōclusionis, quæ refellit sententiam Platonis, duobus argumentis cōfirmatur. Primum est, quia si idæa est causa efficiens generationis, continenter & semper generaret: quia neq; deesse potest illi vis effectiua, neq; susceptiuum accommodatum, quibus positis, statim generatio consequitur: at non semper generat: sed aliquando generat, aliquando verò nō: nō est igitur causa efficiens idæa. Secundū, quia posita forma, & susceptiuam materia, nō sequitur effectio, ut posita sanitas, & subiecto, nisi adiungatur medius, sanitas nō inducitur: neq; scientia, nisi adsit magister: ergo præter formā, vel idæam, atq; susceptiuū, oportet præterea esse causam efficientem, ab illis distinctam.

Altera pars cōclusionis refellit alteram sententiam, quæ magis physica ab Aristot. dicitur, quia motus causam inuestigat cū materia coniunctam: solet autem physicos vocare Arist. qui motum admittunt, ut dictum est. 4.c.1. physici: sententia verò de idæis separatam à materia causam reddit: altera igitur, quæ respicit materiæ motū, magis physica est. sed falsa ostenditur hæc sententia tribus argumentis. Primum, quia materiæ est pati & moueri: efficientis autē, non moueri, sed mouere & efficere: ut elementa nō efficiunt animal, sed ex ipsis sit: & in-

artibus similiter lignum nō efficit lectum, sed ex eo fit ab artifice: efficiens igitur non est materia. Secundum, quia omessa forma, quæ cùm sit actus, efficiendi & agendi principium est & præcipua causa, vim efficiendi instrumentariam corporibus tribuunt, ut calido segregandi, frigido cōgregandi, & ita fieri omnia, nulla adhibita efficiendi causa principali. Tertium, quia ad rerum effectiōnem & ortū, adhibent qualitates ut instrumenta, & causam mouentem principali prætermittunt: cū tamen illa instrumenta moueat & patiantur primum à principi agente, vimq; accipiant, qua age. re possint, causa autem mouens & generans semper efficiat: & quatenus est sui effectus prima & propria causa, à nulla alia inferiori mouetur, & ipsa vtatur instrumentis, & eorum vim moderetur. quamuis enim ipsorum sit aliqua actio, ut ferræ secare, alterius lèuigare, eorum tamen vis prima, qua excitantur ad agendum, à principali causa mouente deriuatur. vnde & ignis, quem autores huius sententiae maximè actuum constituunt, aliquando tamen patitur, & ideo absolute causa efficiens nō est, quæ propriè, ut efficiens est, pati non potest: sed est ignis instrumentum, quod à principali agente mouetur, & prius ali quando exequitur actionem, quam cætera instrumenta. sic etiam de igne & calore differit contra Emp. 4.c.2. de anim. sic disputat Aristot. de causa efficienti, & instrumento, non quod illud non numeret in effientibus, sed quod non sit absolute efficiens generationis, de quo hic est sermo, cuius nemp̄ virtute generatio perficitur, sed accepta im. pressione

pressione principalis agētis, habet instrumentum ex propria forma suam efficientiam. quod hic voluit significare Arist.

His sententiis refutatis colligit propriam sententiam Arist. de causa generationis & interitus, ut sint tres, materia & forma, in quam finis incident, ut supra explicatum est, atq; efficiēs. hoc autē cōmune omnis generationis est cælestis latio, quatenus adducit & abducit primū generatiū, quod est sol, ut constabit. c. 10. proximo. quę sententia cōsentit cum demōstratis 8. physico: nempē lationem, quę conuersio dicitur, esse primā omnium motū, cum hæc sit æterna, & ideo generationis & interitus, quas existimauit Arist. æternas, accōmodata causa: quia quod conuertitur, est: quod generatur, nondum est: & illud huius causam esse, magis rationi consenteū est, quan contrā hoc illius.

Hæc est Arist. sententia. sed ad exactius intelligendam priorem illius partem, duo disputanda essent, primum de natura materiæ, quę est potentia ad esse & non esse: deinde, cur aliqua possint esse & non esse, & ita contingenter sint: quædā verò necessariō & semper sint. sed illud primum primo physico disputatum est, illud alterum quantum philosopho satis est, ad vltimum c. 1. lib. de interpret. Ceterum ad posteriorem huius capituli partem de necessitate causæ efficientis, dubitat Philop. quia lib. 2. de anima. c. 1. significauit Arist. posita potentia ac. accommodata, & proprio actu, nullā esse causam inuestigandam, cur ex utroq; fiat vnum, quia naturaliter, si ne aliquo coniungente vnum per se constituunt. Hac igitur ratione nō

videtur efficiens causa, præter materialm & formam, necessaria, cum sint actus & potentia. Philoponus respondet, mouentis cause efficiētiā ideo necessariam esse, vt ex communi & remota materia fiat propria & accommodata: quę statim sine intercedente vinculo, propriae formæ coniungitur, quod voluit Arist. lib. 2. de anima, ut à nobis explicatum est. q. 4. ad. c. 1. eiusdem libri, & haec tenus rectè Philop. illud verò non rectè addit, in rebus æternis & primis, ut cælestibus corporibus, & mentibus separatis, non esse causam efficiētem, ut fiant, sed ut sint & permaneant: à nobis tamē ostensum est. 8. physico, cælestium corporū, & illarum mentiū, etiam si æterna essent, causam efficiētem assignari oportere.

## CAP. X.

**V**oniam autē posī *Text. 56.*  
tum est, & demon  
stratū, generatio  
nē interitumq; re  
rum continentem esse, & la  
tionem generationis causam  
esse statuimus, censemus vna  
quidē existente latione, vtrū  
que fieri non posse, quod sint  
contraria. idem enim & eodē  
modo semper se habens, idē  
facere natum est: quare, aut  
generatio semper esset, aut in  
teritus. oportet autem plures  
esse motus, aut latione, aut  
æquabilitate. contrariorū  
enim cōtrariæ sunt causę. quo  
circa

## Liber secundus

circum prima latio, generationis & interitus prima causa non est, sed quæ in obliquo fit circulo in eamq; continuu est, & moueri duobus motibus fit. si enim & continenter & semper generatio & corruptio futuræ sint, necesse est aliquid semper moueri, ne huicmodi mutationes deficiant, duobus autem motibus, ne altera solum eueniatur. continuationis igitur causa est latio vniuersi, accessus vero & recessus ipsa obliquitas. sic enim fit ut interdum procul absit, interdum propè sit. cù autem interuallum sit inæquale, motus erit inæqualis. quare si ex eo generat, quia accedit & propè sit, ex eo etiam quod recedit, & procul sit, hoc idem corruptit: & si ex eo quod sèpè accedit, generat, ex eo etiam quod sèpè recedit, corruptit. contrarium enim contrariæ causæ.

### Cap. decimi explicatio.

**P**roposita, in fine præcedentis proximi capituli, de causa efficienti perpetuæ generationis & interitus, sententia, hoc c. exactè demonstratur. itaq; sententia Arist. non quævis cæli conuersio causa est perpetui ortus & interitus, quatenus defert primum mouens, & efficiens

has mutationes: sed solis, in circuito obliquo, significat Arist. solis accessum & recessum, quia fertur in Zodiaco, cuius obliquitas accessum & recessum distinguit, esse causam generationis & interitus naturalis: accessum generationis, recessum interitus, vocat autem generationem, non solum ex non ente mutationem, sed etiam perfectionem & complemetum rei genitæ, quod in accretione consistit: interitum etiam non tantum ex ente mutationem in non ens, sed etiam progressionem ad eundem interitum & decretionem. præterea, intelligit causam esse naturalis interitus & ortus, quæ ex causis purè naturalibus contingunt: quia sunt alia ex proposito & electione, quæ naturali ordinis subiecta non sunt: sunt etiam alia violenta: alia deniq;, quæ præter naturam contingunt. Cum autem naturalia dicantur, quæ plerunque & magna ex parte eueniunt: & in his, efficiëtis actio & forma, nisi in accommodatam materiam non inducatur, perturbari non oportet, si interdum accessu solis aliquid, vel non generetur, vel intereat: quia non aruit hoc imbecillitatem efficiëtis, sed materiae ineptitudinem, & causarum impedientium concursum: quod expressè hic admonuit Arist. ut notetur imperitia & inconsideratio eorum, qui ex sola causa cælesti de effectibus inferioribus certò iudicare volunt, nulla materię & temperamenti ratione habita. unde si quis obiiciat, non oportere distinguiri accessum & recessum, ut ille generationis, hic interitus causa sit, quia generatio unius, sit alterius corruptio. c. 4. prioris libri, & ex consequenti si est generationis aliqua

qua causa, erit etiam interitus: respondendum est, accessum per se generationis causam esse, recessum interitus: ratione autem materiae hec esse coniuncta: & quia plurium generatio, & perfectio per incrementum accessu fit: & recessu contraria: ideo accessus solis ortus dicitur causa, recessus vero interitus. explicatae conclusionis prima ratio sic disponi potest. Contrariorum esse effectuum & aeternorum contrarie sunt causae, & perpetuae: quia idem & eodem modo effectum unum tantum ex se efficit: si quando autem plura, non ex se, sed ex materiae præparatione, ut calor educendo vaporem, emollit ceram, & lutum indurat: quare si contraria sunt effecta & eterna, contrarias causas, & eternas esse omnium, quia effectum & causa mutuò se consequuntur. sed generatio & interitus rerum omnium contrarij effectus sunt, & aeterni, vel ex sententia Aristot. vel quia continua & minimè interrupta serie, sibi inuicem succedunt: habent igitur contrarias causas & perpetuas. ad perpetuitatem cælestis conuersio satis est, quia continent & semper fit: ad contrarietatem est satis accessus & recessus solis: quare vere dicitur, solis conuersione, secundum accessum & recessum in obliquo circulo, generationis & interitus continentis causam esse. Altera ratio ex effectis colligitur: videntur enim accessu solis initio veris plantas folia emittere, fructus eruere, animalia ad generationem excitari, yberiori alimento accrescere: his autem contraria, hieme contingere.

**A**Tque generatio & cor- Text. 57.  
ruptio secundum natu-  
ram, æquali in tempore fiunt.  
quare tempus & vita cuiusq;,   
numero continetur & defini-  
tur. omnium enim est ordo, &  
omne tempus & vita circuitu  
mensuratur, sed non eodē om-  
nis: sed alia maiori, alia minori.  
his enim annus, illis autem  
maior, quibusdam etiā minor  
circutus est mensura.

Videntur autem, quæ secū Text. 58.  
dum sensum, nostris sermoni-  
bus consentanea. videmus  
enim quod accedit sole, ge-  
neratio est, recedente vero,  
corruptio, & vtraq; tempore  
æquali. generationis enim &  
corruptionis naturalis tempus  
est æquale. sed accedit sæpe in  
minor corrumpti, propter ea-  
rum inter se temperationem.  
si namq; materia sit in equalis,  
& non omni ex parte eadē, ne  
cessit, & generationes in-  
æquales esse, & quasdam ce-  
lieriores, quasdam tardiores.  
atq; ita fit, vt horum genera-  
tionem aliorum interitus con-  
sequatur. semper autem vt di-  
ctum est, generatio & corru-  
ptio continentur erunt, nec  
unquam deficiet, ob eam quā  
diximus causam. idq; merito.  
Cum enim in omnibus, natu- Text. 59.  
ram, quod melius est, appete-  
re dicimus, melius autem est  
esse,

## Liber secundus

esse, quam non esse, (esse autem quot modis dicatur, alio loco explicatum est) hoc autem ipsum omnibus inesse non potest, quia longe a principio distant: idcirco Deus, eo modo, qui reliquuserat, vniuersum compleuit, continentem generationem efficiens, nam ita maxime ipsum esse continua tum erit, quia semper generationem fieri, ad substantiam proxime accedit. huius autem, ut saepè dictum est, causa est conuersio, cum sola continens sit. qua propter quemque alia affectibus & potentias inuicem mutantur, ut simplicia corpora. conuersione illam imitatur. cu enim ex aqua aer fiat, & ex aere ignis, & ex igne rursus aqua, in orbem dicimus generationem regressam, quod iterum reflectatur. quare etiam horum latio, conuersione imitata continet existit. Similiter autem ex his manifestum est, quod aliqui dubitant, cur uno quoque corporum in propriâ delato regionem, in tempore infinito corpora separata non fuerint? causa autem est, eorum inter se mutatio. si enim quodque in sua regione maneret, neque a coniuncto mutaretur, iam utique separata forent. mutatur igitur propter lati nem, quae duplex est, & quia

mutantur, nullum eorum manere contingit in certa regio ne. quid igitur est generatio & corruptio, & quam ob causam: quid generabile & corruptibile, ex dictis manifestum est. Quoniam autem necesse Text. 61. est, aliquod esse mouens, si motus erit, ut in aliis, prius dictum est, & si motus semper sit, semper esse aliquod mouens, & si continuus, unum idemque; & immobile, ingenitum, & inalterabile, & si plures sint conuersiones, plura quidem, sed omnia sub uno esse principio necesse sit: & cum tempus sit continuum, motum esse continuum, siquidem sine motu tempus esse non potest, tempus profecto continui cuiusdam numerus erit. conuersio igitur ut in primis sermonibus definitum est. Vtrum autem motus est continuus, quia id quod mouetur continuus sit, aut quia id in quo mouetur, ut locus, affectio manifestum itaque; quia id quod mouetur. quo enim modo affectio continua esse potest, nisi res cui conuenit continua sit? si vero, quia id in quo, soli loco hoc competit: cum magnitudinem quandam habeat. huius autem (magnitudinis) rotunda solidum continua, adeo ut ipsa sibi semper continua sit.

corpus

corpus ergo, quod conuertitur, id motum continentem efficit, motus vero ipsum tempus.

### *Explicatio.*

R<sup>et</sup> Eliquo deinceps capite, quæ in dam ex p̄cedentibus consecutaria efficiuntur. Primum est, generationis & interitus naturalis æqualia sunt tempora, & idcirco vita cuiusq; naturalis. si enim accessu solis generatio naturalis fit, recessu interitus, & accessus tempus definitum est: quia sex signis australibus continetur, & recessus simili ter sex aliis septentrionalibus, necesse est, eadem esse generationis & interitus, vitæ & mortis, tempora æqualia: sed alia pluribus cōuerſionibus solis, alia paucioribus definiūtur, sed omnia accessu & recessu naturaliter, nisi temperatio materię obster, vt prius explicauimus, & h̄c opportūne Arist. admonuit. Secundum consecutarium, merito Deus accessu & recessu solis in circulo obliquo, continentē & non interruptam rerum omnium naturalium generationē effecit: Deus enim & natura de his, quæ fieri possunt, semper id quod melius est, efficiunt: melius autem est esse, quam non esse: Deus igitur efficit quoad fieri potest, res omnes naturales semper esse. sed quoniam non omnes eadē numero semper esse possunt, quia possunt esse & non esse, ratione materiæ & contrariorum, quibus ad interitum feruntur, quod proximum est ipsi esse, nemp̄ generationem, quæ via est adesse, efficit Deus vt continens sit & non in-

tercissa: & idcirco vt sint res semper eadem specie, si numero non possunt, quod similiter de viuentū propagarione & generatione asseruit Arist. 4.c. 2. libri de anima, & elegantissima oratione explicauit lib. de gener. animal. c. 1.

Terium consecutarium, merito continens est & non intercissa elementorum reciproca mutatio: quia imitatur & consequitur conuersio nem cali continentem, quæ posita est causa generationis & interitus continuæ rerum omnium, in eo tantum distinguitur utriusq; continuitas, quod illa conuersione, ad idē & unum numero semper regressio fit: in hac tamen reciproca elementorum mutatione, regressio fit ad idē specie tantum: cum corruptibilia aliter eadem perseverare non possint, vt in secundo consecutario dictū est. cui consentit, quod 8. physico c. 8. demonstratū est, in conuersione idem numero repeti & permanere: in reflexione motuum similiū, idem specie, non numero: cū in reflexione fiat quies & motuū interruptio. cum autem elementa inicem mutantur, reflexio fit ad idem specie, non numero: cum idē numero corruptū, per naturam redire non possit, vt c. vlt. huius libri ostendetur. sed quæ sit causa efficiēs hanc reciprocā elementorū mutationem, explicauit Aristot. 1. meteorologico c. 2. cum asserit, mundum inferiorem ex quatuor elementis constantem, lationibus superioribus subiectum esse. accessu enim & recessu solis ascendunt vapores, & exhalationes, quibus elementa contigua affectibus, vel qualitatibus, & earum virtutibus & facultatibus alterata, inicem mutantur, & mixta

## Liber secundus

& mixta ex elementis etiam in inferioribus mundi regionibus accedente efficacia inferiorum causarum, varie contemperata oriuntur & sunt.

Quartum consequarium, merito elementa, etiam si ponantur aeterna, & infinito tempore permanuisse, ut voluit Arist. non sunt separata ab invicem, ut unumquodque proprio loco consistat, syncerum & purum ab aliorum per mistione, & a mutatione in alia elementa liberum. Constat enim ex praecedenti tertio consequario, haec omnia elementa vicissim mutari, & huius mutationis continuam causam esse, solis continentem conuersione, secundum accessum & recessum. quare si posita causa sufficienti, effectum ponere necesse est, & mutatione haec continens solis mutationis elementorum inter se causa est, necesse est quandiu illa sit, inter se mutari elementa: & ex consequenti, cum sit mutatione agentis & patientis coniuncti, elementum quod que non esse perse consistens, & se paratum in proprio loco & naturali, sed cum aliis permisceri & confundi, ut & ipsorum inter se mutatione continens esse possit, & mistorum ex elementis ortus, quem aliorum consequitur interitus, ut demonstratum est 4. cap. libri prioris. duplex igitur illa mutatione solis, hoc est, que nobis per accessum & recessum duplex apparat, cum sit una in eodem circulo obliquo, horum omnium prima causa statuenda est. Ut ille est hic locus ad confirmandum, non esse apud nos sincera & pura elementa, immo vero nec esse posse, ut disputauimus ad c. 4. huius libri.

Quintum consequarium, non tantum ex doctrina huius cap. sed etiam

ex 8. physic. colligitur: nempe quae uis sunt plura mouentia ingenita & aeterna, ex sententia Arist. quia plures sunt celorum & diversae conuersiones, quibus perficiendis illa mouentia praefecta sunt: omnia tamen illa mouentia sub uno primo continentur, quia aliter non esset in natura ratio & ordo: quem tamē necessarium esse ad conuersationem universi, explicatum est 8. physic. cap. 1. sic etiam 7. cap. 12. metaphysici conclusit esse plura huiusmodi aeterna mouentia, & vlti. c. eiusdem libri, unum esse omnium primum.

Ex his obiter explicantur alia duo, tempus esse aeternum, quia ex sententia Arist. sit numerus & mensura aeternae conuersionis primi mobilis, ut explicatum est, 4. physico. & 9. cap. 8. libri, quae omnia vera sunt, si aeternitatem detrahias, de qua disseruimus eodem lib. 8. Deinde explicat, in quo sit posita continuitas motus in mobili. an in eo, circa quod est motus, ut in loco est latio, in affectibus & qualitatibus alteratio. Responsio est, in eo esse, quod est motus, continuitatis causam generaliter constitui non posse, quia affectus ex se continuitate non habet, quamvis locus habeat, sed non ut locus, sed ut superficies. sit ergo mobile causa huius continuitatis. Si vero quis contra obiiciat, ex quantitate circa quam esse accretionem continuam: & ideo non esse veram hanc Aristot. responsionem dicendum est, hic continuitatem vocari, in qua semper aliquid accipi potest, quae sola in conuersione perpetua & continentri reperi potest, ut sit idem hec continuitas, quod successio conuersionis perpetuae: quam tantum rotundo & globose

globoso corpori conuenire posse,  
8.physico.demonstratum est , de  
alia cuiusque motus continuitate,  
3.physico dictum est. sic re&tē obie  
ctionem Philop.dissoluit,quia Ari  
stot.locis citatis, ex 8. physico. &  
12.metaphysico.eodem sensu con  
tinuitatem usurpat.

## CAP. XI.

Text. 63.

**Q**uoniam autē in his, quę  
continuę mouētur,  
generatione aut alteratione,  
aut omnino mutatione, vide  
mus, ipsum deinceps, & hoc  
post hoc fieri, vt nō deficiat,  
considerandum est, vtrum ali  
quid ex necessitate erit , an  
nihil, sed omnia non fore con  
tingat. quædam enim esse per  
spicū est. Atq; continuò ob  
eam causam, τον ἑταιρικόν είσαι είτε  
μέλλειν futurū est, diuersa sunt.  
quod enim verè dici potest,  
ὅτι εἴσαι quod erit, id aliquando  
vere dicitur quod est. At  
quod nūc verè dicitur ὅτι μέλλει  
quod futurum est, nihil prohi  
bet non factū esse. μέλλειν enim  
βαδίζειν, id est, si futurum est, vt  
quis ambulet, non ambulabit

Text. 64.

Text. 65.

tamē. Omnino autem quoniā  
contingit quædam entia esse  
& non esse , manifestum est  
quod, quæ generantur , sic se  
habebunt, & nō ex necessita  
te erunt. Sūt ne igitur omnia

Text. 66. huiusmodi? an non. Sed quæ-

dam simpliciter necessarium  
est fieri. & sicut in ipso esse,  
hæc quidem impossibile est  
non esse, quædam verò possi  
ble, sic & in generatione: vt  
reuersionis in Tropicis, ne  
cessere est fieri , & impossibile  
est non euenire.

## Capitis undecimi, explicatio.

**T**Res dubitationes extremo c.  
dissoluuntur , quia pertinent  
ad hæc doctrinam de generatione.  
Prima enim cum precedentibus  
coniuncta est, reliquæ duæ cum pri  
ma. Cum igitur ostensum sit , esse  
in generatione rerum naturalium  
quandam continuitatē minime in  
terruptam, merito dubitat primo,  
an ea continuitas sit necessaria, an  
contingens, hoc est, vtrum quarun  
dam rerum generatio sit necessa  
ria, an contingens. Dubitationis ex  
plicatio est, quædā necessariō, quę  
dam contingenter fieri, vel quædā  
non fieri impossibile est , quædam  
ex æquo fieri, aut nō fieri possunt,  
illa necessariam, hæc contingentē  
generationem habent. Argumentum  
duplex est, vnum ex nominum  
notatione, quibus necessaria & con  
tingentia exprimuntur: alterum ex  
natura rerum quę fiunt. Primi sen  
tentia est, quod εἴσαι Græcis, hoc est,  
erit, de his tantum dicitur quorum  
est certa & necessaria generatio,  
vt sol erit in ariete, aut in cancro:  
μέλλειν autem hoc est, fore vel futu  
rum esse, de his tantum usurpatur,  
quæ ex æquo euenire, & non eueni  
re possunt, vt futurum dicimus vt  
Socrates ambulet, cum tamen am  
bulare

## Liber secundus

bulare non possit. Secundi argumēti sententia est, quædam enim res suæ naturæ necessariæ sunt, ut cælestium conuersiones in vniuersi constitutione, syderum reditus, & regreslus: quædam autem contingentes ex æquo, vt positum est, cap. 9. huius libri: ergo similiter genera-  
tio distinguenda est, vt illorum sit necessaria, horum verò cōtingens: siquidem generatio est via ad esse, & ideo si generatio sit necessaria, vel contingens, similiter se habeat ipsum esse, necesse est. Vnde re-  
pedita dubitatione concludit Arist. non omnia ex necessitate euenire, sed quædam contingenter, vt dispu-  
tauimus ad cap. vltimum, 1.lib. de interpretatione.

Text. 67.

**S**i autem aliquod prius, ne-  
cessere est factum esse, si po-  
sterius erit, vt si domus funda-  
mentum, & si hoc lutum. Vtrū  
si fundamentum factum est,  
domum etiam factam, nece-  
sse est? an non ad huc, nisi illud  
etiam factum esse, necessariū  
est simpliciter. Quod si hoc  
sit, necesse est facto fundame-  
to, domū fieri. Sic enim quod  
erat prius, ad posterius se ha-  
bebat: quare si hoc erit, ne-  
cessere est illud prius factum es-  
se. Si igitur necesse est poste-  
rius factū esse, & id quod prius  
necessere est: & si quod prius, id  
etiam quod posterius, sed nō  
propter illud, sed quia neces-  
sariō futurum supponebatur.  
in quibus igitur posterius ne-

cesse est esse, reciprocatio-  
fit: & semper priori facto, po-  
sterius fieri necesse est.

## Explicatio.

**A**ltera dubitatio est, qua ra-  
tione rebus, quæ sunt, nece-  
ssarium insit: si enim incontinenti ge-  
neratione, quædam necessariō, quæ-  
dam contingenter sunt, erit ne in  
his contingentibus aliquo modo  
necessarium? vt que in modum si  
domus facta sit, necesse est funda-  
mentum prius extitisse, an contra?  
respondet Arist. in necessariis sim-  
pliciter, reciprocā esse consecu-  
tionem posterioris ex priori, & cō-  
trā: in contingentibus, tantū esse cō-  
secutionē posterioris ex priori: quo-  
niā in illis, id quod prius est, simpli-  
citer necesse est fieri, & ideo reci-  
proca est consecutio: in his autem  
id, quod prius est, nō simpliciter ne-  
cessere est fieri, sed ex suppositione, si  
futurum est posterius. vt si domus  
futura est, necesse est fundamentū  
fieri, non contra. huiusmodi nece-  
ssarium materiæ tribuit Arist. vlt.  
cap. 2. phys. & 1.c. 1. lib. de partib.

Text. 68.

**Q**uod si deorsum versus  
in infinitum progre-  
diantur, non necesse erit, hoc  
posterior factum, simpliciter  
esse, sed neque ex suppositio-  
ne. Semper enim alterum ne-  
cessario antecedet, & idcir-  
co, illud necesse est factum es-  
se. Quare si infiniti principiū  
non est, nec primum quicquā  
erit, propter quod necesse  
erit

erit genitum esse. At verò ne que in his, quæ finem habent, hoc verè licebit dicere, simpli citer necesse est genitum esse, vt domum, cum iacta fuerint fundamenta. Cū enim iacta sunt, nisi semper hoc fieri necesse est, efficietur semper esse, quod potest non semper esse. at in generatione, semper sit est necesse, si necessariò est ipsius generatio. Namque necessarium & semper simul sunt, quia quod necesse est esse, non potest non esse. Quare si necessariū est, eternum erit, & si æternum, necessariū. Si igitur generatio alicuius necessaria, est etiam æterna, & si æterna, necessaria. Quare si alicuius generatio simpliciter est, necesse est eā reuolui, eodēque reuerti. necesse est enim, vel terminis generationem cōtineri, vel nō. Si non continetur, vel in rectum, vel in orbem progreditur. horum autem generatio si æterna est, in rectum esse non potest, eo quod nusquā principium est, neque deorsum versus futura, neque sursum versus ea quæ facta sunt: necesse est autem principiū esse, si infinita sit generatio, & illud sempiternum esse, & idcirco circularem esse, necessarium est. Quare necesse est,

regressum fieri, & reciprocationem, vt si hoc necessarium sit, & prius igitur: at verò si hoc, & posterius necesse est factū iri, & hoc semper continuè. nihil enim refert, per duo an plura hoc fieri dicamus. in circulari igitur motu, & generatione, est necessarium simpliciter: & si circularis est generatio, necesse est vnumquodque fieri, & factū esse, & si necessarium est, eorum generatio circularis est. Hæc itaque rationi consentaneè: quoniam circularis motus alibi ostēsus est æternus, & cælo conuenire, hæc enim necessariò fiunt, & erūt, quæcunque huius sunt motus, & quicūque propter hunc fiūt. Sin amque quod circulo mouetur, semper aliquid mouet, necesse est & horum motum circularem esse: vt superiori latione existente circulari, sol circulo mouetur. Quoniam autem hoc pacto mouetur, ideo annitopra in orbem fiunt, & reuertuntur: cum autem hæc ita fiant, omnia quæ ab his sunt, similiter fiunt.

### *Explicatio.*

**P**ropositæ responsionis sententia motibus naturalibus physice accommodatur: cū enim reciprocam consecutionem prioris & posterioris, necessariò simpliciter,

## Liber secundus

attribuisset, non autem necessario ex suppositione, nunc ostendit, quibus motibus necessarium simpliciter tribui possit, & quibus negari, oporteat. Cōclusio Aristot. est, iis, quæ sūt recto motu aut mutatione siue deorsum versus, siue sursum, id est siue futura sint, siue p̄terita, ne cessariū simpliciter, in quo est illa reciproca cōsecutio vel ex suppositione, in quo nō est, cōuenire nō potest: iis autem, quæ circulari motu fiunt, necessario cōuenit. Ratio pri mi ex diuisione hoc modo cōcluditur. motus in rectū, vel infinitus est, vel finitus: sed in neutro potest esse necessariū simpliciter: in nullo igitur. Propositio ex immediata diuisione firma constat. assumptionis prior pars sic deducitur: in necessaria similitate est prius & posterius, quia ex illo, cum suā naturā fieri sit necessare, posterius sequitur, & contrā: sed in motu infinito recto neq; est prius, neque posterius, quoniam hæc rationi infiniti huius repugnat: ergo in motu recto infinito necessarium simpliciter esse non potest. atque eadē ratione cōcluditur, in eodem motu recto infinito non esse necessarium ex suppositione: in hoc enim, ex posteriori prius infertur, non contrā, & idcirco in eo est prius & posterius: quæ cum non possint inesse motui recto infinito, neque illi inesse poterit necessarium ex suppositione. & sanè ita se habent necessariū similitate, & ex suppositione, vt si illud sit, hoc quoque inesse oporteat: quatenus in illo, ex priori posterius & contrā concludatur, in hoc tamē, ex posteriori prius, quæ est vna pars prioris consecutionis. si vero sit necessarium ex suppositione, nō

oportet esse necessarium simpliciter, vt in contingentibus ostensum est. Sunt igitur rationes utriusque formales omnino distincte, & ideo si propria, & p̄cissa ratio vnius cō sideretur, alterius nullo modo esse potest: sed consecutio necessarij ex suppositione reperitur in necessario simpliciter, non tamen p̄cisa, sed cum altera coniuncta, qua ex priori posterius concluditur: posterior pars eiusdem assumptionis sic confirmatur. Necessariū simpliciter semper est: (quia non potest nō esse, & ideo semper esse oportet, iis saltem temporibus, quibus necessario simpliciter fieri dicitur, & ideo si necessariū simpliciter est, simul cum eo quod est semper, reperi oportet.) sed motus finitus rectus semper esse non potest: (quia hoc semper rationi finiti repugnat) cū finitū contingat non esse, id verò, quod semper nō possit non esse: quare si finitū esset semper, & hoc est necessarium simpliciter, esset sane possibile & cōtingens, quod aliquādo esse nō potest idē, quod simpliciter necessarium: ergo motui finito & recto necessariū simpliciter cōuenire nō potest. ex quibus aperte deducitur hoc consequariū primū. Generatio æterna, & simpliciter necessaria reciprocantur. si enim est simpliciter necessaria, semper est, & ideo æterna duratione: si autem æterna, erit etiam simpliciter necessaria, quia necessarium simpliciter semper est, vt paulo ante ostendimus. Secundum consequariū, hæc generatio æterna circularis tantū esse potest, id est, in qua fit regressus & reciprocatio ad idem specie, non autē ad idē numero, & hoc semper & continuē, vt ex priori posterius,

Necessarium  
simpliciter &  
ex iuppolio  
ne.

sterius, &cōtrā inferatur: & indiuis-  
duæ generationes finitæ sunt, sed ge-  
nerationis earūdem specie rerum  
naturaliū sempiterna & infinita se-  
ries sit, cuius proinde sempiternita-  
tis, sempiternū sit principiū. Quæ  
omnia consentiunt doctrinę Aristoteli-  
cis, de mundi ēternitate, quam 8.  
physico se demonstrasse existima-  
uit: sed dogmati catholicæ fidei de  
prima rerum creatione, in definito  
temporis initio, consentire omniho-  
nō possunt: & ideo ea tantū ratio-  
ne admittenda sunt, quatenus cōti-  
nentē generationis rerum natura-  
liū seriem ostendūt, sed principio  
& termino vniuersi, quē certo expe-  
ctamus, cōclusam. Vnde hoc sensu  
rectā generationē, finitam aut infinitam  
omnino negamus: circularē,  
qua eadem specie recurrent, conce-  
dimus. Quod si possibilē esse hanc  
sempiternā rerū generationē Ari-  
stot. veller concludere, absolutè il-  
lius demonstrationes admitti pos-  
sent, ab his præfertim Theologis,  
qui ēternā durationē vniuersi pro-  
ductione fieri potuisse, affirmant.  
Sed huius rei consideratio non est  
huius loci, cum physicanon sit. Cō-  
fectarij duplex est ratio. Prior hu-  
iusmodi est, generationis infinite &  
ēternæ ēternum principiū esse eti-  
ū esse oportet, quod generationis  
huius, & proinde interitus ut dictū  
est c.4.lib. prioris, seriē & succe-  
sionē continentē sine interruptio-  
ne efficiat: sed in circulari tantū ge-  
neratione, quam cælestis cōuersio  
præfertim solis inducit, vt cap.10.  
ostensum est, huiusmodi principiū  
ēternū est, nemp̄ cælestis illa con-  
uersio: in generatione autem recta,  
siue infinita, siue finita huiusmodi  
principiū ēternum esse non potest.

Aeterna ge-  
nerationum  
series quate-  
nus admittē-  
da.

in infinita quidē, quia caret primo,  
& hoc est de ratione principij, in fi-  
nita autē quia caret ēternitate: ge-  
neratio igitur ēterna tantū potest  
esse circularis & nullo modo recta.

Posterior ratio, si circularis cali-  
latio ēterna est, non tantū eius mo-  
di motio, sed quoq; ab ea p̄dēt om-  
nes aliq; ēterne erūt: vt solis latio,  
si primi mobilis cōversione moue-  
tur, ēterna erit, & si ab ea secundū  
accessum & recessū fit rerum infe-  
riorum generatio & interitus, par-  
tiū etiā anni distinctio, veris, scili-  
cet estatis, autumni, & hiemis, ra-  
tionē diuersarū partiū eiusdem cō-  
versionis, hæc omnia infinites &  
continua atq; sempiterna serie, sibi  
inuicem succedere necesse est: cū  
omnia sint necessario cōiancta, sed  
illud primum verum else. 8. physi-  
demonstratū est, quare & consequē-  
tia omnia vera esse, necessariū est.  
sic Arist. ad demonstrationem de  
ēterna celorum conuersione, reuo-  
cat causam primam ēternæ gene-  
rationis & interitus rerum natura-  
liū: sed de illius firmitate & con-  
stantia, eodem 8. physic. dictū est,  
& quod erit huius loci proprium,  
paulo ante admonuimus.

**C**ū rigitur quēdam sic fiūt *Text. 70.*  
circulo, vt aer & aqua,  
(nam si nubes erit, pluet etiā,  
& si pluit, nubes erit:) homi-  
nes verò & animalia non re-  
flectuntur in seipsa, vt rursus  
fiat idē. non enim si pater sit,  
te fore, sed illum, si tu sis, ne-  
cessē est. Hæc autē generatio  
in rectum esse videtur. rursus  
autem hoc cōsiderationis ini-

## Liber secundus

tium sumatur, redeat ne vniuersa eodem modo? an non. sed hæc quidem numero, illa vero specie solu. Quorum igitur substantia, quæ mouetur, interire non potest, manifestum est, quod eadem numero erunt: quia motus sequitur id, quod mouetur: quorum vero interire potest, non numero, sed specie reuerti potest. quo circa aqua ex aere, & aer ex aqua, specie idem, non numero. Quod si aliqua eadem numero redeant, non tamen ea, quorum substantia est eiusmodi, quæ possit non esse.

### Explicatio.

**T**ertia dubitatio vel questio, ex precedentibus orra, cur in aere & aqua, atque ceteris elementis, circularis generatio est, & reciprocatio eiusdem, vt si nubes pluvia, & contra, in singularibus vero hominibus & animalibus non sit in orbem mutatione, vt redeat idem omnino. vel virtus similiter redeant omnia, per circulari mutationem ortas: vt ipse deinceps eandem questionem proponat apertius.

Responso est, in rebus immortalibus idem numero redire, etiam si in orbem mutatum sit: in rebus autem mortalibus idem specie, non idem numero. vt idem numero sol accedit semper & recedit, quia cum sit immortalis, idem numero semper manet: idem vero numero homo, qui semel interiit, reuerti non potest per generationem: quia non potest generatione naturalis idem numero reficere,

sed idem tantum specie, ut secundo consequatur cap. 10. dictum est, cum idem numero sit oporteat prius & posteriorius, quod rei interempte conuenire non potest. Si vero quis dicat, aliqua elementa eadem numero redire, is dicat oportet, eorum substantiam immutabile esse, ut dixit Emper. quod extremis verbis Aristot. significat. Præterea agens naturale nihil potest efficere nisi motu & mutatione: sed motus & actio interrupta una esse non potest, quia neque continua & uno tempore: ergo neque effectum idem numero refici potest ab agente naturali: cum non possit nisi per motum efficere, & eundem motu interruptum restituere non possit. Hactenus sententia Aristotelis.

*Quæst. unica. Vtrum in rebus naturalibus recte distinguitur necessarium, ut nihil idem numero necessario fieri possit, sed idem tantum specie?*

**H**æc Aristotelis de necessario disputatio ad duo capita potissimum revocatur. ad necessarij distinctionem, & ad necessarij simpliciter, vel ex suppositione constitutionem, in rerum naturalium generatione. de utroque sunt aliquot rationes dubitandi. De primo quidem, quia necessarium simpliciter ea ratione ab altero ex suppositione distinguitur, quod in hoc, ex posteriori prius consequitur, non contraria: in illo autem, ex priori posterior. sunt tamen multa, quæ necessariam simpliciter generationem non habent, in quibus posteriora ex prioribus constanter & semper concluduntur, ut ex ateophia, id est

idest difficiili & imperfecta nutrione, virtū extenuatio: ex ciborum multitudine ingesta, tarda concoctio: ex vulnero carnosę partis cicatrix necessario cōsequitur. & in eisdem, non est necessaria prioris ex posteriori collectio, licet afferuerit Aristoteles in his esse reciprocā consecutionem, ex quorum priori, necessariō infertur posterius.

Deinde, grauiores sunt rationes dubitādi de necessarij cōstitutione in rebus naturalibus. Primo, quia asseruit Arist. in motu recto infinito nō esse necessariū simpliciter, quia in huiusmodi infinito non est prioris & posterioris distinctio, quę in necessario simpliciter reperitur: in tempore tamen, quod infinitum cōstituit Aristot. prius & posterius necessariō distinguatur, quia sine illorum distinctione ratio temporis, vt patet ex eius definitione, constare non potest. Secundo assertuit Arist. in generatione deorsum versus reacta, non esse necessarium simpliciter, & tamen generatio hominis ex homine, cū sit reacta, simpliciter necessaria est. Tertio definiuit Arist. in generatione necessaria simpliciter, quę circularis est, redire idem specie, non tamen numero in hominibus & animalibus, quę caduca sunt & mortalia: & tamē appetitus animae rationalis ad proprium corpus naturalis est, vt actus ad propriā potentiam suscepit. quod si naturalis, necesse est animā rationalem separatā à corpore, ad idem numero corpus aliquando redire, ne sit frustrā & superuacaneus: & ex consequenti, erit resurrectio, qua idem numero corpus & singulare restituitur, omnino naturalis, nō autem supranaturalis, vt secundū re-

ctam fidē credimus: pr̄sertim cū separatam esse, violentum esset, & hoc perpetuum nequit esse.

Ad explicationē harum dubitationum, accipiēda est primum hęc distinctio. diuersa est consideratio necessitatis in rei cuiusq; naturalis generatione, & in serie succedentiū sibi generationū: quia illa necessitas tantū est in causis cuiusq; propriis, siue internis materia & forma, siue externis fine & efficienti: hęc autē necessitas est vniuersæ cōstitutionis & conseruationis rerum naturalium. illā necessitatem expli cauit Arist. vlt. c. 2. physici generali ter, & in viuentibus 1. cap. 1. libri de partib. anim. hāc verò cap. 10. & 11. huius posterioris libri cōfirmauit. Deinde accipienda est alia distinctio naturalis & violenti, quę cum sint opposita, eodem modo distinguenda sunt. est enim naturale, vel ratione termini, vel ratione viae & progressionis ad terminū. Sic omni formę naturale est, suę potentię coniungi primo modo, sed non secundo modo: quia via, & propria ad formā præparatio, non est à forma, quę inducit, sed ab efficienti in materia formam exceptura. Similiter violentum, vel quod repugnat termino naturali, vel viae & progressioni ad terminum. sic violentum est graui detineri in loco superiori, tam ratione termini, quā via: quia habet insitum principium, nō solum vt maneat in loco inferiori, sed etiam vt ad eum tēdat', nempe grauitatem. anima autem humana separata à corpore naturale principium habet, vt suę potentię suscepit. vniatur, non tamen vt ad eum terminū perueniat. via enim qua ad huiusmodi coniunctionē &

## Liber secundus

vnionē peruenitur naturaliter , est seminishumani prēparatione, quod nō est ex principio naturali animę separatę, sed hominis generatis, vt potentię passiuę naturali actiua potentia naturalis omnino respōdeat. his positis sit prima conclusio, in re singulari non est necessitas simpliciter, sed ex suppositione finis & formę in materia tantum. Ratio primi est, quia in necessario simpliciter, posito priori, necessario sequitur posterius & contrā : sed nullo singulari posito, alterū poni determinate est necesse, sed ex suppositione, si talis sit causarum coniunctio & accommodatio: ergo in singularibus non est necessarium simpliciter. Ratio secundi est, quia posito fine & forma, materia illi accommodatur: ergo est in materia necessitas ex suppositione, vt si animal rationale futurum sit, necesse est habeat manus, & aliorum membrorū conformatiōnem. Quāvis enim materia & formae inter se, & inūicem sit accōmodatio cuiusq; in suo genere, simpliciter tamen & absolutè materia est talis, quia talis forma, & non contra, vt ostēdit Arist. cap. vlt. 2. physici. primam etiam partē huius conclusionis Arist. hoc cap. demonstrat, cum ostendit, in generatione recta non reperiri posse necessarium simpliciter.

Secunda conclusio, series succēdentiū sibi generationum naturaliū simpliciter necessaria est. hanc demonstravit Arist. & ratio illius constat, tum quia ex priori posterior generatio eiusdem secundum speciem omnino consequitur: tum quia aliter vniuersi species permanere certo & per se non possent. de eternitate vero, quā cum hac neces-

sitate simpliciter coniunctam esse voluit Arist. quid sentīdum esset, supra admonuimus.

Tertia conclusio, resurrectio hominis, qua idem numero reficitur, ratione termini & finis naturalis est, ratione autē vię & medij, quo ad terminū peruenitur, supranaturalis est, non autē naturalis. hoc est, animę humānę separatę à corpore proprio iterata cum eodem numero corpore coniunctio, vt idem numero homo restituatur, naturalis est: sed corporis interempti restitutio, per quam fitilla coniunctio, naturalis non est, sed diuina virtute supernaturali fit. Ratio primi est, quia formae omnis cum proprio suscep̄tivo coniunctio naturalis est, vt in hac q. positum est, & latius expli catū, ad caput primū libri 2. de anima. Ratio secundi est, quia nullius causae naturalis virtute idem numero effectus iterum produci potest, vt in expositione huius cap. 11. ad calcem ostendimus. Ex his constat, quod de aliis rebus supra naturalibus afferendum est. resurrectionis nostrae dogma naturae non repugnat, sed consentaneum esse: non tamen ratione naturali demonstrari potest: vt quęcumque credimus secundum religionem fidem, digna esse, quibus fides adhibetur, ostendi potest: ipsae res, quae per se & simpliciter ad fidem nostram pertinent, cū sint omni rareione naturali superiores, demonstrari non possunt, & autoritati verbi diuini reuelantis inituntur. Sed de his differere ad Theologum pertinet, nostrum erit rationes dubitandi propositas disoluere.

Ad primum respondeo, in necessario simpliciter, ex priori poste-

rius



rius cōstanter concludi, quia prius fieri absolutē & perse necessarium est, vt in tex. Arist. admonuit: & nō ea tantum ratione, qua ex priori posterius pendet: vt ex latrone solis cōcluditur necessariō, solē in arie. te certo & definito tēpore futurū: quia solis latio absolutē & per se necessaria est, & non ideo tantū, vt sol sit aliquādo in ariete, & idcirco verē admonuit Arist. in his esse reciprocā consecutionem. in exemplis verò huius primae rationis dubitandi, est quidē prioris cum posteriori necessaria cōnexio: & hac re, ex priori posterius concluditur, sed illud primū absolutē & per se fieri necessariū non est. atque ipsum posterius, quod effectū est prioris, non est propriū, cum ex aliis causis prouenire possit, & ex consequenti reciprocatio in illis esse non potest.

Ad secundū meminisse oportet, ipsum etiā tempus, cum sit in motu æterno celi, Arist. sententia, eternū esse, & in eo esse prius & posterius ratione partis motus, & secundum nostram designationem, absolutē verò & simpliciter secundum eandem sententiam, primum tempus non est, vt nos asserimus fuisse in prima rerum conditione. an verò ex his sequatur tēpus ex nostra cōsideratione pendere, ostensum & explicatum est 4. physico.

Ad tertīū, generatio hominis ex homine secundum speciem simpli-

citer necessaria est, vt explicauimus, secundum numerum non est: illa est circularis, quia sit reg. cōcio ad idem specie: hæc circularis est non potest, quia ad idē numero reficiendum, naturaliter regressio esse non potest, vt ostendimus ad finem cap. 11.

Ad quartū, est quidem animæ rationalis separatę ad proprium corporis naturalis appetitus ratione termini, non autē ratione vię & medii. non est autē violentum animę separatam permanere, quia non habet principium naturale, quo possit ad finē & terminum, quē expetit peruenire, vt habet graue, existēs in simili loco, principium peruenientiad inferiorem, nisi quid obstat est enim duplex animæ rationalis status, & separatis cum corpore, & coniunctionis cum eodem: naturalem autem illum appetitum coniunctionis cum proprio corpore resurrectio perficietur: interim autem in beatis mentibus consensio maxima cum diuina voluntate, quæ definito tēpore resurrectiōnem futuram statuit, efficit, ne molestia sit, aut aliquo modo acerb. huius naturalis coniunctionis mora & expectatio: quam utinam læti & alacres aliquando sustineamus, beatitudine diuina perfruentes cū diuinis hominibus & intelligētiis, ad laudē diuinę Trinitatis, cui gloria & benedictio in æternum, Am.

*Finis lib. de Generatione & corruptione.*

B V R G I S.  
Apud Philippum Iuntam.

1587.



• 545.68

et  
e

a-  
r.  
er  
ii.  
pa  
tabet  
t ad  
"r-

1-

10  
inte-  
con  
a  
o  
o-



716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716

716